IANUS
DAMASCE

1543

# IANI DAMASCENI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, therapeuticę methodi, hoc est, curandi artis Libri VII. partim ALBANO TORINO Vitodurano Paraphraste, partim GERARDO IATRO Cremonensi metaphraste.

QVI SANE LIBRI VEL HOC NOMINE MAGNI SVNT faciendi, quod ſint per omnia Galenici, & conſumatam totius medicinæ curatiuæ partem, (quæ cæteris difficilior ac præſtantior habetur) cum omnibus ſuis indicationibus, complectantur. Vniuerſi nanq; corporis humani, ſingularumq; eiuſdem partium, tam internarum, quàm externarum ægritudinum ac uitiorum curandi rationes quàm abſolutiſſimas continent.

*In principio ſingulorum librorum omnia indicantur, quæ in eo libro continentur.*

APVD INCLYTAM BASILÆAM PER HENRICHVM PETRVM.

# AD ILLVSTRISSIMVM AC POTENTISSIMVM PRINCIpem ac dominum D. GVLIELMVM Palatinū Rheni, utriuſq; Bauarię Ducem &c. ALBANI TORINI Vitodurani in Ianum Damaſcenum Arabem Medicum Pręfatio.

SEmper duximus diuinū iſtud celeberrimi Vatis dogma dignum, quod omnibus parietibus, omnibus columnis inſcriberetur, omnibus annulis inſculperetur, imò in ore & animo omnium haberetur, quo ſanctiſſimè admonemur:

*Orandum eſſe ut ſit mens ſana in corpore ſano.*

GVLIELME dux ſacer & Auguſtiſſime princeps. Siquidē inter immēſas quum corporis tum animi dotes, quas diuina homini largitur benignitas primas facilè bona ualetudo tenet. Id quod Græcus ille pulcherrimè teſtatur ſenariolus. ὑγίεια καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύω. Et rurſum alius: οὐκ ἔσθ' ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. Eoq; ὑγίειαν uoto dignam ueluti numen olim in ſupplicationibus non temere, nec fortuito, ſed carmine uetuſto in contubernium uocabant:

*Recte ualere & ſapere duo uitæ bona.*

*Beatorum antiquiſsima ſanitas, In reliquam uitam tecum ſim.*

Deus omnium rerum opifex admirabili animi & corporis harmonia ipſum hominē faberrimè, perinde atq; mundū quoq; uniuerſum ſuſpicienda compage ex elementis inter ſe contrarijs, quàm aptiſſimè conſtituit. O ſuſpiciendum artificem, qui tam mirando nexu in homine diuinam auræ particulam ab omni materiæ contagio liberam, cum tam inerti, ſtupidoq; ad omnē uim corpore compoſuit. Qua in re profecto & dei ſapientiam cum ſumma potentia coniunctam, & humanum opificium in hoc mūdi theatro comprimis ſpectabile admirari licebit. Non ſolum quia homo mentis & intelligentiæ particeps ſit, ſed etiam corporatam naturam ita conſtitutam habeat, ut quæ auguſtiſſima ſpectantur in mente diuina, & inde in humanos animos defluunt, per corpora ipſa & mēbra eorum, tanta arte è limo efficta foras decenter ad hominum commoditatem transferantur, atq; dimanent. Quocirca haud immerito à ueteribus magnum ſemper habitus eſt homo miraculum, propter illam toto naturæ interuallo ſeparatarum partium, animi uidelicet & corpo-

 ris intimam

ris intimam cognationem, quarum altera cœlestis, altera terrenæ originis, altera æternæ & immortalis, altera tēporariæ & mortalis naturæ censetur. Quo magis mirādum sit, tum has parteis tam arctissima necessitudine copulatas, ut utraq; alterius amicitiā cupiat, utraq; cum alteta perpetuo esse affectet, neq; citra immensum utriusq; dolorē, altera ab altera distrahi se diuelliq; patiatur, atq; ut carmine loquar:

*Corporis atq; animi sic sic natura cohæret*
*Semper ut alterius postulet alter opem.*

Tum uero indissolubili fere uinculo tanquam Herculeo nodo, ut aiunt, constrictas esse, ut quæ singula sunt præstantis naturæ, in cæteris rebus omnibus, uniuersa in homine apposita serie contexta, mirandoq; artificio connexa, reperiantur. Is enim cum deo & supernis mentibus ueri & boni, iusti & æqui cognitione, iudicioq; ualet: Cum animātibus terrenis sentiendi ui prę-ditus est, cum plantis & stirpibus alendi agendique facultatem communem obtinet, & elementorum mundi uires, quæ in calore & frigore, in udo & arido cernuntur, complectitur, ut non parum scite sapientes uiri hanc omnium rerum copulā uniuersi moderaminis formam in homine contemplati, illum μικρόκοσμον, appellarint, & sacræ literæ uniuersam creaturā dixerint. Is nimirum longe amplissimo perfectionis suæ ambitu omnia, tum quæ in cœlis, tum quæ in terris magnifica conspiciuntur, in hoc animi & corporis nexu absolute continet. Quapropter omnino par est, ut utriusque partis bene tractandæ diligentem rationem ineamus, utriusq; salutem ac symmetriam summa, quoad eius fieri potest, fide & studio curemus. Neutra quippe ægritudinum immunis, sed suapte magis natura morbis & curationibus exposita est. Si quo uitio per impotentem uim, uel animi, uel corporis temperamentum euertitur. Nemini itaque dubium quin eorum uterque sanitatem exposcat. Si sanitatem in utroque accurate spectemus, Altera quidem, ut Tyrius docet, omnis exors indigentiæ, altera indigentissima deprehenditur: Altera malorum inquinationem penitus respuit, altera facile labitur in uitium: Animo perpetua sanitas, corpori diurna: Illi firma & constans, huic caduca & fragilis: Illi immortalis, huic mortalitati prorsus addicta. Animi porro ὑγεία ijs potissimum rebus conseruabitur, quæ cum eius natura ingenioque consentiunt, ut est, Sapientiæ professio, & honestarum literarum tractatio, maxime autem sacrarum, quas per sanctos homines ad nos delatas dei spiritus nobis reuelauit. Nam quemadmodum mens nostra proxime diuinam creationis

*Homo minor mundus.*

tionis beneficio naturam attingit, quà de Geneseos capite primo scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, per quam numinis genus sumus, & progenies, ut canit ille:

πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Et alius: *Homerus.*
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Aratus.*

Ita nullis rebus melius integritatem suam mens tuebitur, quàm ijs quę propinquè à numine proficiscuntur, atque ad nos nullo mortalium arbitrio consilioque perueniunt, sacro, scilicet, sancta oracula illius plena æternæ lucis, sapientiæ, uitæque cœlestis. Breuiter, Animus rectus & bonus nihil in humano corpore aliud est, quàm Deus. Consentaneum est igitur, Simile gaudere simili. Hæc quidem de animorum statu obiter. Quod ad corporis uerò, alterius tam nobilis opificij partis ἐυρασίαν attinet. In hac quoque bene tractanda gnauiter à nobis cura adhibenda erit, ut quæ rectrix moderatrixque mens præclara cogitatione conceperit, ad prædicandam maiestatem dei & ad commodandum humano generi per corpus decenter dispensari queant. Adiunxit enim corpora animis nostris diuina prouidentia, partim ut in pusillo aliquo opere mirabilem potentiæ & sapientiæ suæ uim declararet, ut quæ in maxima illa mundi machina amplissimè adumbrasset, in humani corporis fabrica tanquàm minore mundo absolueret: Partim uerò, ut animi humani è summa illa mente prognati, sua quoque instrumenta ad agendum parata tenerent, quibus functiones suas absoluerent. Idque ad culturam expressionemque numinis, quod multiplicem sapientiam suam, & potestatem per mundum hunc uelut corpus ingens potentiæ suæ fusim administrat, ut nō sine causa Platonici mundū ἔμψυχον, & magnum animal esse iudicarint. Quum itaque causarum efficientium uis præcipuè cernatur efficax in organis ἐνδιακειμένοις, & contra inefficax in ijs, quæ prauè affecta, maleque ad munus comparata sunt, conueniet sanè quàm maximè corporum rationem à nobis sedulo quoque haberi, ut rectè ualeant, ne quam labem, quæ ritè gerundis rebus officiat, uel nostra, uel naturæ iniuria, contrahant. Valetudinis autem huius tam eximiæ dotis custodes diuinitus dati sunt, tum animorum, tum corporum Medici: Alteris sapientiæ legibus mentes formantibus, quibus regantur corpora, ut κατὰ λόγον, id est, rationi consentaneè per sobrietatem se gerant, ui

*Animus rectus deus est.*

tata omni immoderatiore in uictu libidine, qua experimur cunctam mentis cœlestis uim labefactari: Alteris autem Medicis, in hunc laborem incumbentibus, ut aut certa ratione uiuendi præscripta corporum συμμετρίαν tueantur, ne in aliquam ægritudinum tabem uertantur, aut sicubi per ἀμετρίαν labefactata fuerint, sibi ipsi postliminio, medicationis salubris beneficio, restituantur, ut pariter corpora sua munia rite obeant, & mentes melius suas functiones perficiant. Neque enim corporis tantum, quæ uilior hominis est portio, sed totius hominis curam gerit medicus. Licet ab animo Theologus, à corpore Medicus auspicetur. Siquidẽ tam arctissima ambo inter se necessitate, tamque inexplicabili uinculo, ut diximus, copulata sunt, ut animi illuuies redundant in corpus, & corporis morbi uicissim animæ uigorem uel implicent, uel etiam aboleant. Quis tantus quæso uitiorum hostis atque Medicus? Quis contumatius amâbo suadet mortalibus sobrietatem & castimoniam? Quis uitandam crapulam, moderandam iram, fugiendũ mœrorem, & omnem animi affectum, quã Medicus?

*Totum hominem curat Medicus.*

*Ille docet morbos animi compescere primum,*
*Si uolet ut ueram sentiat æger opem.*

Idem quoties bile quem atra leuat, cordis robur instaurat, cerebri spiritus fulcit, lapsus ingenij corrigit, memoriæ domicilium sarcit, nunquid utraque sui parte totum hominem seruat? Nam qui mentem ceritamlymphatamque restituit, Maniæ uitium emendat, Phrenesim profligit, Veternum & carum expugnat, Syderationi, Vesanoque amori medetur, hominis deus est uniuersi, quantus est tum animo tum corpore. Odium, ira, animi uitia sunt, quæ ex humore mentis organa obsidente proficiscuntur, quibus frustra sese opposuerit Theologus, nisi prius humorum colluuiem uel dietetica, uel pharmaceutica ratione repurgarit Medicus. Sed cõferemus heic & libremus etiã utriusque ægritudines accuratius. Mẽtis ægritudine grauior ad hominẽ pernicies quã ex corporis infirmitate pueniet. Mẽs enim in homine ueluti rex in urbe, corpus ut populus existit. Illius impare, huius parere officiũ est. Vtrius morbo magis labefactatur ciuitas? Populus Athenien. lãgore cõflictatus à Pericle incolumi uindicatus est. Dionysio contra Syracusis tyrannica cõtagione oppresso, populus quamuis sanitate uigens

*Grauiores animi quã corporis ægritudines.*

*Pericles.*

*Dionysius.*

uigens malum conculcare, & salutem recipere non potuit. Principi uigilantia & sollicitudo maxime conuenit (iuxta illud οὐ χρὴ παννύχιον). Animus principis partes exæquans, insomnis sollicite sæpius secum omnia uoluit. Cuius igitur uitio potius misera uel homo uel ciuitas est? Nunquid præstantioris morbus pernitiosior est? Animus corpori præstat, eoque bonum quod a præstantiore prouenit, maius est, Maiori autem bono, maius opponitur malum. Sanitas uero mentis maius bonum quam corporis est: Ægritudo proinde mentis maius malum, quam corporis est. Corporis ægritudo arte, Animi uero, uirtute ac lege curatur. Illi manum dij auxiliarem ferunt, hanc odiose repellunt. Bellum nunquam ob corporis morbos est exortum, ex animi ægritudine, maxima sæpissime bella exarserunt. Corporis morbus laborantem affligit: Mentis ægritudo quodcunque proximum non desistit inficere. Corporis langorem, mens ualida facile despicit atque conculcat. Laboranti animo, non subuenit corpus. Delicatus Sardanapalus, quum animi tabes redundaret in corpus, impatiens morbi in ignem se præcipitauit. Formosum Alcibiadem ignis quoque ferus exussit. Robustus Critias tam diro animi morbo ægrotauit, ut eum nec uniuersa ciuitas perferre potuerit: Hij omnes corpore uigebant, sed mente non constabant. Rex hominis est animus quo incolumi, cætera manent in officio, quum ille paululum uacillarit, reliqua fere conclamata sunt. Nonne heic comprimis opus est Medico? qui arte, ingenio, cura, fideque in hoc totus incumbat, ut ea pars hominis uigeat sapiatque, cuius arbitrio geruntur, quæcunque cum laude geruntur, præstetque pro suo principi encomio medicum artificium, ut hæc cumulatissimam mereantur in homine laudem, quibus de Homerus, ait, in hęc uerba:

Iliad. B — Sardanapalus — Alcibiades. — Critias.

Ἐπεὶ οὔ ἑθεν ἐστὶ χερείων
οὐ δέμας, οὐδὲ φυὴν οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτέ τι ἔργα.

Iliad. α

Sed illustrissimam Celsitudinem tuam logis forsan longioribus nimium moramur Micantissime Princeps GVLIELME, Sub cuius felici numinis auspicio Ianum Damascenum Decapolitanum artis medicæ præstantissimum autorem, per nos a fœda & obscura barbari e uindicatum, & Latinitate non salebrosa paraphrastico interpretamento donatum, in lucem ædere, & orbi communicare destinauimus. Primum quod

mum quod non aliud nomen occurrebat mihi sollicitius dispicienti, quod nitidius ac potentius uideretur, siue gratia cum autoritate scriptori esset uenanda, siue paraphrastæ tenuitas protegenda, & obscuritas illustranda. Nemo quippe mortalium nescit quàm Heroica, quàmq; regia & celebris sit Illustrium Palatinorum & Bauariæ Ducum à priscis iam seculis, toto terrarum orbe familia. Neq; id sanè alio nomine magis, quàm ob infinitas & præclaras tum animi, tum corporis uirtutes, & memorabilia facinora domi forisq; prudenter & fortiter felicissimo semper successu designata. Quã à uera Troianorum propagine originem duxisse annales testantur, & à Bauaro rege suo nomen obtinuisse regnum. Cæterum regni Bauarorum nomen sub primo duce Theone in Ducatus appellationem commutatũ perhibent, quibus de præstat nihil quàm parum dicere. Omnibus constat inter Germaniæ principes Palatinos & Noricos Duces semper fuisse in rebus bene gerendis auspicacissimos, Pacis & belli gloria animi moderatione, singulariq; prudẽtia, clarissimos, à crudelitate & tyrãnide alienissimos, ad ignoscendum uerò promptissimos, æquitatis & iustitiæ, quæ in se uirtutem complectitur omnem, amãtissimos. T. uerò illustrissima. C. à natalium suorum splendore, unde ueluti iure hæreditario tot duces, tot principes lõga serie prodiere, nihil degenerans GVLIELME Ducũ clarissime, omnibus uirtutum numeris ita regnat, ut absolutissimum optimi principis exemplar, quod alij omnes principes sequi deberent, dici queat. Quum igitur ea sit uestræ familiæ gloria, fore confido, ut hæ nostræ uigiliæ illustri C. T. nuncupatę, sint aliquam sub nominis tui patrocinio apud rerũ medicarũ studiosos gratiã inituræ. Zoilos aũt à conatu nostro impetendo deterriturę. Tametsi quod sub inclyti nominis tuę Sublimitatis auspicio hoc opus inuulgare placuerit, præter commemoratas rationes, & communem illam ab antiquo iam receptam consuetudinem, quam omnes tum Græci tum Latini scriptores usurparunt, sua nempe opera regibus ac principibus dedicandi, illud in primis nos illustrissime Princeps induxit ac impulit, quod unica C. T. in hoc plusquàm ferreo seculo, quo literarum & omnium bonorum studiorum panodethria inuehitur, doctos summo fauore prosequitꝰ, eosq; unicè colit, sola desolatas Camœnas nõ respicit solũ, uerũ etiã pręmijs inuitat, beneficentia demeretꝰ, fouet, tuetur, & ornat, atq;

Regia Domus Ducum Bauariæ.

ut semel dicam, omnibus modis clementiss. quendam agit Mecœnatem in omnes quos egregiam eruditionẽ cum integritate morum copulasse, intellexerit. Ducta nimirum prudentissimorum quorundam regum exemplo, qui sibi eruditionis studio & cõseruatione doctrinæ, illustrius nomen, quàm finium & regni propagatione peperere. Quid: quod aulam tuam, tot principibus, comitibus, omnique uera nobilitate, cæterisque ornamentis, omne genus, ornatissimam, tot insignibus eruditione & uitæ sanctimonia uiris, uirtuteq́, prudentia, & autoritate pręstantibus condecoraueris: E quorũ classe sunt, (ut cęteros prætereã.) Nobilis medendi scientia Panthaleon Fõtanus: Panthaleon Fontanus.

*Vir medicus non inferior quam mille putandus.*

Et eiusdem artis scientissimus Alexander N. qui itidem:

*Vir medicus multis alijs æquandus honore est.*

Vbi equidem hæsito, utrum feliciorem existimem, téne, qui illos tam eximios artis medicæ artifices nactus sis, quibus & animi & corporis incolumitatem demandares, haud aliter atq; ad effingendum se olim præbuit Lysippo Alexander Macedonum rex, nobilissimo illi ἀγαλματουργῷ tam nobilis princeps: An illos, qui tam Augustum nacti sint principem, tam uberem sui artificij materiam, in quo non possint sinè æterna nominis memoria, insigne ingenij sui specimen exhibere: Et uerè nobilis ille Ioannes à Sanacella, morum integritate, iuris prudentia, agendarumq; rerum peritia nemini secundus. Ioan. à Sanacella. Huc accedit illustrissime princeps, quod, quum his difficillimis temporibus, reliquæ in Germania Academiæ magna ex parte desolatæ, partim fatis ita uoluentibus, partim ob principum illiberalitatem, torpeant. Ipse in regno tuo inclytæ Academiæ ampliores suppetias ferre dignatus es, accersitis in hanc magnificẽtissimè uiris doctissimis. Qua beneficẽtia tua ipsas Musas tibi planè obstrinxisti, & studiosos omnes ita deuinxisti, ut singuli Heroicum illud pectus tuum exosculentur, uenerentur & laudibus ad sydera uehant. Inter quos ipse quoque licet omnium extremus & candidatus magis literarum, quàm possessor, ita deuinctus sum, ut uehementer affectem, hac meorum qualiumcunque laborum dedicatione C. T. uel leuiter saltem animum, studium & uoluntatem, declarare. Illustrissimæ Magnificentiæ T. fuerit interim dum luculentius quiddam aliquando præstare potuero, hoc quicquid est, boni consulere, & animi non ingrati significationem intelligere. Tibi igitur clarissime Heros & Dux omnium sacerrimæ ueluti tutelari cuidam numini tam excellentem medicinæ scriptorem, nostrosq;

Arabes nõ pla ne reijciendi.

ſtroſq́; tam operoſos ſudores, quos in ipſo à barbarie utcunq; uindicãdo, περιφραστικῶς reddendo, caſtigandoq́; exantlauimus, offero, ut tui ſub nominis patrocinio ſecurius ancipitem æditionis aleam experiantur. Vbi equidẽ ingenuè fatemur, nos ad prælorum clepſydrã & tumultuariã feſtinationem, ſucciſiuis quidẽ horis, ſed Herculeis laboribus οὐχ' ὡς θελόμεθα ἀλλ' ὡς δυνάμεθα, prǽſtitiſſe. Quo de ſic lector inuniuerſum ſentiet: Quod licet à nemine rectius morborũ medendi ratio ſit, quã à Galeno, & poſt hũc à P. Ægineta & Aëtio, tradita, Arabes tamen non eſſe penitus ad coruos relegãdos, ſed cũ iudicio legendos, è quibus omnibus hic Damaſcenus (cuius reliqui ſunt Simiæ) minus ſǽpe turpiter impegit, qui ferè omnia ad uerbũ ex Galeni libris, Pauli item & Aëtij trãſcripſit, ita quidẽ, ut uiam quandã ad Galeni ſcripta intelligenda præſtruat. Proinde ſi quis opus iſtud, hoc nomine eleuet, quod omnia ferè ſint Galeni, & ex eo penè uerbatim mutuata, huic dicetur, Damaſcenum Galeni doctrinam ex profeſſo uoluiſſe imitari, neq; tamen illius, ſed ſuum eſſe opus. Rurſum ſi quiſpiam alius, illud ceu Damaſceni tanquàm è ſublimi deſpiciat, is norit Galeni eſſe omnia, & ſi Damaſcenica naucipendenda duxerit, certè & Galenũ flocciſeceri tipſum, cuius omnino uoluit eſſe ſectator, eoq́; tutius poterit cum delectu in imitationẽ aſſumi. Fuit aũt hactenus hic autor magis ueneratus quàm intellectus, nos tandem fumo extincto lucem immiſimus. Sed receptui canentes ad illuſtrem C. T. reuerſi precabimur cum Pyrrho rege Epyrotarum non ampliorem nominis ſplendorem non gloriam, non finium ditionisq́; imperij latifundia, ſed unam ſanitatem rati, (id quod res eſt) ὡς καὶ αὐτὸ ψυχῇ τε καὶ σώματι ἁρμοδιώτατον, καὶ συνόλως ἅπαντα περιειληφὸς τ' ἀνθρώπου ἀγαθά. Suſcipe itaque principum clariſſime ſolita clementia noſtras has uigilias. Faxitq́; Deus Opt. Max. ut, qua es digniſſimus, perpetua animi & corporis ualitudine ſecunda, ampliſſimę ditioni tuę quàm diutiſſimè prǽſis & Chriſtianę reipub. proſis. Ἀμήν.

et Nigranum Torinum quoq;

# ELENCHVS SIVE

SYLLABVS DIGNARVM RERVM COgnitu, quę in hoc toto uolumine continentur, ut uel citra incommodum, quod concupiuerit quis, consequatur.



apostematum

D

hydropisi

M

prægnantium

ſcorpionum

ſtomachi

## Z



FINIS.

# IANI DAMASCE- NI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, ad filium suum in Aphorismos Præfatio Albano Torino Paraphraste.

QVANDO QVIDEM Medicina, ut Diuinus Hipp. testatur, ars est prolixior quàm ut unius hominis ætate absolui queat, agendarumq; rerum occasio pernix, experimentum fallax, & crisis ardua. Supplico deo, ut humanitatis tuæ ex animo dilectissime Fili conatus, quàm optimis auibus secundet, ab erroribus uindicet, inq; uera & infallibili artis methodo semper dirigat ac tueatur. Parentiq; tuo per immensam benignitatem suam concedere ac largiri etiam non dignetur, ut meam erga te uoluntatem, commentarijs Pœoniæ artis doctrina refertis, testari, summaq; hâc fide, aphoristica quadam ratione, quasi per manus tradere, atq; animo tuo rudi adhuc instillare, tam fœliciter, quàm ex animo cupiam, maximè possim. quò te mea institutione quã expeditissimũ in tam sacrosancta scientia promptissimumq; in exercendo efficiam: ita sanè, ut non tam meis, quàm tuis etiam uotis abundè fiat. Nec te fugiat interim charissime Fili quod hoc opusculum selectarum in re medica sententiarum (quos Græci ἀφορίσμους indigitant) iam diutius, desyderatum tibi ac posteris conscribere non alia de causa distulerim, quàm ut mea procrastinatione sitientis animi tui & affectionis certius periculum facerem. Subuerebar enim ne satis magno discendi amore tenereris & fastidires aliquantulum, tui desyderij expectationem sollicitius urgere meam tarditatẽ, quod sanè licuit cunctando experiri. Neq; ægre te id ullo modo ferre conuenit, quum noueris maiores nostros peritissimos uiros quemcunq; fastidiosum sæpius arguisse, ne dicam & negligentiæ insimulasse. Cęterum ipse, re ipsa hactenus pręsensisse potuisti, me semper cõmodum tuum imprimis & spectasse & unicè quæsiuisse. Neq; unquã quenq̃ mortaliũ te uno chariorem habuisse. Deum itaq; Opt. Max. obsecro & obtestor ut diuinam illam auræ particulam, hoc est, mentem tuam, nunquàm à uero scopo errare permittat, sed ad sui honorem ac gloriam, & proximi utilitatem te usq; comi-

tetur ac dirigat. Ecce Aphorismorum qualecunq; opusculum, quod à me pluribus tandem supplicijs extorsisti, tuæ dilectioni nuncupo, quod ut sedulo non solum studiose legas, sed & memoriæ diligenter commendes, (ut in promptu quum res postularit in praxi, habeas,) te mi fili magnopere hortor. Proinde iam ipsos aphorismos amplectere.

## PERIOCHA VOLVMINIS PRIMI.

COntinet liber Primus Sententias Medicinales separatas, quos iam omnes Græcè ἀφορισμοὺς indigitant, in quibus & Medici & ægrotantes iuxta suorum undiq; muniorum pulchrè admonentur. Quę quid in medendo dicendum, quidq; ex tempore faciendum sæpiuscule statim suppeditant, & ueluti oracula habentur.

Est autem uno uerbo aphorismus, sententia selecta, absoluta & breuis, ueluti sunt apopthegmata philosophorũ, ἀπὸ τοῦ ἀφορίζειν, id est, segregare, & secernere, qua uoce utitur. D. Paulus ad Rom. capite primo, ἀφορισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ, hoc est, segregatus in Euangelium Dei.

IANI

# IANI DAMASCENI DECAPOLITANI SVMMAE inter Arabes autoritatis Medici Liber I.

ALBANO TORINO Paraphraste.

APHORISMVS I.

PELAGVS quoddam perimmẽsum atque profundum, Ars est Medica.

*Aphorismus* II.

EXercere igit̃ hãc ex mutis tãtũmodo magistris, citra exactã rationẽ, atq; summũ dexterrimi ingenij acumẽ, permolestũ & summè arduũ.

*Aphorismus* III.

INgenium autem promptum adiuuat artem, tardum contrà & obtusum, impedit.

*Aphorismus* IIII.

SI quis autem in Priscorum lectione assiduus sit, & eorum dogmata ad amussim discutiat, similiter adiuuatur.

*Aphorismus* V.

EX his solum quæ in antiquorum uoluminibus leguntur, medicinam citra uiuam doctoris uocem exercere, res est sontica & causalis.

*Aphorismus* VI.

QVæ à præceptore perito ac fideli percipiuntur, tutiora sunt, & minore iactura constant.

*Aphorismus* VII.

VIta breuis est ad cognoscendum & experiendum singularum uirtutes, quæ cœlo, terra, mariq; immenso nascuntur.

*Aphorismus* VIII.

REbus igitur experimento comprobatis, quibus de nulla cõtrouersia, & parabilibus utendum, quarum uires & qualitates ipse non es expertus, ualeant.

*Aphorismus* IX.

NOn sunt contumelijs proscindendi ueteres Medici & Philosophi, quod de rerum causis, altius paulò sæpius disseruerint. Nam alioqui satis consentanea sunt rationi quæ docuerunt. et demissius.

*Aphorismus* X.

QVibus medemur non sunt neque lapides, neque ligna, neq; lutum, neque corium, sed tenuioris pariter & preciosioris essentiæ opificiũ dei, in quo lapsus procliuis quidẽ, sed admodum periculosus existit, & in plerisq;, præsertim subtilioribus naturis, sępe ad interitũ terminat.

*Aphorismus* XI.

PHilosophię & physicarum rerum imperitus, ad artis consummationem se peruenire desperet.

*Aphorismus* XII.

SImiliter qui deditus seculi negocijs, neglecta arte, pecuniæ studio delicijsq́ue seruit, ei nulla habenda fides est.

*Aphorismus* XIII.

VBi Galeno & Aristoteli non conuenit, à solo naturalibus scientijs disciplinæ prouectiore ueritas elicitur.

*Aphorismus* XIIII.

QVoduis animal secundum algidum & udum enutritur, secundum calidum uerò & humidum uiuit.

hoc ipm uiuere est, nutriri: uero si calido & humido uiuit animal, eodem nutritur.

*Aphorismus* XV.

VIrtutum nomina tametsi compluria atque diuersa sint, non tamen est, nisi sola atque unica uirtus.

*Aphorismus* XVI.

SOrtitur autem nominum diuersitatem, à functionibus subiectarum partium: Sic ut alia Animalis, alia Vitalis, alia Naturalis nuncupetur.

*Aphorismus* XVII.

NAtiua temperies uicinitate quidem separabilis uidetur, actu tamen atque adeò re ipsa separari nequit.

*Aphorismus* XVIII.

QVemadmodum animi uitia & corporis liniamenta, ita & morbos quosdam à parentibus hæreditamus.

*Aphorismus* XIX.

MEdela temperamento propinqua, & odore gratǫ prædita, si in cibum quoque conuerti poterit, saluberrimum est.

*Aphorismus* XX.

HOmo corporis & animæ coniugio subsistit. Vehemens itaque medicina nunquã propinanda, ne talis syzygia dissoluatur, forte namque pharmacum, cuiusmodi sunt, quæ in tertio à temperatis gradu habentur, & animum & corpus exoluit.

*Aphorismus* XXI.

CORpus animatum, neruorum concentui respondet, nunquàm igitur temerè medicinam propinaueris fortem, ne symphonia dissoluatur, & corpus immoderata apertione, in aliam temperiem transmutet.

*Aphorismus* XXII.

REmedium astringens & iucundo odore fragrans, temperaturæ uicinum, principes corporis partes & uirtutem naturalem corroborat, ea igitur præcipuè tibi est utendum.

*Aphorismus* XXIII.

VIrtus & natura curant morbos, Medicus utriusq; minister est.

*Aphorismus* XXIIII.

PRoinde si naturam iuueris, medici munus præstiteris, id enim solum est officium medici.

*Aphorismus* XXV.

SI naturam succumbere permiseris, nihil ages, & carnificem magis quàm medicum præstabis.

*Aphorismus* XXVI.

IEcur & uentriculus prima sunt instrumenta nutritionis, quam si quopiam casu amiserint, natura debilitatur.

*Aphorismus* XXVII.

CAlidæ ægritudines, propter ignei motus celeritatem, magis quàm frigidæ lætales sunt.

*Aphorismus* XXVIII.

PHarmaca propinaturus, ne quid porrexeris, quod membris officiat principalibus, nihil alioquin opis, sed internitionem inferes.

*Aphorismus* XXIX.

MOres animi corporis temperaturam sequuntur, quando igitur corpus laborat, præsertim membra principalia, animi medelas porrige, oblectamenta nempe gustus, odoratus, uisus & auditus, gaudiaque cætera, quibus in non minima auxiliorum & medicinæ portio cōtinetur.

*Aphorismus* XXX.

MEdicamenta quædam à cœna sub somnum exhibentur, puta, quæ e capite & remotioribus membris debent attrahere, & ubi uehementer morbus inualuerit, maximeq; in principibus particulis extiterit.

*Aphorismus* XXXI.

NVlla corporis pars ulli medicamento credatur, nisi ad eius temperiem quàm proxime accedat, quod si nutrimentum quoq; præstiterit, præstantissimum est.

*Aphorismus* XXXII.

COntraria contrariorum sunt remedia & non similium simillima.

*Aphorismus* XXXIII.

AEgrotis omni firmitudine destitutis nulla neq; medicamina, neq; edulia exhibenda sunt, nisi ea quę facile patitur natura, semper cum amussata temperatura quantitatis & qualitatis.

*Aphorismus* XXXIIII.

PHarmaca pauca tibi tenenda sunt, & quorum operationes ac potestates iam multotiens expertus es, totius enim multitudinis notitia incomprehensibilis est, ne quum per singula uolueris inquirendo discurrere, multiplici diuersitate distractus, nescias cui debeas fidem adhibere.

*Aphorismus* XXXV.

AMuletis & his quæ insita quidem, sed abdita uirtute agere uidentur, non est adhærendum, Incerta enim genuina rerum nuncupata proprietas; plurima nanque à cœlesti facultate designare quippiam uisa, natura potius designasse à sapientibus comperta sunt.

*Aphorismus* XXXVI.

HAud igitur tutum Medicorum asylum, uirtus, ut uocant, speciuoca, est, præsertim in pharmacis, quibus in natura magis quàm proprietas obseruanda est.

*Aphorismus* XXXVII.

IN hyeme & uere plus natura humores dispergit intus: In æstate & autumno minus, medicandum igitur quum potior est.

*Aphorismus* XXXVIII.

CRebrior frequentatio ægritudinis, in particula principali corporis, exolutionem præsagit.

*Aphorismus* XXXIX.

SAlubrius est utique humores crassos calfaciendo & dissecando, naturamque corroborando, quàm cum medicamento per inferna super naue repurgante euacuare, quorum sanè neutrum citra naturæ iacturam fieri potest, modò periculum non sit, ne calfaciendo secati & liquefacti, fluxu suo, principes corporis partes occupent, cuius si metus fuerit, alia aggrediunda suppetiarum ratio est.

Aphorismus

*Aphorismus* XL.

CAuendum est ne abscessus summa cute in conualescentibus erumpens, medicamento repellente ad uiscera reprimatur, sed ut aliqua ratiõe discussum magis ac magis expellatur manibus pedibusq; nitendũ, principum enim partium imbecillitati succurrendum.

*Aphorismus* XLI.

HAbitantibus in † quinto, aut sexto climate copiosior & frequẽtior sanguinis detractio, quam his qui septimum, aut primum, aut secundum, aut tertium incolunt clima, expedit.

*Aphorismus* XLII.

ABscessus in membro principali si doloris expers sit, in uetustatem transijt, & ueluti solẽnis euasit, præsertim si ex bile flaua, siue, quod rarius accidit, ex sanguine prouenerit.

*Aphorismus* XLIII.

COrpora secundum naturam frigida & humida, parum in uentre recipiunt, minus uero reddunt: Aluus hos plurimum liquida, & infirmitas diuturna comitatur.

*Aphorismus* XLIIII.

CAlidis contra aridisq; corporibus contraria eueniunt.

*Aphorismus* XLV.

AB infirmitate conualescentibus edulia deteriora non sunt negãda, si affectarint, sed studio quodã adhibito, attẽperanda, ne noceant.

*Aphorismus* XLVI.

OPortet autem ægrotantibus perpetuò, etiam si ipse desperes, salutem polliceri, neque uel deploratis animum deuouendi occasionẽ unquàm permittere. Temperatura enim corporis, animi affectibus semper cohæret.

*Aphorismus* XLVII.

INgenium naturale medici cum paruo artis fundamento, adiuuat naturam. Innaturale contrarium.

*Aphorismus* XLVIII.

MEdici illiterati, rerum imperiti & adulescentes, ut plurimum homicidæ.

*Aphorismus* XLIX.

DEbet etiam solers Medicus ægrotantem de omnibus quum interioribus tum externis, unde ægritudines originem trahunt diligenter sciscitari, omnemq́ue in perscrutando causas lapidem mouere, atque

ſecundum potiorem partem ſemper iudicare.

*Aphoriſmus* L.

GLorioſi hominis faſtum & multiloquium damnato.

*Aphoriſmus* LI.

NEque te infirmum ſuper omnibus percunctari pudeat.

*Aphoriſmus* LII.

LOtium quippe, quum morbus intra uenas exiſtit, fallax eſt nuncius.

*Aphoriſmus* LIII.

INterrogatus cum iudicio & prudenter reſponde, temere enim quicquid in buccam uenerit effutientibus nihil fidendum.

*Aphoriſmus* LIIII.

FActus iam ægrotantis clinicus, ſani eiuſdem naturam atque affectus noſſe confert, atque ea quæ arridere & gliſcere præ cætera cognoueris, in memoriam reuocare, atque eorum ſi fieri poteſt copiam facere, uel propediem ſe habituros polliceri. Vt uel oculos paſcant & fruantur, uel ſpem ſaltem optimam habeant.

*Aphoriſmus* LV.

PLurimum prodeſt paralyticis naturalem calorem non tamen igneum adhibere, ſed aduleſcentis potius puellæ.

*Aphoriſmus* LVI.

EX medicinis eiuſdem naturæ atque uirtutis, guſtu ſuauior, odore iucundior & leuior eligenda eſt.

*Aphoriſmus* LVII.

MVtare conſuetudinem præſertim ueterem, & noxium & peſtilentiſſimum habetur.

*Aphoriſmus* LVIII.

PErinde atque nulla eſt conuenientia inter aquam & calorem naturalem: Ita non eſt ducenda cuiuſquam aluus, niſi medicina quæ uel ad unguem temperamento reſpondeat, uel ſaltem haud ita procul ab eo diſcedat

*Aphoriſmus* LIX.

MEtuendum eſt enim, ne abhorrens eam natura reijciat, & non cōmiſceatur humoribus, ne dum id quod noxium eſt, exterminet.

*Aphoriſmu* LX.

ESt igitur quod ad impactos humores repurgandos, medicina data quadam opera in ſimilitudinem ſibi conuertatur, quo natura ipſam

appoſite

appoſite recipiat, & receptam per uenas deferat. Ita enim fiet, ut corroborata, hoſtem ſuum minimo negocio expellat. Nam ubi in qualitate ualentior fuerit, deficiet natura, neque oppugnabit eam, neque reſiſtet ei.

*Aphoriſmus* LXI.

ANte uero purgationem per aliquot dies humores commouendi ſunt, adhibita medicina cibali, atque ita cum præſentis diei abſtinentia ſunt purgandi.

*Aphoriſmus* LXII.

BAlneorum uſus non eſt nobis ad refrigerandum calidum, aut calfaciendum frigidum neceſſarius: uerum ad incidendum, diſſoluendũ, ſudorem proliciendum, exiccandum, & humectandum.

*Aphoriſmus* LXIII.

THeriaca magna diſſoluit, diſtrahit, mundat, corroborat, tranquillum reddit, corpus uniuerſum cuſtodit, & contra ipſius grauiſſimas fere omnes affectiones optima eſt. Sed datio ipſius pro uniuſcuiuſq; morbi quantitate, & ſingulorum ætate, eſt diuerſa, pueris quippe, adoleſcentibusq; & ſenibus & exhauſtis, non niſi momentum eius exhibendum eſt.

*Aphoriſmus* LXIIII.

MOrbi quidem exteriores uere & æſtate magis ſunt curandi, interiores e diuerſo.

*Aphoriſmus* LXV.

AEgritudines non minus ex quantitatis & qualitatis penuria, quam ex plenitate immodica naſcuntur. Quocirca medici complures temeraria uentris ſolutione delinquunt.

*Aphoriſmus* LXVI.

SI pharmacum ſumptum, uicta natura non deſtinatos expulerit humores, remanet in corpore, & in humorum qualitate, inde molitur morbos parere.

*Aphoriſmus* LXVII.

COrporibus frigidis & humidis oſſa ac nerui imbecillia ſunt, eoque in ualetudine ſecunda, morbis magis, in aduerſa, ſanitati, habiliora ſunt.

*Aphoriſmus* LXVIII.

ABſceſſibus puerorum ſummo ſtudio & ſcite occurrendum, æquiolenter reprimentibus medicinis ſollicite fugiendũ, ne natura ipſorum mediocriter ualida, ex humoris, quẽ ab utero parentis habent, abundantia repreſſa, ſuccumbat.

*Aphorismus* LXIX.

MOrbido corpori non uehemens contrarium competit.

*Aphorismus* LXX.

ACutæ ægritudines in senibus magis quàm in iuuenibus timendæ sint, quoniã citius uel in bonum uel in malum firmantur: cibos namque sumptos, natura ipsorum ad instar statim frigidi transfert, eoq; sanitati citius restituuntur, Metuendæ uero sunt, quia periculum est, ne naturalis caloris inopia, uiolentiam ægritudinis sustinere queat.

*Aphorismus* LXXI.

FRigidæ ægritudines in senibus difficilius, in iuuenibus facilius curantur.

*Aphorismus* LXXII.

BAlneum & temperata potio auxiliatur causæ, & contrario causæ.

*Aphorismus* LXXIII.

IMmoderato exercitio deditos, sub cibum paululum quiescere, ociosis non nihil exerceri, conuenit.

*Aphorismus* LXXIIII.

LAbor & exercitatio, doloris quædam species est, cui addicti non pluribus morbis conflictantur, respectuq; morbosi laboris non dolent, nisi quum morbi dolor laborem excesserit.

*Aphorismus* LXXV.

IVuenibus seminis genitalis emissio, rarius ex frigiditate accidit.

*Aphorismus* LXXVI.

MOrbus comitialis & conuulsio iuuenes in primo, secundo, tertio & quarto climate, ob caloris naturalis penuriam, & temperaturæ defectum, corripit frequentius, ob nimiam frigiditatem, rarenter. Sanitas itaque illis calore & temperamento recuperatur, pharmacis idcirco calidioribus utendum.

*Aphorismus* LXXVII.

QVum quis uult caput purgare aut cerebrum, aut instrumenta sensuum, catapotijs id maiusculis, atque à cœna faciundum est.

*Aphorismus* LXXVIII.

AD nimiã humiditatẽ humorũ in uẽtriculo, puluisculũ tenuiorẽ exhibemus, ad intestina uerò mollienda, nonnunquã clysterẽ inijcimus.

*Aphorismus* LXXIX.

AD p incipalium quoq; membrorum debilitatem, si purgatiõe opus est, lauaminibus in hoc efficacibus utimur.

*Aphorismus*

Aphorismus LXXX.

VEntriculum humoribus saburratum, catapotijs quoque exilibus recentibusq; ac humidis ieiuno exhibitis euacuamus, cæterum à sumptione paululum inambulare & sese mouere congruit.

Aphorismus LXXXI.

CAtapotia inueterata & desiccata, priusquã deglutiantur, per noctẽ in aqua calida maceranda & humectanda sunt.

Aphorismus LXXXII.

QVoduis medicamentũ purgatoriũ necessariò bilem flauã exagitat.

Aphorismus LXXXIII.

QVi † sexaginta annos numerant aut plures, in medicina eorum non est insistendum, his, quæ bilem expurgant flauã, quia ipsa per se natura id facit, & humectatio corporis fundamentum est. † quadraginta

Aphorismus LXXXIIII.

QVi principalibus membris laborant aut defecta habent, à nimium acribus medicinis caueant, sed in temperamẽto consistant, & ad id quoad eius fieri potest ad amussim accedant.

Aphorismus LXXXV.

BInæ species simul mixtæ, necessariò suam quælibet uirtutem exerit, haud aliter ac singulæ seorsim fuerint exhibitæ.

Aphorismus LXXXVI.

COnualescentes ex ægritudine, iuxta infirmitatem quidem suam tractandi sunt, non tamen ex toto habendi, quemadmodum antea incolumes consueuerunt.

Aphorismus LXXXVII.

OPortet medicinam attẽperare similitudini operantis naturæ, si durior & cõtumatior, aut segnior ac desidiosa magis fuerit, non secundum quod uidetur præsidium esse citra rationem, alioqui fallax est.

Aphorismus LXXXVIII.

AEgrotus medicũ fidelem & expertum eligat, & eius opera diu utatur, minus enim hic errare quàm nouus poterit.

Aphorismus LXXXIX.

AEger qui plurimos consulit medicos, plerunque in singulorum errorem cadit.

Aphorismus XC.

ABscessus in senibus nullo medicamine repercutiatur, ne forte non sufficiat natura ad dissipandum illum. Sed leui medicina potius moderatè extrahatur

derate extrahatur, ne natura cum eo exiens corpus exhauriat. Est enim in senibus quod deperditur bene multũ, respectu eius quod instauratur. Pari etiam modo & in pueris. Vis etiam medicinæ robustior est quàm natura eorum.

Aphorismus XCI.

AEgrotantem in suum statum unde per ægritudinem cecidit reuocare satis est, etiamsi non ad temperaturam ab omni parte exactam reuocetur.

Aphorismus CXII.

CVius sani temperamenti qualitatem non cognouimus, eius ægrotantis infirmitatem, grauis sit nec'ne, haud facile depræhendimus. Vnde auxilium anceps ac lubricum comitatur.

Aphorismus XCIII.

CErtum remedium dispici non potest, nisi tum sani tum ægri natura uirtusq; cognoscatur.

Aphorismus XCIIII.

PRoinde in purgando corpore, si forte sit, fortiore utendum est pharmaco.

Aphorismus XCV.

SIngulis ægritudinibus sua sibi consecrata remedia, opera & industria solertis medici accommodare, summi est artificis.

Aphorismus XCVI.

NVlla res sub cœlo, quocunq; gradu mutetur, unquàm ad principium circuli reuertitur.

Aphorismus XCVII.

SI recte contempleris nullo medicinarum in ope atione leuis est, eam quippe quę leuis uidetur, grauem, quæ autem g auis, leuem, si acuratius introspexeris, compræhendes, haud igitur temere & citra rationem determinandum est.

Aphorismus XCVIII.

FIdere experimento citra rationem fallax est.

Aphorismus XCIX.

NVllus est morbus qui non requirat, ut super q uidam interrogetur, infirmus.

Aphorismus C.

IN qualibet febre, calor præter naturam est. Sed inter fortem ac leuem distat, pro ratione materiæ eoq; e flaua bile prognatę strenuius, ex atra e diuerso

ediuerso lentius occurrendum.

Aphorismus CI.

QVodcunq; membrum, uel natura uel qualibet occasione læsum fuerit, nunquam priori statui integre restituetur.

Aphorismus CII.

MOrbus diuturnus, aut defectio membrorum ut plurimum à parentibus quidē in filios ac posteros propagatur, Sed aliquo sæpe cum discrimine, aut minor, si auus quispiam, hoc est, alter parentum genitor fuerit incolumis.

Aphorismus CIII.

NVlli credendum est, quantumuis literato medico, nisi ætatem habenti & experto.

Aphorismus CIIII.

CVius urina in morbo diuturno sani urinæ similis, in una eademque qualitate permanserit, is nunquam euadet ægritudinem.

Aphorismus CV.

MEdicus modestus esto, neque mundum nimium suspiciat neque in totum despiciat.

Aphorismus CVI.

SI uer pluuiosum fuerit & inconstans aëris mutatio, æstate expectare oportet pustulas hulcerosas plurimas, uariolas, abscessus, phrenitim, & febrium omne genus, quæ nulla uentris solutione curantur.

Aphorismus CVII.

MVlier in latere dextro concipiens, raro fœmellam parturit.

Aphorismus CVIII.

CAtharticum in utero habenti propinatum, cōceptui tantum officit, ut nati principalia membra per omne uitæ spacium deficiant.

Aphorismus CIX.

MOrbi ex humorum copia, uitio & defectu iuxta proueniunt, eoq; medici purgando & inaniendo facile errare possunt.

Aphorismus CX.

OLfactus fragrātis præsertim rei & uaporosę, cuiusmodi pastilli suffumigabiles pręstant, citius quā ulla propinatio cerebro subuenit.

Aphorismus CXI.

EX syderū mutatiōe in longitudinē stellarū & latitudinē, uitia, ęgritudines & consuetudines quoque subinde transmutantur.

Aphorismus CXII.

EX diuersitate locorum, spaciorū & regionum, temperamēta quoq;

naturæ uitia, eduliaq; & medelę identidem uariantur, adeò, sanè, ut quę in secundo à temperatis ordine consistunt, in quartum sæpe & è diuerso à quarto in secundū transmigrent, cuiusmodi discrimen euidenter in plantis satiuis & syluestribus, mōtanis & campestribus, Sabulosis item uel siccis & uliginosis regionibus natis elucet.

Aphorismus CXIII.

EMplastra atque unguenta qualitate complexionis membro cui adplicantur quàm fieri potest, respondeant.

Aphorismus CXIIII.

BIlis flaua in iuuenibus uehementi pharmaco ducenda non est.

Aphorismus CXV.

SI sola uictus ratione citra pharmacum mederi datur, nihil neque prius neque rectius.

Aphorismus CXVI.

SI quis longo tempore neq; per uomitum neq; per aluum euacuatus sit, & subito aliqua horum ingruit euacuatio, cunctanter sistas.

Aphorismus CXVII.

VApor siue fumus aliud in corpore, quàm flatus est, id quod haud plures queunt discernere.

Aphorismus CXVIII.

VRina sanitatem hominis præferens in nullo mortalium, neq; quantitate, neque qualitate, neque liquore, temperata seu compar est.

Aphorismus CXIX.

CVius urinam non prænoueris sani, eius iam ægrotantis haud agnosces facile.

Aphorismus CXX.

IN conualescentibus ex ægritudine, abscessuum curationem ita moliri conuenit, ut leniter in corporis superficiem magis euocentur, quā ad interiora repellant, idq; ex æquo tā in puerili q̃ in senili ętate, perpetuò.

Aphorismus CXXI.

SI delirium siue furor ob frigiditatem & siccitatē oriatur, uaporibus caput tentantibus, odoramēta calida ac humida tam intrinsecus quā extrinsecus, excitandi caloris gratia, adhibebimus, & affectum ad iracundiam irritabimus.

Aphorismus CXXII.

TEmperamentum sanitatem portendens, non est in singulis hominibus, neq; in quātitate neq; in qualitate ad unguē ęquale siue εὔκρατον.

Aphorismus

Aphorismus CXXIII.

QVi in iuuentute quolibet anno quater sanguinem detrahere secta uena consueuerunt, his ab anno ætatis suæ quadragesimo, ter aperire uenam, à quinquagesimo bis aut semel modo, usque ad sexagesimum conuenit, deinde nunquàm amplius, satius est.

Aphorismus CXXIIII.

AB anno ætatis quadragesimo homines cubiti uenam, hoc est, humeralem, ac Cephalicam, quinquagesimo nigram mediam appellatam, sexagesimo interiorem quam dicunt, Basilicam, secare conuenit.

Aphorismus CXXV.

QVi in iuuentute multum ac crebrius sanguinem detraxerunt, horum corpus anno sexagesimo plurimum frigidum & siccum euadit, præsertim si temperamenti fuerit natura frigidi.

Aphorismus CXXVI.

CVstodia uirtutis, principalia membra corroborat, & à morbis tuetur.

Aphorismus CXXVII.

PRincipalia membra confortata, reliqua quoq; membra confortant.

Aphorismus CXXVIII.

QVi ex parentibus iuuenibus nati sunt, principalia membra natura robustiora ac saniora habent, quàm qui ex decrepitis & pueris gignuntur.

Aphorismus CXXIX.

QVemadmodum ignis ad calidum & humidum semper contendit, sic morbus ad id genus temperamentum.

Aphorismus CXXX.

QVi aromatum horrent odorem, corruptam naturæ suæ temperiem arguunt.

Aphorismus CXXXI.

IN qualibet regione quocunque ex uento nubes coguntur, ex ijsdem incolarum capita uaporibus replentur, & corhizæ nascuntur & sensus grauantur.

Aphorismus CXXXII.

VBiuis gentium quocunque anni tempore phalanges muscarum redundauerint, ibidem & ægritudines, quæ ex putredinibus oriuntur, in corporibus indigenarum redundabunt.

Aphorismus CXXXIII.

IEiunium in æstate corpus desiccat, flauo colore tingit, atram bilem auget & luminis speciem debilitat.

Aphorismus CXXXIIII.

SAnguen si quam primum ut emanarit in aëre congelatur, terram redundare portendit, & quanto contumatior à concretione resistit, tanto magis contrarium indicat.

Aphorismus CXXXV.

QVanto cuiuscunque regionis situs longius à mari distat, tanto incolarum eius corpora sicciora euadunt.

Aphorismus CXXXVI.

NOn est compar cuiuslibet regionis temporum natura, quando sol in quadrangulari circulo consistit, hic æstas, illic hyems, istic uer, aliâs autumnus existit. Pro quarum diuersitatum similitudine dissidēt etiam temperamenta siue naturæ, & mores & uitia & consuetudines indigenarum & incolarum. Quum enim uer habetur in Ægypto, Æstas est in India. Cæterū qui sub æquali habitāt die singulis annis binas hyemes & totidem æstates, geminos autumnos ac totidem Vera habent, unde omnis annonæ prouentus illis est uberrimus, ingenia acutissima, memoria subtilis & minimè euanida, & id genus cætera exquisitissima sunt.

Aphorismus CXXXVII.

VIrtute iacente membra quoque principalia succumbunt, & affliguntur, neque illam tueri possunt.

Aphorismus CXXXVIII.

QVod uno ore plurimi comprobant, & ratio attestatur, illud ante oculos statuatur, contrario autem contrarium.

Aphorismus CXXXIX.

CIbaria confortantia, odoris boni & temperamento uicina, uirtutem naturalem conseruant & membra principalia corroborant.

Aphorismus CXL.

MEdicinarum nulla in aliquem conferenda est morbum, nisi ad complexionem eius uel ex toto uel ex parte saltem pertineat.

Aphorismus CXLI.

VT moribus, faciebus & membris homines parentes referunt, sic in acutis ægritudinibus membrorum principum.

Aphorismus CXLII.

AEgritudinē in mēbro radicali cōsistere, notat dissolutionē corporis.

Aphorismus CXLIII.

COrpora humida parum comedunt, plurimum egerunt, & difficulter curantur.

Aphorismus CXLIIII.

SEmper consolandus est ægrotus, etiã si mortis signa appareant. Corpora enim hominum, spiritus eorum sequuntur.

Aphorismus CXLV.

SPiritus doctoris humilis opitulatur ægrotis.

Aphorismus CXLVI.

NOn fidendum est medico qui iudicat & pronuntiat temere.

Aphorismus CXLVII.

MEdicus diligenter exploret, ut quę illi placuerunt sano, eadem polliceatur ægroto, si fuerit restitutus.

Aphorismus CXLVIII.

BAlnea humectant, soluunt & abstergunt.

Aphorismus CXLIX.

PRopter diuturnitatem morbi noli ab ægroto facile discedere.

Aphorismus CL.

PVeri & senes quantumuis humoribus referti, non tamen solui debent fortiter.

Aphorismus CLI.

AD eam temperantiam inducas infirmum, quam habuit dum esset incolumis.

Aphorismus CLII.

CVm medicamentis laxantibus temperanter procede. De uesicæ excremento faciliter censere uitato.

Aphorismus CLIII.

FEbris biliosa immodica frigiditate ne reprimatur, neque quartana cum frigiditate humectante repercutiatur.

Aphorismus CLIIII.

MElancholici iuuenes, haud ita fortiter purgentur, in his enim non pertinaciter hæret & est paucissima bilis atra.

Aphorismus CLV.

TEmporibus ægritudinis non est abijcienda consuetudo, etiam mala, quia basis & fundamentum naturæ habetur.

Aphorismus CLVI.

LOgici & qui ex ingenio proprio de ægritudinibus iudicant, ut plurimum sunt interfectores.

*Aphorismus* CLVII.

SPiritus uitalis destruitur, quum quis propter ægritudines non principum particularum uehemens accipit pharmacum, quod principes partes eneruat & temperamentum eorum destruit.

*Aphorismus* CLVIII.

BEstię frigidę & humidę, cibus earum calidus & humidus.

*Aphorismus* CLIX.

COmpages spiritus cum corpore si imbecillior fuerit, cautio est, ne acrioribus medicinis conuulsa demoliatur.

*Aphorismus* CLX.

DIætetica medicina præstantior est pharmaceutica & chirurgica.

SVscipe nunc obuijs, ut dicitur, ulnis animo dilectissime Fili, quos tantopere efflagitasti Medicinalium rerum Aphorismos, minimè, nostro sanè iudicio, contemnendos, quorum autoritati in exercenda re medica utere ac fruere, queso. Nam sunt, fateor, haud citra uigilias & absq; sudoribus, tua maxima ex parte, solius causa, sollicitius elaborati. Neque enim me fugeat tua incomparabilis diligentia, & quantum, præter cętera, prudentiam in praxi, ut uocant, à clinico desideres. Dominus Deus faxit, ut quemadmodum bonis, ut aiunt, auibus cœpisti, ita melioribus procedas, & optimis ad umbilicum usq; artem tam arduam perducas. Hortor te præterea ut translationem operis, insignis & nunquam satis laudati C. Galeni, cui titulum fecit μεγάλην τέχνην, hoc est, Artem magnam, satis, ut audio, fèliciter inchoatam, summo studio & industria consumare contendas. Sum equidem mirificè hoc tuo tam laudabili conatu delectatus. Quo sanè in uolumine Galenus medicorum officium scitè comprehendit. Gratias itaq; Deo Opt. Max. quàm possum ingentissimas ago, quod filium, qui hoc primum Latinitate donare ausus sit, habeam, Macte animo & uirtute adulescens.

IANI DAMASCENI PRIMI LIBRI FINIS.

PERIOCHA VOLVMINIS SECVNDI.

In hoc secundo totius operis libro de ægritudinibus similarium partium, puta, de Febribus secundũ Galeni ferè & aliorum sententiam, disputatio est, quę primum, de ijs quæ ad caussas & notas totamq; earum medendi rationem conducunt, deinde de singularum febris specierum generatione & curatione, Postremo de uirium lapsu & animi deliquio, quę συγκοπὴ Græcè & λειποθυμία dicuntur, sermonem facit.

ELENCHVS EORVM QVAE SECVNDO LIBRO COMPLECTVNTVR.

# IANI DAMASCENI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, De exquisita Febrium curatione Lib. II. ALBANO TORINO Vitodurensi Paraphraste.

*Febrium diuisio & Diariæ causæ, Caput I.*

FEbres in spiritibus, humoribus putridis, & corporis partibus solidis, præter naturam incendűtur. Et si spiritus plus iusto incalescunt, Græcis ἐφήμερα, Romanis Diaria (quod eius unica sit accessio, uno, ut plurimum, die, circumscripta) appellatur. Cuius quatuor utiq; principes enumerantur causæ, puta, quæ foris accidunt, refrigeratio & ustio, quàm par est uehementiores, balneum aquæ aluminosæ, uel sulphurosæ: aut ea, quæ intra corpus sumuntur, uerbi gratia, cibi, potus, medicamina, atq; id genus cætera: aut ea, quæ officiunt, nempe motus tum corporis, tum animæ. Sunt autem corporis motiones, labores, inambulatio uehemẽs ac multa, equitatioq; frequẽs & continuatio. Animales uerò motus sunt, Vigiliæ, curæ animi uehementes, anxietas acrior, tristitia, timor, ira, aut Symptomata, deniq; qui partibus quibusdam eueniunt, ceu cruciatus alicuius membri, & inguinum tumores.

*Motus corporis.*

*Motus animæ.*

*De Diaria quæ ex ustione Solis, & Veneris oritur, Cap. II.*

SCiendum quod qui diaria ob diutinam in sole moram, & ex infecto tẽpore conflictatur, longè acriorem in capite ac reliqua corporis cute ardorẽ, quàm quos reliquæ febris ephimeræ species exercẽt, preferunt. Et capita ipsorũ ex diutina in sole mora, multò impensius aliquo corpore succenduntur & flagrant. Quin magna ex parte Cephalalgia, quam Arabes medici Sodã nominant, interdum & Cephalęa ea febre conflictatum exercet. Quoniam spiritum animalem huiusmodi ephimera satis affligit, oculiq; inprimis ardentius incalescunt, & roseo rubore suffunduntur. Consulere itaq; eis, capitis crebriore cum dulci decocto chamæmeli, uiolarum siccarum, florum nympheæ atq; rosarum, ubi febris declinauerit irrigatione conuenit, & exigui insuper olei uiolacei aut nympheacei,

rhosaceiq́; perfusiōe seu illitu. Capiant tales somnum in cubiculo frigido, salicibus aut uitium palmitibus redimito, & area eius iisdem ac similibus instrato. Alimenta præterea boni succi, facilis concoctionis, digestioni minime rebelles, refrigerātes & humectantes à sole ustis iugiter exhibeantur, potus item qui refrigerent & humectent, ipsis propinentur. Decedente iam igitur febre, reuersi ad suam uitæ consuetudinē languentes, tum à pręsatis, tum à cæteris rebus quibusuis calfacientibus arceantur.

### De Diaria ex frigore creata, Cap. III.

NOris quod diecularis febricula ex frigore creata, haud aliter atque ea, quę ex balneis aluminis & sulphuris naturam imitātibus nascitur, corpus arefacit, squalidum ac solidius reddit. Sentiunt hac febre correpti in capite potissimum & reliquo insuper corpore grauitatem: habent urinas candidas, aut ad flauum colorem elanguescentes & pallidiores, eò quod calor naturalis extinctus nō colorare satis hoc excrementum ualuit: arteriarum percussus sunt exigui, ueloces & continui. Paruitatem frigus, uelocitatem & continuitatem, calor à uisceribus receptus creat. Quare inclinata quidem febre sed adhuc tamen inhęrente, languentes in solio aquæ in qua chamæmelum, sertula campana, quàm Græce μελίλωτον nominant, & sambucum siue sampsuchum elixata est, lauādi sunt, qua parumper foti, oleis resoluentibus & dolorem placantibus, puta chamæmelino, anethino, & ex uiolis luteis perliniantur: quorum aliquod sudore prius elicito admoueatur, ne olei uiscosa lentitia cutis meatulos obstruat, si ante sudorem inducatur. Proinde post balneum edulia, quę moderatè calfacient, solium egressis, offerātur, cuius farinæ est, qui ex carnibus boni succi cōstat cibus, ab Arabibus Alissidabegi appellatus, & potus eiusdem naturæ, olei momentum cum aqua calida. Vinum nullum nisi aquosum, album & tenue conceditur. Neq; alienum est intra manus laborantis prunas cōponere, & in eisdem arida tamaricis ligna succendere, spirituiq́; animali bonis odoramentis & speciebus per odoris, puta sambuco sampsuchoue, narcisso, uiolis luteis, nepeta, nardo, malo medico, ligno aloës, & id genus cæteris naribus admotis, aut aliâs adhibitis, robur inducere. Vires enim odore citius reuocantur. Signa.

*De febre Diaria ex solio aquæ astringentis contracta, Cap. IIII.*

FEbrem Diariam ex balneis aquæ astringentis concitatam, tactus arguit. Cutis namq; summa eorum quos talis diaria exercet, tangenti durior, squalidior, solidior, aridior magisq; extenuata, quam in Diaria ex algore prognata, apparet. Præferūtq; imaginem eorum qui manus suas in aqua gallarum, aut corticum malorum Punicorum (granata uulgo uocant) & similium diutiusculè macerant, positaq; manu in quamcunq; corporis partem, calor febrilis sub ea paulatim elanguescit, & euanescit propemodum: pansa deinde & erugata quodāmodo cute, caliditas se sub manu exerit & acrior admodum sentitur: lotium subcandidum atq; subcitrinum siue moderatè flauum existit, quoniam propter solidæ cutis densitatem aquosa retrimenta maximè euacuanda retinentur: oculi ipsorum minimè profundi ac concaui, sed quandoque emisitij & inflati quodammodo cernuntur: arteriarum percussus non est, perinde atq; eorum, qui ob altas cogitationes, animi molestias, tædia, uigilias, tristitiam, iram & labores deniq;, febricitāt, paruus, quoniam uires integræ nihil deijciuntur, calor, relictis corporis partibus extremis, interioribus uisceribusq; insinuatus, neq; resoluitur neq; finitur. Neq; hic te lateat quod eiusmodi febris non cōcitatur ex induratione corporis, sed ex resolutione uaporis feruentis, udi & sanguinei. Quum induratur, repletio oboritur, & quum uapor, seu spiritus æquò calidior ac siccior absq; ulla prorsus putredine euadit, febris ephemera creat: si putredo his accedat, febris putrida emergit. Succurritur huic Diariæ eisdem remedijs, quibus ephemeræ ex frigore natæ, nisi quod illis diutius balneo, quàm istis est immorandū, eò quod maiore opus habent resolutione. In solio autem haud ita diu multumq; uersandū. Olei usus sit exiguus, neq; eius ultra momentū semel olei unq̄ adhibendū. Inunctio multa probatur, lenisq;, tantisper, dum cutis leniatur, & superfluitates in corpore retentæ resoluātur. Cibus esto boni succi, coctu facilis & digestioni idoneus. Vinum quàm maximè circumcidendum, si durities sit minimè multa, si contra sit eadem multa, à uino in totū est abstinendum, quoniam uinum sua natura retrimenta dispergit & in diuersas corporis partes dissipat, & calorem excitat impensè.

*Curatio.*

*De febre Diaria è cibis calorificis excitata, Cap. V.*

EX esculentis & poculētis calfacientibus Diaria frequentius in spiritu naturali præter naturam incalescēte, quàm in cæteris succenditur,

ditur, propterea quod iecur, quod eius spiritus domicilium est, a calorifi-
cis dapibus potuq; calido propius, quàm cætera uiscera affligitur, & in-
calescit, eoq; talium etiam urinæ ocyssime rufo colore innaturalem calo
rem præferunt. Quiq; ea febre conflictantur, in eodem uiscere manifestũ
caliditatis excessum sentiunt. Quocirca ad eius rectam curãdi rationem
comprimis ea quæ suapte natura hepati sunt amica, urinam proritant
& refrigerant, opem conferunt. Ex quo censu, Syropus oxalidis qui ace
tosus dicitur, aut oxymeli factum cum saccharo, & aqua malorum Puni
corum acidorum, & id genus cætera remedia habentur. Foris autem io
cinori superinducatur epithema naturæ frigorificæ, quod ex sandalis, a- *Epithema frigidum.*
qua salicis, rosis, floribus nymphee, spodio, & caphura (quam Campho-
ram uulgo nominant) constet, & malum breui hoc pacto discutietur.

*De febre Diaria ex labore corporis eueniente. Cap. VI.*

QVi ob labores quos corpus subit, puta, uehemens quodcunque
exercitium, siue pedestris inambulatio siue equitatio, siue lucta
sit, calore plus iusto citra putredinem succenduntur. Horum ar
ticuli omnes præcipue, deinde spiritus etiam uitalis, priua
tim uero animalis incendio febrili flagrant, propterea quod uapores sur
sum exhalantes, cor ac cerebrum in sublimi posita facile tentant. Com-
muniter quidem corpora laborantium, sicca sunt, proprie uero siccitas il
la non diu, nisi labor sit admodum uehemens perseuerat. Humiditas dein
de rori aut uapori ex calore nato similis exhalat e corpore, quum udum
ex humoribus adtractum siccitatem humectat, ac ueluti imber obiter a-
spergit: Si labor fuerit multus, siccum præstabit etiam uel in morbi decli
natione corpus, quo tempore percussus quoq; arteriarum pusillus est,
Sin labor non multus, pulsatilium uenarum percussus erit magnus & fre
quẽs, quia propter caliditatem & siccitatem citra intermissionem aër ne-
cessario attrahendus est. Vesicę excrementum, ob laborem & uirium de
bilitatem tenue ac subtilius redditur. Tenuitatem urinę etiam motus qui
corpus accendit, conciliat. Neq; caloris aliquid in articulis & compagi-
nibus ex mutua motus frictione percipiũt. In huius febris curatione non
admodum medicamentorum præsidijs subuenire student medici. Abun-
de hic faciunt, & sanitatem imprimis uindicant, quies sola inducta, & ani
mi tranquillitas. Contraria quippe, iuxta Hippocratis sententiam, cõtra-
riorũ sunt remedia. Inclinata porro febre relictis tamen adhuc uestigijs,
in solium

in solium descendat aquæ tepidæ, tantisper dum æger humectetur. Neutris tamen diutina in balneo mora trahenda, neq; illis qui ob labores, neque istis qui ob uenena diariam incurrunt, quia iuxta utriusq; mali caput est, siccitas. Si anni tẽpus calidum & aridum sit, & febrientis temperamentum eiusdem sit naturæ, perliniatur oleo uiolaceo, oleo ex nympheæ floribus confecto, cum aqua non multa. Sin anni tempus & ægri temperies frigida ac humida sit, inungatur cum oleo ex uiolis luteis & chamæmelino, idq; cum illinitione & frictione leni, temperata, & multitudine moderata, quo ad corpus humectetur. Post eiusmodi olei usum tantisper in solio aquæ tepentis sedeat, dum instauretur corpus, & arceatur ariditas. A solio protinus oleum inducemus, ut humiditas ex aquæ lauacro conciliata melius cõseruetur. Interdicemus sic habẽtibus omnia simpliciter exiccantia, præsertim Venerem, quoniam non solum exiccat, sed firmitudinem destruit, ac summe debilitat. Alimẽta exhibeantur humida, & excrementitia humiditate prædita & distributioni apposita, sumantur ea quidem liberalius, modo non confertim, sed pluribus uicibus. Vini denique non ueteris & diluti, ut affatim humectet, usu moderato utendum.

### De Diaria ex calore animi oborta, Cap. VII.

Signa. QVos ephemera ob iram exercet, eorũ oculi curriculo subinde uel conniuent, uel discurrunt, prominent item foras, ac ueluti ꝓterui egrediuntur, quoniã insitus calor e ꝓfundo ad exteriora in sontiũ qui adficiũt uindictã, mouetur. Vultus rubore suffunditur, ob sanguinis motum ad eas, quæ oculis obijciuntur corporis partes, & præfertur corpus pinguitudine refertum. Non raro metu cum iræ motu permixto, color ad aurum inclinatur, & flauus euadit. Vrinaque flaua, &, ut uulgo uocant, citrina, non tamẽ acris apparet, pulsus citus, elatus, & magnus propter motionem exilit, & feruor ingens toto emicat corpore. Heic protinus summa adhibeatur sollicitudo, ut placetur & componatur iracundia, & animi impeditus, ac facilis inducatur anhelitus, rebus delicatis & plausibilibus, quæ si oblectamẽto sunt, non tam corpus quam animam refocillant atq; conseruant. Deinde ratio uictus talis esto. Alimenta offerantur optimi succi, naturę algidæ & udæ. Vinum ex toto circuncidendum, donec omnis discutiatur calor, nam uinum suapte natura

Balneum. calorem suscitat. Abstinendum insuper in totum est a balneo, siquidem a sua proprietatę materiem in corpore contentam putrefactioni quã maxime obnoxiam

me obnoxiam reddit,& febrem incendit, aut particulis quibusdam corporis affigit,& abscessus gignit, In huius febris curatione summum cordi principi ex uisceribus studium est adhibēdum, quoniam huius febris caput à solo corde proficiscitur,hoc est,à spiritibus uitalibus.

*De diaria ex sollicita cogitatione & tristitia,* Cap. VIII,

SI quem Diaria ob mœstitiam & altas cogitationes inuaserit,deprehendes hoc pacto. Oculi fortassis ultro citroq; celeriori motu agitantur,& emissitij foràs magis magisq; prospectant,aut quieti ueluti in profundo ceu scrobibus septi,submersiq; iacere uidentur. Cæterū qui alta mente sollicitius quidpiam secū repetūt,ac animo diu multumq́; uersant,fieri potest,ut rem quæ animum afficiat ac perturbet,secum cogitent. Vbi igitur magna sollicitudine student id, quod unicè uenantur assequi,& ne omnem rimandi lapidem frustra moueant, non parum metuunt,insitus calor submergitur,& membra,quæ mouentur, ad interiora tendunt,& proinde oculi eorum subsident,& ad imum lapsi concaui redduntur. Vel læta,& qui nam ex discrimine reduces euadent,haud oscitāter cogitant,eoq; diuersum planè,ab eo quod dictum est,usu uenit, Arteriarum percussus,si calor tentat interna,exiguus est,sin ad externa diffunditur,magnus:lotium tam acrè existit,ut meatum urinarium acredine uellicet. Heic quoq; medendi methodus à contrario auspicāda est. Lætitia igitur confestim,tripudijq́; spes,ocium item & à multa cogitatione uacatio securitasq́; summa accuratè præscribēda sunt. Quoniam ut philosophus Plato minimè ψευδόλογος testatur,iugis & sine modo cogitandi turba,animum conficit. Soluta porrò febre in solium dulcis aquæ tepentis tantisper,dum corporis siccitas arceatur,sedere non dubitent. A solio repente, ad humiditatem ex lauacro conciliatam melius conseruandam corpus oleo humectante & infrigidante, uerbi gratia, uiolarum & nympheæ accurata illinitione fouebimus : Fugienda uerò frequens cum inunctione frictio,ne profligata inde humiditate ariditas inducatur, Vitanda breuiter & cūcta,quæ siccandi facultatem obtinent,præcipue Venus,quoniam non exiccat solum hominis corpusculum, sed uires etiam eius conuellit ac deijcit. Alimenta exhibeant humectandi uirtute prædita,boni succi,non peruicatia concoctu,& digestioni apposita : Cuius generis sunt,carnes pullorum,coturnicum,hœdorum,uolucrium & cæterorū quę mollibus cōstant carnibus pisciumq́; saxatilium. Ex oleribus,Bli Platō

 tum,lactuca,

tum, lactuca, atriplex, cucurbita, ſpinachia, intybus, & id genus. Cogitationes quippe, & omnes res quæ uirtutem animalem exercent, & uexãt uerius, præ cæteris corpus ne dicam & oſſa quàm maximè areſaciunt. Cuius rei argumentum euidens ſatis, uel inde ſumi poteſt, quod ij qui à cogitatiõibus illis anxijs, triſtitia & tædio liberi ſunt, magna ex parte cun cta, quæ edunt probè conficiunt & digerunt. Qui uerò ſine modo ardua quæq; & res ſerias ſedula cogitatione reuoluunt, mæroreq; afficiũtur, minimè quicquid edendo abſumũt, concoquunt, etiam ſi non cõtumatia co ctioni & diſtributioni idonea & parum multa manducarint. Vino utendũ heic eſt horno non ueteri, aquoſo & diluto, quò humectet impenſius, Sit autem uſus ipſius temperatus & modicus, ne ſua nimietate corpus exic *Vini uis.* cet. Nam ſi uinum nõ citra modum hauritur, uigilias diſcutit, & ſomnum conciliat, eò quod cerebrum humectet & irrigat, mœſtitudinem profligit, lætitiam concitat, curas, afflictiones abigit & cum ſpe diuite manet. Atq; in uniuerſum omnis uictus ratio, infrigerãdi & humectãdi potẽtiam obtineat, & ab omni exiccatione immunis ſit. Quæcunq; enim exiccant, alieniſſima ſunt, præſertim (ut commemoratum eſt) concubitus, periculũ enim, ne inde ex Diaria ſebre hectica euadat.

### De Diaria ex uigilijs, Cap. IX.

*Notæ.* Diaria quæ ex uigilijs oritur, his notis inſignitur. Facies ęgri colore flauo, pallente, melinòue ſuffunditur, ne dicam & reliquam corporis cutem eodem colore propter biliosi humoris ex uigilijs agitationem inſici, ſomnus nullus, uel ſaltem modicus fębrientem reficit, corpus in totum aridum ac macilentum euadit, ob concoctionis & diſtributionis defectum. Oculi frequentia motus reſoluti immodicè concaui, & ueluti ſcrobibus quibuſdam reconditi cernuntur, palpebræ ægrius mouentur. Arteriarum percuſſus, ob imbecillitatem uirium, perexiguus ac tenuis. Lotium acrè quidem, ſed crudum & turbulẽtum exiſtit. Qui *Curatio.* ob uigilias febricitãt, itidem per res uigilijs contrarias reſtituuntur. So*Cõdimentum ſomni.* mnus itaq; extemplo ita affectis arte cõciliandus ęſt, capitis irrigatione, ἐμβροχὴν Græci uocant, ex aqua dulci tepida, in qua chamæmelum, uiola ſicca, roſæ, nymphea, hordeum cortice nudum, & papauer elixata ſint. Oleo item aſtrictionis experte, affatim pertundẽtur. Manus ac pedes tantiſper dum uapores à capite ad inferiores particulas deriuentur, ſuauiter perfricẽtur. Cibi exhibeantur humidi & facilis diſtributionis. Vina non

aromatica,

aromatica, oligophera, & minime annosa: Vitāda, uno uerbo, sunt omnia quæ corpus exiccant, precipue Venus. Perseuerandum autem in ea ratione uictus & curatiōe, dum corpus restituatur, & sanitas recuperetur, & somnus nocturnus postliminio reuertetur, quoniam is tranquillitatem sæpius conciliat, & secundum naturā existit. Deinde calor ille naturalis noctis frigiditate & humiditate in uiscera se penitus insinuat, cōcoctionem adiuuat, & munus eius absoluit. Postremo quia tenebre nocturne, sensibus quietem conciliant: Meridianus uero somnus, cōtraria ex causa contrarium efficit, matutinus uero ad quartam usq; diei horam, inter præfatos, medium bonitatis locum obtinet.

### De febre Diaria ex Inguinum dolore succensa. Cap. X.

NOtatu non indignum, quod inguinum dolores ex ligamentorum & lacertorum, qui coxendicū radicibus adiacent, affectionibus proueniūt, eo quod hulceris aliquod genus uel pedes uel crura uel utraq; occupet. Natura nanque tota in hoc est, ut hulcus corrigat, eoq; proinde tum sanguinem, tum flatus pertrahit, quę quum inguina perreptant, spōgiosæ raritatis ergo infartiuntur, & creatur abscessus. Cuius si causa hulceris modo inchoauerit, febris superueniet diecularis, si ex antecedente causa & procatarctica, uerbi gratia, repletiōe, febris putrida. Prodit etiam hāc febrem arteriarum percussus, siquidem magnus, admodum citus, creber & ordinatus existit. Et quod mador quidam calidus ac pungens, ex imo corpore emersus, summam cutem roris instar irrigat. Facies rubore suffusa, magna ex parte inflatur, rubedo tamen illa, sanguinis colorem imitatur, prçsertim ipsius inflatio, Vrina item subcādida. Quos huiusmodi febris exercet, hac ratione medendi sunt. Auspicādum est a balneo, iubebimus itaq; laborantem in lauacrum descendere, & diutina inibi mora uersari, adhibita frictione moderata citra oleum, quoniam corpora humectat & cutis meatulos obstruit. Alimenta boni succi & tenuium partium administranda, & caro, breuiter, omnis summe interdicenda ita habentibus est.

*Causa et notæ.*

*Curatio.*

### De febre Hectica Cap. XI.

HEctica febris appellatur, quod fixa, perpetua, ac ueluti in habitū corporis acta sit, & difficulter soluatur, quoniam uidelicet calor prçter naturam succis non putrescentibus in solidis etiam corporis partibus existit. Hec duplici genere dirimitur, quorum prius magna

quidem ex parte ex ardentibus febribus nimiū protractis accidit, alterū citra febrem, citraq; dolorem senum corpora, calore naturali ob immodicā resolutionem extincto, inuadit. Quā hecticę speciem Philippus Medicus, ex morbo senium uocat. Nos uero complures uidimus tum senes, tum pueros, tum adulescētes, quos eiusmodi febris, calore naturali etiamdum restante, aut morbi uehementia extincto, & ęgritudinis & dolorum transitu, exercuit. Genus autē primū tribus speciebus distinguit, eo, qđ constet quatuor in humano corpore humores contineri, unum quidē, in mēbris instrumentalibus: alium, in locis uacuis, & alium, in carne noua, & quę etiam dū creatur, ut instauret cuiuslibet particulę substantiā. Proinde humiditate in instrumētis, puta uenis, arterijs, contenta, pręter naturā incalescēte, corpus etiā uniuersum plus æquo succendit, cui si accesserit putrefactio & corruptio, febris putrida in uenis & arterijs generat. Si uero humor qui in locis uacuis continet, præter naturā, & flagrat & imminuitur, prima hecticę febris species suborit. Sin humiditas carniū succendit, & minuit, altera Hecticę species, quę Gręcis μαρασμός, Latinis tabes, siue Marcor appellat, emergit. Eius natura est algida, & sicca, congelat quippe, & arefacit. Si postremo humor, qui partes instaurat solidas, ardore insolenti incalescat et decrescat, alia febris, quę omnino μαρασμώδης, hoc est, tabida existit, usu uenit. Cuius natura, siue, ut ipsi loquunt, intentio est, extinguere & cōstringere, siue dissoluere. Quorū sane specierum primā, non est admodū difficile curare: alterā difficile, tertiā, nō modo difficile, imo etiam impossibile. Iuxta uero sententiā quorundā istæ tres Hecticę species hoc pacto inter se dirimunt. Primū utiq; si corpus cordis natura calidius præter naturā accendit & uehementius ardet, humor uero ipsius adhuc inconsumptus persistit, & quasi ebullitio quædā in eo apparet, primā hecticæ febris speciē uocare cōsueuerunt. Si uero inter ebulliendum humiditas cordis funiculi lucernæ modo perusta consumat, alterius hecticarū febriū generatio est. Si mēbrana similariū partiū, puta neruorum, arteriarū, membranarū, & similiū, uel immodico ardore uel immoderata ariditate offendunt, tertia hecticarū febriū species accidit. Ad notas autē uniuscuiusq; speciei quod attinet, singulæ his signis discernunt, siquidem Diaria febris ex ira, aut mœstitudine, aut multis cogitationibus orta, in secundum aut tertiū usq; diem extendat, atq; ad nullā penitus infebricitatione uenit, & in eodē febris tenore, a principio ad eundē usq; diem persistit,

*Seniū ex morbo.*

*Quatuor humores in corpore.*

*Marasmus.*

*Notæ.*

ita ut nihil uehementiæ accedat, & nigredo, maciesq; ac pallor & citrinitas in colore & forma elucet, primã hecticæ febris speciem esse reputa. Si uero memoratis indicibus acrior caliditas superuenerit, quum cibi sumũtur, qualibet hora fuerit, quoad aliud nihil quàm febrem auctiorem redditam iudicabis, & eius solutionem prospicis, utique febrem ad secundam Hecticæ speciem peruenisse autuma, & non sine certo præiudicio. Dapes boni & temperati, succi per biduum aut triduum diuersis tẽporibus offeres. Quum itaq; istud perpetrans, id, quod commemorauimus, usu, ut solenne & consentaneum est, uenit, magna cum fiducia secundam Hecticæ speciem esse pronunciato. Tertia species Hecticæ, signis admodũ manifestis depræhenditur, oculi immodicè concaui, ueluti quibusdam quasi scrobibus recõditi, atq; in imum, exhausta omni ipsorum humiditate, submersi uidentur, sordes ac lemę in ipsis aridę apparent, palpebrę prę grauitate ceu somnolentę identidem conuenit. Supercilia sursum eleuantur, decũbentibus igit̃ lumina arescunt, & subinde serãtur. Spatulę ob tabem carne exutę instar alarũ prominent, color faciem cinericius deturpat, & squalidus quidã affectus, cuiusmodi eorum, qui sub solis æstũ iter longum per puluerẽ fecerũt. Cutis in fronte tota facie arida distensaq; est, flore uitali extincto. Contabuerunt carnes temporũ adeò, ut collapsa uideant̃ & concaua loca, breuiter nihil aliud pręter ossa cutemq; solã habẽt. Nam si denudatũ uentrẽ inspexeris, neq; intestina neq; uiscera superesse uident̃. Cutis eorum tangẽti non admodũ calida, sed adprimè arida uidetur, quã si digitis appręhendens extendere libeat, instar corij cuiusdã existit, quã constitutionẽ summa imbecillitas uniuersi comitatur. Pulsus arteriarũ tenuis, debilis, durus & frequens. Tenuitas & debilitas, uirtutis imbecillitati acceptę referunt̃, sicuti durities siccitati, & frequentia ardori. Arteriæ uerò ipsę chordarũ modo, manus admouenti extendi uidẽtur. Vrina sic affectorum oleacea est, in qua laminea quędã contenta, alio nomine squamis similia, dicuntur Græcè πεταλώδεις, natant ac subsident, propter colliquationẽ totius corporis uel alicuius partis, pręsertim solidę que tabescit, quę dum in matulã aut quodcunq; aliud uas aquæ infunditur, olei instar strepitũ edit. Hactenus de trium febrium primę speciei Hecticę notis abundè. Secundæ autem speciei, & ex algore immodico & siccitate prognatæ indicia hæc peculiaria sunt. Pulsus debilis, tardus, inæqualis, lotium candidum & tenue, iam curatio aggredienda.

*Curatio Hecticarum febrium.* Cap. XII.

HEcticarum febriũ curationis summa, in uictus ratione maxima ex parte frigida & humectante collocatur. Quod si Hectica, citra aliam febrem ex humorum putredine natam, & ab omni materia putrefactioni obnoxia immunem existit, lacte asinino exquisitæ propinato, ad propositum affectum nihil est utilius. Esto autẽ asina, unde lac sumitur, colore flauo, ætatis maximè florentis, quæ haud multò ante sit enixa, cui pullus, si quem lactat, auferendus, & præstat sanè ipsum ex ipsis statim mammis sugere, quoniam in aëre si moratur paululum, celerrimè corrumpi mutariq; consueuit. Esto autem lac quod hauritur splendens, lene, & mediocris essentiæ, sic, ut super pollicis unguem instillatum, neq; citius neq; cunctatius uerso ungue delabatur & super speculum guttatim fusum, non protinus ad margines expandatur. Pabulũ autem asinę exhibeatur ex herbis frigorificis & humectantibus, cuius farinę sunt, coriandrũ udum, tamarix aquatica, endiuia, intybus, & hordeum album. Potus sit, aqua dulcis, de qua conqueri non possit. Nam quum idoneis nutrimentis alitur animal, & frugi potu utitur, lac inde inculpatius & pręsentioris auxilij generat. Vtile etiam alimentum ægris præbet ptisana, pisum (mes uocant Punici) cum atriplice, blito, uiola, aut lactuca, aut cucurbita. Pro potu propinetur aqua malorum Punicorum, muzorũ, & aqua cucurbitę. Collocabimus insuper ægrum in labrum aquæ, in qua folia cucurbitæ, hordeum cui detracta cortex sit, uiola, nymphea, lactuca & id genus cætera elixata sint, quo in lauacro ad unguem temperato, non nisi moderatè commorandum. Vbi extra ctus fuerit, oleis frigidis & alijs humectandi facultate præditis, priusquàm se uestiat, inungendus erit, è quorum numero hoc linimentum in primis congruit, quod oleo nympheę, uiolaceo, rosaceo, & cæra candida seu pinguedine suilla constat. Cõferunt item oleum de semine cucurbitæ dulcis, de papauere, & butyrum illitum. Quoniam ista singula corpus humectãt, & humiditatem ex balneo conciliatam tuentur, conseruant, & ne corpus iusto digeratur, exigua spiramenta obstruit. Quod si robur corporis sit ualidum, priusquã se solio calidi credat ægrotus, mulgeatur in corpus ipsius lac ex papillis mulieris, aut uberibus asinę, seu capræ, quandoquidem idipsum recens mulctum impẽdio humectat. Si firmitudo & uirtus corporis imbecillior sit, lac solio aquę commemorato permiscendum ducito. Neq; unquã in solio longiore spacio uersari expedit Hectica implicitis, multoq;

minus ſudare, ne uidelicet quippiã de proprijs ſuccis hauriatur, & uiribus deſtituatur, liqueſcat, & extenuetur. Neq; linimẽtum unquã ante lauacrũ inducatur, ne cutis tenues meatuli olei uiſcoſitate obturẽtur, & aquea humiditas penetrare, & ſolidas partes rigare nequeat. Lauationum autem modus ſic habet: Mane ſumpto lacte, ſemel in ſolium deſcendat, lauetq; à cibo ac potu, ubi quieuerit, ueſpere rurſum idem faciat, donec lauacri calor à uiſceribus ſuccos è cibi & potu natos excitet, & in reliquum corpus diducat ac digerat. Vbi uerò febrilis calor iam ſedatus decreuerit, & corpus à materia putredini obnoxia depurgatum fuerit, bubulum quoq; lac, butyro & pinguedine exutũ, haud inutiliter propinat̃. Modus autẽ ſolennis eſt à principio fere denarij decẽ, deinde paulatim dationi adijcit̃ uſq; ad denarios triginta. Si uirium firmitudo & coquendi facultas ſuadeãt, ac opem ſuam polliceantur, etiam ſi ampliorem menſuram exhibeas, nihil delinques. Sed miniſtrabis id ipſum cum ſeſquidenario horum paſtillorum, quos τροχίσκους Græcè iam omnes appellitant.

*Paſtilli in febre Hectica cum lacte bubulo, butyri experte, utiles.*

Sumantur
- Spodij, Glebę Armeniacæ — añ. ſingulorũ denarij quatuor.
- Roſarum
- Seminũ
  - Citrulli, Portulacæ, Cucurbitæ dulcis — añ. drach. tres.
  - Succini quod Græci ἤλεκτρον dicũt, Arabes Charabe, denarij tres.

In ſumma ſimplicia ſunt ſeptem, quę in pila trita per cribrũ traijciant̃, & cum aqua arnogloſſi diluta redigant̃ in paſtillos, qui exhibeant̃ modo iam præfato. Ipſi nanq; à febre præſeruant, tuent̃, & præſentẽ profligunt. Si febris uel adſit, uel immineat, corpore à materia putreſcente, & febrẽ putridã progignente neutiquã puro, ab omni lactis genere cauendũ erit, in cuius uicẽ aqua hordei cum cancris fluuialibus elixa propinet̃. Sint autẽ cancri huic uſui delegati uiui ac recẽtes, quibus adimant̃ cortices, pedes atq; dentes, abluanturq; accuratius aqua frigida, cinere, & ſale tribus uicibus tantiſper, dum grauẽ fœtorẽ exuant, deinde eoſdẽ denuo ſola frigida lotos atq; deterſos cõterito, & cũ aqua hordei depurati decoqto, cuius decocti modus eſt ſelibra, cũ huiuſmodi paſtillorũ pondo aurei unius, quorũ ſic habet deſcriptio. *Aquæ hordeĩ cũ cãcris præparatio.*

*Paſtilli alij ad Hecticam febrem accommodati.*

Accipe
- Arnogloſſi
- Gummi
- Dragachantæ
- Amyli — Singulorum denarios tres
- Glebæ Armeniacæ
- Spodij — Cuiuſq; denarios quatuor
- Papaueris albi denarios quinq;
- Roſarum denarios ſeptem.
- Seminis
  - Cucurbitæ dulcis
  - Portulacæ
  - Citri excorticati — Cuiuslibet denarios ſex
  - Cotoneorũ a corti- ce mundatorum
  - Melonum
  - Cucumeris — Vniuſcuiuſq; denarios ſeptẽ
- Succi Glycyrrhyzæ denarios decem

Sint uno faſce omnia numero quindecim, quę contrita & cribrata dilu antur in lentore pſilij, & redigãtur in paſtillos. Cuius aureus, ut traditum eſt, unus, cum aqua malorũ Punicorũ, quę granata dicuntur, & Medicorum Citrea appellata, ieiunis exhibeat, & unã poſt horã aqua hordei, ceu memoratũ eſt, porrigat. Cibus illorum, ſit cucurbita cum atriplice adiecto blito, uel phaſeolis, piſaue, cortice detracto, oleo amygdalarũ dulciũ, ac de ſemine cucurbitę dulcis admixto. Sub ueſperã corpus perliniat aqua malorũ Punicorum muzorũ, oleoq; nymphe̢e, atq; ex ſemine cucurbitæ dulcis cõfecto. Habitet hoc pacto affectus in æſtate, & qualibet cõſtitutione tẽporis calida, in ædibus ac cæteris locis frigidis, ſalicibus, roſis, myrto, floribus nympheæ, uiolis ac uitibus redimitis atq; inſtratis. Quod ſi languentẽ animi deliquium, quã ſyncopã uocant, corripiat, artubus extremis linimentum ex aqua myrti, roſarum, ſandalis, camphora, uiolis, roſis tritis, ligno aloës crudo, epithematis modo imponatur, aqua roſacea ſemper roris modo aſperſa, ſumma diligentia & ſtudio adhibita, ne quid in patientis corpore liqueſiat ac reſoluatur. Alimentum optimum eſt ſic affectis, luteum oui ſorbile, medulla panis, uino nec odorato, nec annoſo madeſacta. Confert etiam mirifice huiuſmodi decoctum cum modo ſumptum, ſubtilis hœdi caro recens ac potior prę̈ſertim ex coſtis

*Mes ſiliquis ademptis.*

eligetur, &

eliget, & in perexiguas portiũculas minutatim incisa, in olla noua nõ sordida cum salis momento clementer decoquatur, quoad acor ipsius effluat ac promaneat. Postea per colam traijciatur tantundem aquę malorum superfusa, & decima omnium parte uini optimi aromatici, quod tepefactũ magna commoditate propinatur. Quod si a malo uincente, ægrũ iam ex morbi diuturnitate uiribus in totum destitutum, & artus atq; membra siccitate ac senio confecta extenuataq; conspicias, & tabida propemodum ita colliquari, ut uenæ prorsus exangues uideantur, manuumq; ac pedum insuper musculi non tabescunt solum, sed euanescunt etiam hunc nulla curatione adhibita ceu deploratum relinquas, solet enim id malum esse ut plurimum immedicabile. Omne uero iuuandi studium huc enixe contendat, ne natura hac febre & tabe (quã φθίσιν Græci dicunt) correpti soluta succumbat. Si uiribus prostratis iacere uideatur, aquæ hordeaceæ loco, ptisanam hordei (dicitur autem πτισάνη, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, id est, a pinsendo quia pila tundebat) decoctam, excoriato cum milio obiter assato præbeamus. Quin & gummi torrefactum & in puluisculum redactum spargere super expedit, conducunt item magnifice, qui subijciuntur pastilli. πτισάνη.

*Pastilli in Hectica uiribus deiectis, & natura succumbente præsentis commodi.*

| | | |
|---|---|---|
| Sumito | Boli Armeniacę denarios quinq; | |
| | Seminis oxalidis (quem uulgo acetosam uocant) decorticati & torrefacti. | Vniuscuiusq; denarios sex |
| | Oxycanthæ, quã Berberim nominant. | Vniuscuiusq; denarios sex |
| | Castanearum tostarum | Cuiuslibet denarios quatuor |
| | Rosarum | Cuiuslibet denarios quatuor |
| | Spodij | Singulorum denarios treis |
| | Succini | Singulorum denarios treis |

Summa ingredientiũ sunt septẽ, quæ friata & per incerniculũ traiecta, aqua cotoneorũ seu malorũ diluta redigãtur in pastillos. Vnde Hecticis uel conclamatis matutino tẽpore cum aqua pirorũ, quantũ uidebit, offerat. Vespere uero herbę pulicaris (quã ψύλλιον Græce cognominãt) tostę aurei pondo, & cancrorum ad unguem assatorum denarij pondo unius, gummi torrefacti tantundem, glebæ Armeniacæ aureus dimidius simul commixta cum aqua malorũ exhibeantur. Alimentum conducit sic patientibus, oxalis elixata, uel in patella cum amygdalis dul. suis cum corticibus tostis cocta. Lentes præterea suo cum cortice torrefactæ & cum

aqua

aqua ſemel elixæ, deinde eodem decocto iterum cum aqua malorum Punicorum, & Rhu obſoniorum aqua ſuccoq́ue cotoneorum elixatæ conferūt. In potu cremor, ſeu ptiſana meſpilorum, ſiue labruſcæ omphacijúe, ſiue de acinis granatorum deq́ malis abſq́ ſaccharo cremor, exhibeatur. Et ſi res exigat porriges etiam confectionem (quam Arabes Suffuf dicūt) de acinis malorum Punicorum cum gummi Arabico, ſucco eupatorij & ſucco hypociſtidis, & radice rubeæ, & granis myrti, ſi nulla adſit tuſſis: ſi hæc adſit, detur gummi Arabicum, bolus Armenius, pſilium, caſtaneæ, grana myrti & merus ſyropus myrtinus. Si lancinantur, & exulcerantur inteſtina, utere infuſo, (quem Græcè iam omnes clyſterē nominãt) cuius facta mentio eſt, in capite de Excoriatione. Aliam hecticę febris ſpeciem, quæ ex morbo ſenium appellatur, hac ratione curare ſtudebimus: Primū
*Senij curatio.* omnium ſumma curationis in hoc conſiſtit, ut corpus ſcitè calefiat, à leuioribus uerò ſemper remedijs calfacientibus auſpicandum & temperatis maximè, deinde ad ualentiora paulatim progrediendū. Quocirca à principio ſtatim offerenda ſunt, condimentū citri & zingiberis, & radicis Iringi, quam ſecacul dicunt Arabes. Conuenit & lignum aloës alimbigetue.
*Alisfidabegi.* Probatur etiam magnificè alisfidabegi cibus, qui conficitur ex carne ouilla atq́ pullina. Potus ſit, uinum non uetus copioſum. Conducit in hac febre ſolium ex decocto chamæmeli, ſambuchi, lilij, & conſimilium. Commendatur & uirium corroboratio, quæ nares demulcentibus calorificis odoribus conciliatur, uerbi gratia, narciſſo, citro, ſambucho, ſampſucho, lilio, ac ſimilibus. Confiat inde ſuffitus, qui ex recenti ligno aloës ſubinde inſtructus plurimum iuuat. Quod ſi uires corporis conuulſæ utcunque deijciūtur, reparare eas exhibita in potu theriaca aut Diamoſchi, aut confectione Mithridatis conabimur. Fugienda porrò in hac etiam ſpecie Venus, ut omnium alieniſſima, utendum uerò et clyſteribus, nempè eo quòd iſtis ad hunc modum conficitur. Accipiantur caput ac pedes arietis, conciſa & contrita, conijciantur in ollam egregiè mundam, & ſuperfundatur aquę iuſta quantitas, atq́ adijciantur deniq́

- Tritici } Singulorum quantum ʒ digitis cõpręhendi poteſt,
- Hordei } uulgò pugillum nominant.
- Anethi
- Chamæmeli
- Ciceris imperialis, quã herbam Arabes haſech indigitant. } Vniuſcuiuſq́ unciam unam.
- Ficuum numero decem.

Coquantur

*Coquantur unà omnia ad tertias, & colo diffundantur, accipianturq́;*

| | |
|---|---|
| Iuris decocti | Libra una |
| Butyri bubuli | Vncia una |
| Olei Sisamini | Vnciæ duæ |
| Olei Balanini, q̃d Ben dicit̃ | Vncia una & dimidia |

Cõmisceantur singula, fiatq́; lauamen, quem clysterem nominãt, quod per triduũ inijcito, quinq; deinde dierũ spacio à talibus in totũ supersedeto. Mox eũdem clysterem, quoad satis humectetur, & impinguetur hectici corpus, identidem inijcito. Iuuat etiam noctu corpus linimento ex oleo narcissino & alba cæra contexto, oblinire. Cibi loco luteũ oui quotidie pro ientaculo mane utiliter exhibetur, & uini nõ multũ, neutiquàm odorati. Post hæc lauacro credatur ægrotans, in quo tẽpus haud ita longum commorari expedit. Ex quo ubi iam extractus fuerit, offeratur cibus carneus, cuius antea meminimus, zingibere, spica, cinamomo & galanga conditus, & id genus nonnulla. Postremo, somnũ quiete conciliet, ac dormiat. Quæ ratio uictus tamdiu studiose obseruanda, dum corpus instauratum ad suam ueluti naturalem constitutionem tanquàm postliminio reuertatur.

*De febre Continente, quam hodie omnes Græcè Synochon cognominant, quæ utique sanguinea existit.*
*Cap. XIII.*

ΣYNOXOΣ, hoc est, continens, febris est, quæ non statis suis horis ac periodis certis identidem consurgit. Sed quæ in una accessione ab initio ad finem usq; perpetuò perseuerãs in plurimos dies porrigit. Oritur hæc ex sanguine utique bifariam, nam si is citra putredinem prorsus quàm par est amplius incalescit, ex Diariarum febrium genere synochus euadit, & appellatur synochus nõ putrida. Si autem manifestã cum ardore putredinis notã habeat, præsertim in magnis partibus instrumẽtarijs, & amplioribus uasis uehementior accidit febris, quæ uerè synochus, & putrida quidem cognominatur, & eius sanè synochi tres sunt differẽtiæ: Nã quędã illarũ semper à principio qetior, deinde paulatim auget, & exiguũ aliquid adijcit, eò, quod id quod putredinẽ experit̃ copia excedit id quod resoluitur, eam Gręci ἀναβατικὸν καὶ ἐπακμαστικὸν, hoc est, incremen-

tum suscipientem,

tũ suscipientẽ, aut inualescentem nuncupant. Quædã principio acrior insultat, mox paulatim diminuitur & decrescit, quoniã id quod resoluitur, superat magnitudine quod putrescit. Hãc παρακμαστικὸν, id est, decrescentẽ Græci nominant. Alia ab initio ad finem usq;, eadem ad unguem quantitate & uehementia perdurat, quoniam id quod resoluitur, cum eo quod putredinem sentit sua utraq; copia ad amussim respondent. Vocatur hęc Gręcis ὁμότονος, καὶ ἀκμαστικὸς, hoc est, in eodẽ uigore perpetuò persistẽs.

Notæ. Notis huiusmodi febris hæc depręhenditur: Facies pariter & oculi rubore suffundũtur, tempora inflantur, corpus uniuersum conspicua repletione, segnitia, lassitudine, & grauitate laborat. Capitis dolor cum inflammatione & grauitate infestat, calor & humiditas corporis augentur, pulsus magnus est, uehemens, citus, plenus & lenis, cum arteria nec duriore nec molliore. Vrina tenuis essentiæ, non multum à naturali dissidet, nisi quod paulò coloratior, conchiliorum sanguini propius accedit. Quin & suspirium, quod asthma uocatur, hanc interdum febrem comitatur, tum propter magnam sanguinis & caliditatis copiam, tum quod aliquid uaporum pectus tentat, & brachijs pulmonum infarcitur. Porrò curatio prædictarum differentiarum, quiddam commune, quiddam singulis proprium habet. Ea quę ex diariarum febrium genere existit, quum sanguen immodico feruore sine putredine succenditur, haud aliter atque uera synochus curatur, communibus uidelicet atq; ijsdem remedijs. Ratio itaq; curandi à sanguinis missione auspicanda, & si robustæ uires sunt, nihilq; aliud insigniter repugnat, sanguis usq; ad animi defectum auferendus, maximum enim & præcipuum hoc synochi febris est remedium. Primũ quod corpus ex animi deliquio celerrimè refrigeratum, in contrarium statum, febre profligata, prõptissimè agitur. Deinde, quod in eiusmodi corporibus sæpius superuenit diarrhœa & bilis deiectio, nonnunquàm etiam bilis uomitio, & per totum illico corpus mador quidam, seu etiam sudor, idcirco feruor hac ratione citra cõtrouersiam extinguitur. Nec est, quod ualida existente uirtute solennem dierum numerum sollicitius obserues. Neque enim protinus committes piaculum, si uehementiore febre urgente, alijs etiam diebus quàm sexto ac septimo, uena incisa sanguinem detrahas. Si quando uerò quidpiam sanguinis missionem seriò prohibeat, diætam interim ac cætera remedia, quæ obstructiones liberant, crassa incidunt, & feruorem febris restinguũt, adhibebimus. Quocirca aluus cum

decocto

decocto prunorum oxyphœnicorum, uulgò tamarindorum, passularum purgatarum, aërio item melle, quam mannam dicunt, & cassia fistulari ducatur. Sed si aluus plus æquo adstricta, leuibus hisce ac blãdis potionibus deiectorijs non respondeat, proderit per sedem clemẽtes clysteres ex decocto chamæmeli, uiolarum siccarum, (tribuli, quæ herba Arabibus hasech uocatur) myxorum (sebesten nominant) hordei excorticati, althææ cum saccharo rubeo & penidijs adiecto oleo uiolaceo, aut sisamino sale & nitro perpauco infundere. Vbi uerò aluus lubrica euaserit, aqua hordei seu ptisana præbenda est. Sicq; natura hominis aridior, & uenter ad siccitatem pronior sit, eadem cum aqua malorum Punicorum dulcium uel cum apposito quopiam zulapio, aut saccharo propinetur, sin minus, cum aqua granatorum muzorum, aut cum oxymelite præparato cum saccharo. Cibus erit ijs lenticula cortice purgata, cum atriplice & blito & pisis, phaseolisue mes appellatis, aut cucurbita, & spinachia cum oleo de amygdalis dulcibus, & oleo ex oliuis nondum maturis (omphacinum uocant) abluto. Si autem panibus cum id genus edulijs uesci nequeant, ptisana hordei in aqua calida per horam macerata, deinde frigida abluta, ne rugitũ aut flatus pariat, adiecto saccharo permodico comedẽdum exhibeatur, ptisanaq; tritici pari ad unguem modo pręparata, ptisana item ex siligine, haud aliter macerata, & instructa. Ex fructibus probantur in primis pruna recentia, mala Punica, dicta muza mala, meditullium citri & cucumeris, caro palmularũ & cucumeris, uua alba & his similia. Potus esto, aqua prunorum & cucurbitæ, adiecto saccharo, zulapiũ, uinum malorum granatorum muzorum, & succus siue aqua malorum Medicorum, quæ citria dicuntur, si ægri natura & aluus siccior sit, si autem humidior & fluida sit, oxymeli, succus medicatus (quem Arabes Rob dicunt) & malorum Punicorum merum utiliter præbetur. Quod si immodica alui & intestinorum leuitas infestat, potus loco cremorem, siue dilutum ptisanæ hordeaceæ cum pastillis de spodio astringẽtibus propriora, & prohibeto zulapium, pariter & saccharum. Præsenti etiam cõmoditate in potu succus medicus granatorum, succus medicus malorum, & succus medicus malorũ cotoneorum sincerus & acidus præbetur. Quod si capitis dolor, quem κεφαλαλγίαν Græci, Sodam Arabes nũcupant, pariter cum febre affligit, fiat irrigatio capitis pluuiæ instar in caput destillando oleum rosaceum, cum acerrimo aceto ex uino pleno confusum, uel oleum rosarum, cũ oleo

de salicibus & aqua rosacea mixtum, quoniã reprimit materiã infestantẽ, cohibet, retundit, & infrigidat talis embrocha. Si extinguere tantũ feruorem libet, & nihil repellere aut reprimere, nõ parum proderit adspergo ex decocto uiolarum, aqua portulacæ, aqua salicum, aqua rosacea, oleo rosaceo, oleo uiolaceo & nympheæ, quod Nymphacinum & Nenupharinum uocitant. Succus insuper uirgę pastoris, mixtus cũ oleo nympheę, aut cum oleo de semine cucurbitæ dulcis & aceti momento, & caphura (camphorã uulgo nominant) ita laborantibus opitulatur. Quumq; res & necessitas exigit emplastra texantur artificiose, salicibus recentibus cõtritis, & cõgestis, & ex ramentis cucurbitæ, semperuiuo, farina hordeacea, (quem ἄλφιτον uocant) diluta ex aqua rosacea, & sandalis albis, & caphura cum aqua malorũ citrinorum, & aqua rosacea, & momẽto aceti leuigatis. Si capitis dolori in synocho, ut solet, uigiliæ accedant, adplicabimus linimentũ ex aqua lactucarũ, & ex folijs uirentibus papaueris cõfectum. Et emplastrum ex floribus recentibus uiolarum & nympheę, lactucaq; & papauere egregie contritis, adiecta farina hordeacea & exigua althæa, quæ rediguntur in emplastrum, cum aqua cucurbitæ & oleo uiolaceo leuigata. Si his actis dolor non sedať, æstusq; & feruẽtes halitus uaporesue calidi & sicci capiti impacti mordicus hærent, embrocha ex floribus chamæmeli, uiolis siccis, rosis, hordeo, folijs nympheæ, folijs papaueris aut seminibus ipsius, aut semine lactucæ caput conspergatur. Sine hac quidẽ accuratius adhibita, capitis dolor demulcetur, febre uel prorsus sublata, uel blanda modo restante, lac super caput ægrotantis mulgeatur, si uires sunt ualidæ, mulgeatur lac caprillum, si imbecilles, lac humanum. Post eiusmodi lactis usum, inijciantur emplastra iampridẽ cõmemorata, & quiete per horam unam imposita supersedebimus, dum quiescat ægrotus, uel donec tollatur cruciatus. Posthæc errhina ex oleo uiolaceo, uel ex oleo nympheę, cum lacte puellę ad caput purgandũ manibus infundunť. Quibus omnibus rite adhibitis, si nihil promouerimus, emplastrũ ex chamęmelo, uiola, melliloto, & id genus anodynis confectũ capiti imponatur. Si cruciatui uigilię complicentur, calyculi, aut cortices papaueris cõcisa, semen lactucę, & mandragora, emplastris utiliter & apte miscentur, pro aqua simplici, aut quouis liquore aqua stillaticia lactucę admixta, ut somno dolorẽ leuet. Cęterũ hęc, & huius generis cætera præsidia, non sunt nisi capitis dolor ex siccis uaporibus calidis nascatur, admouenda. Quũ uero

caput uaporibus humidis & crassis refertum est, lac, errhina, & huiusmo di caput purgantia uitãda sunt, istis nanq; medelis capitis dolor id genus duplicaret. Notat autem talem causam cum dolore quasi pondus & gra uitas. Fotu igitur decocti herbę ac florum chamęmeli talibus succurren dũ, quo sane tantisper utendũ, quoad uapores per meatulos decocto cha męmeli resolutos euaporent. Et si adspergine, quã ἐμβροχὴν Græci nomi nant, res postulare uidebit, eandem ex eodẽ decocto à fotu fieri expedit. Quando autẽ grauedo ac ueluti moles onerosa, caput infestat, aut somni profunditas, quã κάρον Græci, Subeth Arabes nuncupãt, laborantẽ occu pat, oleorũ usus nullus adhibendus est, quoniã meatus obstruit, crassumq; & uiscidũ humorem, morbi causam interius firmat. Pedes insuper ac ma nus iure chamæmeli calido perfundantur, ac si quidẽ æger sentit ex attra ctione huius decocti uaporẽ, aut quamcunq; materiã ex capite per ceruicem in scapulas, spõdyles, & dorsum uniuersum descẽdere, capitis dolor sedabit & succedet tranquillitas, si uero nihil descendere percipit, dolor persistet, neq; ulla quies comitat, quoniã contumax materies capiti impa cta mordicus hæret. Valentiorẽ itaq; antispasim moliri conuenit, uinculis itaq; arctioribus manus pedesq; excipiantur, quę tam uiolẽter cõstringan tur, ut egregie offendãt, & dolorẽ concitent afflicto, quin etiam † testes, si res exigat, funibus ualentius adductis uincant. Quod si ægrotãti pectus constringatur, & inflatio superuenerit, tunc ostio uentriculi (quod stoma chum dicunt) & uẽtri emplastra ex cinere arũdineo cum althæa, & sanda lis albis, & caphura, & aceto cõpacta imponãtur. Prodest etiam ramentũ cucurbitę, quando leuigatũ cum farina hordeacea, althæa, aqua rosacea, & aceto commiscetur, portulaca item quod olus benedictũ uocant, leuiga ta, cum rosis emollitis, & sandalis albis, & aqua rosacea temperatũ, aut fo lia recẽtia salicis, & uirga pastoris, cum aqua rosacea & aceto, aut muscus, seu lenticula cum sandalis albis, caphura & aceto. Decũbat autẽ qui labo rat, in cubiculo frigido uirentibus folijs salicis, myrto, mandragora, rosis recentibus, uiolis uirentibus, floribus nymphеæ, & pampinis cum aqua frigida instrato, quę sane quoties incaluerũt, subinde permutent. Valet iti dem cerotũ ex oleo rosaceo, liquore citri, cucurbitæ & hyoscyami cõte xtum, quandoquidẽ id ori uentriculi & uentri impositũ, feruorem penitus extinguit. Cõducit & clystere ex aqua portulacę, lentitia psilij, & oleo ro saceo inflammationem extinguere, cuius etiam ergo usurpanda aqua uir

†præputium.

gæ paſtoris & ſalicis, & pſilium cum oleo roſaceo, decoctum cucurbitę, & ſuccus citri, oleum uiolaceum. Si lingua uehementer ſicca & ſalebroſa fuerit. grana cotoneorũ, pſilium & ſemen altheæ aqua macerentur, quorum marcor permiſceatur cum oleo de ſemine cucurbitę dulcis & ſaccharo, & fiat linctus qui lambendo ſubinde deglutiatur paulatim. Quumq; nigredine & aſperitudine tẽtatur lingua, pręmemoratis ſeminibus tritis, linteoloq; inuolutis ad ruborẽ uſq; fortiter cõfricetur. A frictione eiuſmodi, utat̃ aqua citri, oleo uiolaceo, uino ſuccoúe malorũ Punicorũ, muzorum cum oleo de ſemine cucurbitę dulcis. Porrò ſi Caro, hoc eſt, ſomni ꝓfunditate, q̃ Subeth Arabes appellãt, uehemẽter occupent̃ adèo, ut neq; oculos aperiant, & omnino muti decũbant, neq; quicquã interrogati reſpondeant, nihil ſanè capiti admoueat̃ olei, neq; emplaſtra cum farina hordei, uerũ imbris inſtar adſpergat̃ ex alto embrocha ex oleo roſaceo & aceto. Quod ſi acerbius ingraueſcente morbo huc illuc ſeipſum enormius qui laboret, iactitet, & uẽter ſpiritibus ita inflat̃ ac diſtenditur, ut cõcuſſus tympani ſonitũ edat, & uẽtris ſolutio iuſto amplior ſuperueniat, nec tamẽ uentris inflatio ſubſidat, iudicabis eum morti proximũ, præſertim ſi appareãt in ipſo uariolæ uirides, maximè ſi ſpacioſæ, latę ac ſeſſiles, & ſudor multus toto corpore diffluit. Quod ſi fiat ſanguinis ex naribus eruptio, tẽpore nẽpe decretorij, tantũ abeſt ut ſiſtendus ſit, ut obuijs etiã ulnis ſit amplexanda, ne dicam & promouenda. Niſi adèo fuerit exuberans ut uireis conuellatur & proſternat, tum enim pręſidijs, quę de ſanguinis ex naribus profluuio capite peculiari memorata ſunt, ſubueniendum.

*Subeth.* (margin)

*De cura febris ex abſceſſu morbili.* *Cap.* XIIII.

QVod ſi febris huiuſmodi ex abſceſſu, quem Almeſire Arabes nuncupant, originem ducat, abſceſſus ante omnia ſanguinis detractione, & pharmaco ex geminis myrobolanis, prunis, tamarindis & capnio, hoc eſt, fumaria curandus eſt. Atq; ſi res poſtulare uidetur, aqua etiam Solani, aqua mandragorę & endiuiæ cum caſſia fiſtulari præbeatur, mox etiam aqua hordei cum uino aquaúe granatorum, muzorum exhibenda. Abſceſſui autem liniamentum ex ſandalis rubeis, auellana Indica, gleba Armeniaca, Succus (Sief uocant) memithę, cum aqua ſolani & coriandri udi & caphura adhibeatur.

*De curatione*

De curatione Variolarum. Cap. XV.

QVod si ob febris feruorem hulcuscula quas uariolas nuncupāt, hinc inde oboriantur, curatio à sanguinis itidē missione per uenam, auspicabitur, si uictus permittat ac suadeat. Si eadem imbecillior sit, à cucurbitularum adplicatione. Obseruentur autem curiosius lumina tantisper, dum nihil hulcusculorum ab eis emergatur, & subinde fricabis oculos aqua stillaticia rosacea, aqua rhois, hoc est, sumach, & aqua malorum Punicorum. Sūt qui oculos aqua expressa ex semine rosarum & ex carne pulpaue granatorum perungunt. Quum igitur hulcuscula apparēt, tenuissimū puluisculum oculis consecratū (alcahol à Barbaris appellatū) in aqua coriandri humidi, sicci, in aqua cœlesti colata macerati dilutū, in oculos stillatim indito. Et quo hulcuscula euidentius & citius compareant, citra pectoris cōstrictionem & omnem augustiam, absq; animi deliquio & fastidio, seu nausea, propinabis laccæ denarios quinque, cum lenticulæ rudis, hoc est, neq; excorticatę neq; ablutę denarijs septem, & dragachantæ denarijs tribus, Coquāt ad tertias in aquę lib. I. & colo diffundant. Potus esto aqua hordei, duabus uidelicet hordei partibus cum una lentiū decoctis. Cibus aūt sit phaseoli, pisa, hordeū, atriplex, blitum cum oleo. Quod si res exigat, ut uēter infirmi astrictior lubricetur, fiat id decocto prunorū, iuiubarū, passularum, tamarindorū, cassia fistulari, melle aërio seu tereniabin per septē dies, à septimo autē die uentris deiectio fugienda est. Solenne etenim huic est ęgritudini, ut sub finē eius, aluus superueniat solutior, quoniam solet magna ex parte semper materiem retentam nec tempestiue excretam uel diarrhœa uel excoriatio, propter materiæ acredinem, excipere. Post septē itaq;, ut diximus, dies, præbeatur lenticula tosta cortice detracto, ex aqua malorū Punicorum muzorum elixa, & pro cucurbita fructuum palmę. Pro cibo alioquin expediūt, ex fructibus, uuæ albę, mala granata muza, mala, pira, cotonea & id genus alia. Hyberno insuper tempore focus illorum gratia, ex lignis tamaricis & uitium sarmentis instruatur, ad quē se calfacient ægri. Vbi uero hulcuscula cœperint exiccari, super inducatur illis penna, farina oryzę Persicæ, aut farina milij adiectis radicibus siccis arundinum & croco, cum aqua rosacea cōfectis. Nec desunt qui ita affectum, sale trito & cum oleo sesamino leuigato perungunt. Nonnulli frictionem probant eam, quę cum decocto ficuum, & sale, & furfuribus oryzæ adhibetur. Decumbat autem supra grabatum milio instratum, quo-

niam id hulcera illico arefacit & exiccat. Quod si qua in naribus aut ore suboriantur hulcuscula seu pustulę, facto quidem ungēto ex oleo rosaceo, dragachanta & cæra candida nares perliniantur. Os uero quietis tempore, cum marcore seu lenticia seminū cotoneorū aut muco psilij. Si porro aluus fluida continenter fuerit, pastilli de spodio & pastilli de seminibus cum semine oxalidis ministrentur. Conficiuntur autem pastilli de spodio cum semine oxalidis hoc modo.

*Pastilli de spodio cum semine acetosæ.*

| | | |
|---|---|---|
| Sumantur | Amyli mola triti | Singulorum denarios tres. |
| | Croci | |
| | Boli Armeni | |
| | Spodij | Denarios quatuor. |
| | Granorum alborum | |
| | Myrrhæ | |
| | Rosarum | Denarios quinq;. |
| | Gummi | |
| | Terræ sigillatæ | |
| | Oxycanthæ | |
| | Floris Punicę syluestris (βαλαύστιον uocant) | |
| | Castanearum | |
| | Seminis Oxalidis cortice exuta, denarios sex. | |

Singula conterantur & per incerniculum traijciantur, & cum aqua cotoneorum diluantur & in pastillos redigantur. Qui siccati cum aqua pirorum recentium propinentur. Quod si res ususq; clysterem efflagitent, infundatur unus ex his quæ supra de Medendi excoriationis ratione recensuimus. Coturnices ac pullos non edant donec exiccentur, & corpus a febre liberetur. Vescantur autem milio, cui cortex detractus sit, cum hordeo mollito, aut ptisana hordei decocto. Si his actis & transactis omnibus synochi quædam reliquiæ restant: Sequentium pastillorū usus uehementer commendatur.

*Pastilli Sanguinei febris reliquias arcentes.*

| | | |
|---|---|---|
| Accipe | Spodij | Cuius libet denarios tres. |
| | Citri | |
| | Seminum portulacæ denarios quinq;. | |
| | Cucurbitæ dulcis denarios septem. | |

Conterantur singula & cribrentur & cum muco psilij redigantur in pastillos.

paſtillos. Propinẽtur cum aqua granatorũ, aut citri, uel intybi & cuſcutæ.

## De Tertiana. Cap. XVI.

SCire oportet quod Tertiana febris Cõtinens habetur & Intermittens. Continens dicitur, quando putreſcẽs materia, pariens febrẽ, in uenis & arterijs compræhenditur. Intermittens quum extra uenas & arterias continetur. Quarũ hæc cum algore & tremore uehementi inchoat, illa citra rigorem oritur. Vtraq; biliosa eſt. Poſterior uerò Græcis καῦσος, latinis Ardens febris appellatur. Differunt autem inter ſe tertiana continua, & ardens, quod in illa quidem bilis præter naturam accenſa ac putreſcens per omnia inſtrumenta & totum reliquum corpus defertur, in ardente uerò flauæ bilis, humor flagrans in uaſis & cordis ambitu, unà cum ſanguine continetur. Eſt etiam quando ardens febris ex pituitoſo humore ſalſo procreatur, quemadmodum in uolumine de Suppetijs ægritudinum ſuperuenientium inſcripto, clariſſimè docetur. Eſt porrò in tertiana ſtatim ab initio, inq; ſingulis acceſſionibus rigor uehemens, carnem acus modo pungens ac uulnerans, uel inſtar aquæ feruentis, quæ corpori ſubindè infuſa, horrorem incutit, eò, quod bilis flaua, quæ tenuiſſimarũ eſt partium, effreni feruore flagrantium, per ſenſiles corporis partes delata, eaſdem morſu acore ſuo impetit ac uellicat. Vnde calor naturalis cum ſanguine ob mordicationem accurrens, in alto ſubmergitur, & proinde partes extremę calore deſtitutę, cum algore tremunt. Fit etiam rigor ob frigidum humorem, qui partes ſenſibiles tentat & conſtringit, ueluti in febre quotidiana, quæ pituitoſa eſt & quartana, quæ atrebilioſa exiſtit, identidem contingit. A quotidianæ uerò rigore & quartanæ febris frigefactione, in hoc diſtat, quod à rigore ab initio ſtatim uehemẽti auſpicat', quum quotidiana magna ex parte non à principio ſtatim, neq; in ſingulis acceſſionibus à rigore ingruat, propter pituitę craſſitudinem, cruditatẽ & uiſcoſitatẽ, ſucceſſu uerò tẽporis extenuato, cocto & inciſo humore exoritur, & paulatim ad ſummam uſq; uehemẽtiam augetur. Quartana itidem non cum rigore pungente, & hulcerante, ſed cum refrigeratione (περίψυξιν Græcè uocant) ſimillima ei quę hyberno tempore ſentitur, ut plurimũ inuadit. Quoniam melancholicus humor qui membra perſtringit, exiguus & craſſus principio eſt, neq; extenuatur niſi interpoſito tempore. Poſtremo autem progrediente auctaque febre, humore illo coctura extenuato, *Rigor tertianæ peculiaris.*

 uehementior

uehemētior euadit & illæ, tādem rigor superueniens magnā salutis spem pollicetur. Vno uerbo, tertianę rigor corpus pūgere & ueluti hulcerare uidetur, & nuncupatur ab ijs qui barbaram sectantur medicinam tremor simplex siue expansus, quod est uehemēs. Quotidianę rigor frigori hiberno similis est, & niuis instar algidus, & appellatur ab Arabibus Alcarisati. In quartana autem, rigor primo statim die nullus ferè, sed modo refrigeratio est, cum febre augetur ac grauitas dolorq; in hac usq; ad ossa molestāt, eoq; uulgò, tremor ossibus laborem inducens, nominatur. Quin & biliosus uomitus, aluusq; soluta, biliosa, tertianā comitat̃. Accessio durat ad lōgissimum in exquisita tertiana duodecim horas, deinde in febricitationē desinit. Tēpus uerò integritatis, & apyrexiæ spaciū triginta sex horarum existit. Accessiones ipsius maxima ex parte septē habentur. Sitis maior exercet, calor ingens æqualiter per totum corpus extenditur, ac hominē exurit. Et capitis dolor, quem Sodā dicunt, iugiter infestat. Neq; citra molestiam & animi perturbationē hominū sustinent alloquia, nedum motum aliquem, hac febre conflictati. Vigilijs uexantur, etiamsi nullo alioqui capitis cruciatu aut grauedine molestētur. Sunt, quibus manus pedesq; impendiò refrigerantur. Resolutis statim copia uaporis calidi per cutē emergit, & sudor copiosus, quoniā humor tenuior sine negotio resolutus, per occultos meatus facile penetrans cutis superficiē occupat. Vrinā mingūt tenuem, & igneo fulgore ueluti flāmeam, propter meræ bilis admixtionem, & ob ignei feruoris copiā. Ampliter illi & frequentissimè spirant. Est porrò in tertiana febre pulsuū exactus ordo, & qui principio quidē exiguus, quoniam non statim calor ab initio per corpus uniuersum extendit̃. In uigore uerò & accessionum incremento, ad uehementiā seu magnitudinē, celeritatem & æqualitatem excitantur. Magnitudo quidem & celeritas, necessitati respondent. æqualitas uerò soli caliditati adscribitur, neq; uspiam alia in ea uarietas, quàm febris diuersitas habetur, eo, quod, nulla est materies quæ corporis uires neq; oblędat, neq; offendat. Atq; hactenus quidem de tertianæ notis, quę à rebus contra naturam sumuntur. Ex naturalibus autem dignoscitur his notis, quod in uigenti ætate plurima ex parte consistit, in biliosioribus natura corporibus, in temperamento calido, in tempore æstiuo, in calidis & siccis regionibus, similisque aëris constitutione, in corporibus extenuatis & macilētis. Ex nō naturalibus rebus, ijs indicibus depręhēdit̃ hęc febris, quod in eo facile accendit̃, qui cibis ac potionibus

pluribus

*Rigor uehemens.*

*Alcarisati.*

*Spaciū accessionis & integritatis tertianæ.*

*Notæ à rebus naturalibus.*

*Ex non naturalibus.*

pluribus calidis & ſiccis utitur. Vita etiam exercitijs multis, laboribus, uigilijs, curis, ſolis feruoribus ac Veneri, nimium addicta, quibus ſæpe utiq; numero eadem qua delinquunt hora, & mediocritatẽ plus iuſto excedũt, tertiana exquiſita & ſincera accidit. Dignum uerò ſcitu, quod in tertiana non exquiſita & impura, ſingulę iſtę, quę commemoratę ſunt notę, nequaquã exactè comparent, ſed pro ratione & quantitate bilis ac pituitę inuicẽ commixtę, inter ſe diuerſæ. Inq; ea non acceſſionis tempus ſolum duodecim horas excedit, neq; etiam ut ſincera, ſeptenis circuitibus circũſcripta iudicatur, neq; cum ſudore, notha finitur. Peculiare autẽ & genuinũ huic febri eſt, quod hac conflictati, in iocinore ebullitionis quippiã, caliditatis, & feruoris nonnihil ſentiũt: Vbi ſanè neutiquã inepta oritur quęſtio. Quo nam pacto fieri queat, ut bilis flaua, bilisq; atra, quum humores ſint aridæ ac ſiccę, putredinẽ experiantur? Cuius rei cauſa eſſe perhibetur, quod illa quę ſicca dicũtur, bifariam ſicca haberi poſſunt. Aut enim ſiccum quid, in ſubſtantia quidem & corpore ſuo exiſtit, in natura uerò ac temperamento ſuo, diuerſum, uerbi gratia, ſaxa, ferrum, lignum, & id genus. Aut ſiccum quidem in temperie ſua naturali, reſolutum uerò in corpore ſuo humidũm exiſtit. Exempli cauſa, mel, uinum, bilis flaua, & bilis nigra, quę ratione humiditatis ſuorum corporũ, & quia reſoluuntur putredinẽ ſentiunt, minimè tamen ob ſuas ipſius naturales temperaturas, ſuaſq; uirtutes putreſcunt.

*Quæſtio.*

*Siccum duplex.*

*Curatio Tertianæ exquiſitæ.* *Cap.* XVII.

QVoniam autem Tertiana exquiſita & ſincera, duplici ſubinde ex cauſa prouenit, uitio nempe & copia materiei: Vitio quidẽ, ut flaua bile, humore, inter omnes qui in corpore continetur, calidiore & ſicciore commota: Copia uerò, cum eadem bilis iuſtum naturæ modum excedit. In curatione utriuſque ſingulis iuxtà contrario occurrendum eſt. Quò igitur malitiæ temperamenti calidi & ſicci ritè ſubueniatur, quàm maximè fieri poteſt, refrigerare & humectare conuenit. Multitudinem uerò materiei, per euacuationem elicere oportet, iuxta ſelectam Hippocratis ſententiam: Repletionem curat euacuatio. Neutiquã igitur negligenda biliosi humoris, ſi res exigat, euacuatio, ſi prius aluo ſoluta cum iure prunorum, tamarindorum, manna, Propineturque tribus aut quatuor horis ante circuitum decoctum hordei, aut febre decedente. Si quid potum hunc prohibeat, aquam cucurbitæ, aut granatorum muzorum, aut oxymeli, de ſaccharo incunctanter hauriant. Cibis

utantur

utantur laborantes, quibus refrigerandi & humectandi facultas ineſt, ex oleribus quidē, lactuca, atriplici, blito, malua, cucurbita, intybo, rumice, & ſimilibus, ex fructibus, malo Medico, & cęteris ad cōcoquendū facilibus, ex alijs uerò, cremore ptiſanę, & piſcibus ſaxatilibus. A uino, morbo etiādum crudo, in totum arceantur. Cęterū ubi materiæ iam cōcoctę ſigna, in lotio oſtēduntur, euacuare ipſam ex eo loco, in quem ultrò repit, ſine mora oportet. Eam nempè quę ad ſtomachū confluit, per uomitum educere conuenit. Ciendus uerò eſt cum aqua tepida, & ſecaniabin, eam uerò quę ad inferiora & inteſtina uergit, alui deiectionibus elicere congruit. Aluus itaq; mollientibus enematis exinanienda eſt, cuiuſmodi eſt qui ex his conſtituitur.

*Clyſter emolliens.*

Recipit
- Herbę uiolarum, Blitis, Maluæ — Singulorū manipulū unum.
- Mercurialis, Spinachiæ, Lactucæ, Portulacæ — Cuiuslibet manipulū ſemis.
- Hordei puri, cohlea e unum.
- Seminum { Melonum, Cucurbitæ dulcis } — Cuiusq; denarios duos.

*Decoquantur in aqua ſufficiente, donec tertia pars conſumatur, & colo diffundantur.*

Accipiaturq;
- Huius decocti libra una.
- Medullæ caſſię fiſtularis, Sacchari rubei — Cuiusq; uncia una.
- Olei { Nymphęę, Violarum } — Vniuſcuiusq; denar. duo.
- Salis uulgaris ſeſquidenarius.

Si uerò peccans materies repit ad ſummam corporis cutem, ſudorem medicamento euocabis. Si uaſa uerſus & iecur tendit bilioſus humor, urina potionibus, quę apio, anetho, myrobolanis & abſynthio cōſtant, prouocāda, eo quod in abſynthio geminę quidē, ſed cōtrarię ſint uirtutes, aſtringēs uidelicet, & aperiēs ſiue diſſoluēs. Et, pinde ſi coctionis notæ apparebunt, iam tutò abſynthiū exhibebis, ante concoctionem nequaquā, alioqui pręcipuam uentriculi à bile infeſtati pręſidium. Porrò ſi febris eſt tertiana

*Abſynthio duplex uis.*

expedita

expedita & sincera, lauet ægrotus etiam, antequàm signa cõcoctionis ostendantur, præsertim si is lauare cõsueuerit, & lauacris delectet. Esto autem balneũ calidũ ex aqua dulci, quandoquidẽ non tam bilem ducit, quã sua qualitate iuuat. Si febris est notha, puta uel phlegmatica, uel melãcholica, tunc balneo minimè gentiũ, priusquã concoctionis notæ apparebũt, credantur ægri. Cæterũ in spuria tertiana, uirium robore cõstante, cibus non nisi alternis diebus offeratur. Ciendus uerò uomitus semper à cibo extenuante & abstergente est. Si aluus sit astricta, clystere acri & uehemẽtiore infuso lubrica reddatur, quoniã humor, qui spuriam parit tertianam, uiscidus, tenax & glutinosus est, & propter pituitæ miscellam cõtumax & uacuatu non facilis. Quod si quid ab euacuatione per clysterẽ deterreat, per superna hanc moliri ne dubites. Euacuandũ idcirco imbecilla existente uirtute, & ardore uehementi cum syropo rosaceo laxatiuo, algeniabin, & manna, aut alubleb & uiolarum siccarum iure. Virtute uerò existẽte ualida, cum medicamẽto de eupatorio, aut cũ istis catapotijs, fiat euacuatio.

*Catapotia in Tertianã notha præsentis auxilij.*

Accipe:
- Hieræ Picræ denarios quinq;
- Succi absynthij, Succi eupatorij — Singulorum denarios tres.
- Seminum apij semunciam.
- Myrobolanorũ luteorum (citrinos uocant) denar. quatuor.
- Myrobolanorum ceruleorum (Indos hodie nominant) unciam dimidiam.
- Mellis harundinei quem salem Indicum nominant, denarios duos.
- Pastillorum (trochiscos Grecè appellant) de rosis denarios quinque.
- Turpeti, quod turbith hodie dicunt, denarios septem.

Summa simplicium quę ingrediuntur, numero sunt nouem, quę singula in puluisculum trita, & per incerniculum traiecta, cogantur cum stillaticio liquore apij, & forment catapotia, quorũ denarij duo cũ aqua tepida deglutienda offerãtur. Quod si aluus lubrica per sę, citra pharmacum respondeat, decoctũ rosaceũ cum saccharo, algeniabin uocant, & oximeli sine appẽdice propinabit. Si hordei quoq; aquã res exigat, fiat decoctũ ipsius cũ apij & fœniculi radicib. Qđ si immodice & iusto largius redundet infestans materia, cũ decocto ciceris; Sin calor magis naturę modũ excedat, cum

Decoctum absynthij.

cum ficla intybóue, & asparago. Post septimum autem diem, absynthij decoctum exhibeatur, quemadmodum lib. 1. Galenus Methodi medēdi ad Glauconem diligenter præcipit, eò quod crassa extenuat, uiscidū incidit, & uentriculo robur indit. Post quatuordecim uerò dies opitulatur oppidò stillaticius liquor, siue decoctum fœniculi & apij cum syropo rosaceo, & pastillis rosaceis. Si uerò morbus in longam procrastinationem protrahitur, eupatorij decoctū propinari debet. Fugiendum autem est ægro ad consummatam usq; materiæ cōcoctionem balneum, alioqui trifariam delinquitur, mouendo, & eliciendo crudos humores. Primum, quod febris huius materia, quæ utiq; crassa, cum pituita utpote permixta, si proritatur & foras elicitur, antequā concoquatur & resoluatur, obstructionem & putrefactionem procreat. Secundo, quia si humor, siue materia, putredinem expertus, in parte quapiam retentus succenditur, & motu aliquo, & prolicione cum aliquo humore incorrupto & putredini exorta permiscetur, inficit ipsum, & putrefacit. Tertio, quoniam dum id quod est tenue & sequax, admodum euacuationi obtemperat, crassum cōtumacius persistit, & ueluti murus aheneus renititur.

### De Quotidiana. Cap. XVIII.

QVotidiana, quàm Greci ἀμφημέρινον nuncupant, ex pituita, aut intra uasa, aut extra uasa (hoc est in uentriculo, aut uacuis alijs quibusdam interioribus locis) putrescente oritur. Quæ intra uasa accenditur, febrem citra algorem inducit. Quę extra uasa, refrigerationem primò, propter pituitæ partem nondum putrescentē habet, progressu uerò temporis, horrorem rigoremq; propter putridam pituitā & feruore flagrantem acquirit. Calor porrò huius febris, roris quippiā instar calidiusculi præfert, & copiam uaporis calidi per cutem elicit, quādo quidem inde humidus quidam uapor, haud aliter atq; ex lignis uiridibus, udus ac fumosus emergit. Percussus arteriarum in hac febre inordinatus, debilis, multoq; minor quā in quartana habetur. Cæterum pituitosus humor, robur uirium non sua frigiditate solum deijcit, sed nimietate etiam sua & crassitudine, multus nanq; & crassus magna ex parte existit. Vrina in quotidianis ab initio statim alba, tenuis, & aquosa emingit, propter cruditatem humoris pituitosi. Circa finem autem & morbi declinationem, rubea, crassa & turbulenta euadit, maximè quidem, quum humor coctionem experitur, turbulenta uerò & impura propter crassitiē materiei existit, &

ſtit,& euacuatur. Quando hæc febris in plurimos dies protrahitur, facies ægrotantis intumeſcit,& inflatur, lien itidem in tumorē aſſurgit,& amplius increſcit, idq; ob craſſitudinem materiei. Redditur totius corporis cutis pallida, & colore ſubuiridi ſæpe ſuffunditur, quo͗d pituitę frigiditati debetur. Ingruit maxima ex parte acceſſionis circuitus ueſpere. Eſt in hac febre aluus, ut plurimum propter humorem pituitoſum, ſoluta & humida, niſi ægrotus natura calidioris temperamenti ſit. Occupant acceſſiones, fere͗ decem & octo horarum ſpacium, remiſſiones uero͗, ſex horarū tempus obtinent, neq; unquā ad exactam febris quietē deſinunt. Accidit ipſis dolor uentriculi præſertim oris ipſius, uomitus item pituitoſi complures, nullus omnino ſudor in primis maxime͗ diebus erumpit. Per aluum excernuntur crudiora, aquoſiora, & pituitoſiora, humiditatis roris inſtar orificijs inſpargitur. Minime͗ aut parum ſaltem, qui ſic febricitāt ſitiunt, quoniam non lingua ſolum, ſed totum corpus plenum humoribus reperitur. Si uero͗ ſitiunt, non pituitæ ratione, ſed putredinis ergo͗ ſitiunt. Solent enim & putrefactio ſitim inuehere. His igitur ſignis, ex rebus, quæ præter naturam ſunt, depromptis, potiſſimum hæc febris dignoſcitur. Ex naturalibus autem rebus, notæ eiuſdem febris huiuſmodi ſcite͗ colligūtur. Quod febris quotidiana humidas pituitoſaſue naturas plerunq; infeſtat, puerilē item, & ſenilem ætatem, illam quidem, propter crapulam, guloſi quippe ſunt pueri, hanc uero͗ propter frigiditatem. Prę cęteris autem quotidianæ obnoxij ſunt, uentri qua͗m maxime͗ dediti, qui balneis aſſiduis, præſertim a͗ cibo & uictus ratione humida & frigida iugiter utuntur, frigida & humida conſtitutione præditi, & eiuſdem conſtitutionis regione & aēre degentes. Ex anni uero͗ temporibus hyeme, quotidiana facilius accidit. Ex rebus autem non naturalibus haud obſcura indicia habentur, quod amphemerina omniū maxime͗ plurimo ocio deditos corripit, & eos qui plus alimenti ingerunt, qua͗m concoquunt, ſomno & laboribus continuis, præſertim ſtatim poſt cibum, addicti ſunt. Solēne autem imo͗ peculiare malum quotidianæ eſt, dolor oris ſtomachi & uentris. Scito autē quod hæc febris eſt & lōga & uehemēs ſua enim natura ſingulis diebus acceſſiones facit, neq; ullum integrum diem quieſcit, imo͗ neq; unquā ad infebricitationē (ut diximus) peruenit. Cruciatus porro͗ hanc oris uentriculi comitatur, Nauſea itē (quia dolor uitioſos homores attrahit) ciborumq; faſtidiū, & cruditas, ſeu praua coctionis functio, hac febre implicitos ſubſequitur.

*Paroxiſmi quotidianæ ſpacium.*

*Putredo ſitis cauſa.*

### Curatio Quotidianæ, Cap. XIX.

CVrandi huius febris ratio in uniuersum sic instituatur: Trāsactis tribus aut quatuor diebus uictus ratio incisoria & extenuans pręscribenda est. Oxymelite itaq; & ijs quę urinam eliciunt, statim ac iugiter utendum. Circa morbi uero uigorem de uentriculo, pręsertim de ore ipsius sollicitudo habenda est: Et per septem dierum spacium mel rosaceum in aqua calida offeratur. Post septem uero dies idem cum remedijs, quæ uentriculum eiusq; ostium corroborant, & urinam strenue proritant (quod genus sunt, mastiche, & anisum) exhibeatur. Decoctum autem earum rerum subinde propinetur. Ab aqua uero frigida æger omnino arcendus est, sed eius loco potanda calida, auspicante nempe paroxysmorum circuitu, quoniam algorē accessionis compescit ac temperat, humorem infestātem extenuat & resoluit, sitim arcet & extinguit. Si res uentris solutionem exigat, moliatur eandem decoctum mel rosaceum. Cassia fistularis recens extracta, aqua alubleb & pœnidij. Sunt qui cum decocto alubleb medullas cnici (hodie cartamum nominant) aut succum seminis eius haurire pręcipiunt, alij uiolas siccas cum saccharo porrigunt. Primis quidem diebus, aluus clysteribus blādis & mollientibus, circa finem uero acrioribus eluenda est. Si hordei decocto opus uidetur, apij radicis & fœniculi uncia una, in eodem decoquatur, & propinetur in oxymelite. Si hordei decoctum acescat in uentriculo, mulsa inuicem eius prębeatur. Quod si qua uomitio in hac febre, pręsertim in exacerbationum circuitus principio superuenerit, caue impedias, ne modum usq; adeo excedat, ut uires deijciat. Tum enim cum serapio, hodie syropum dicunt, de cotoneis, quā miuam indigitant, & serapio granatorum cum melle & menta confecto, sistenda est. Confert etiam hoc medicamentum, quod.

Accipit { Malorum Punicorum denarios decem.
Thuris albi, Masticħes } Singulorum denarios quinq;.
Mentæ denarios septem. }

Decoquantur cum aquę libris duabus, donec pars media consumatur & colo diffundatur, propinetur qualibet hora momentū, non affatim ac largius semel, sed pluribus uicibus. Neq; heic prunorū & tamarindorū decoctum, neq; succus medicatus (Arabes Rob uocant) ex agresta aut ribes, & similia exhibenda sunt, quoniā nimis sunt frigida. Si uomitus per se non accidat,

non accidat, arte proliciendus est, iubendum itaq;, ut ægri à radicula & cibo euomãt, uel iubebimus, raphanũ in oxymelite maceratũ sumere, & calidam, in qua anethũ & calamintha & salis momentũ elixa sint bibere, uel confundemus hoc decoctũ cum raphano in oxymelite macerato, & propinemus unà. A uomitu uerò cõfestim mastichen, anisum & menthã mandendum porrigemus. Quando autẽ capitis dolor cum hac febre infestat, fotus ex decocto chamemeli instruatur, & postremo in decoctũ manus pedesq; laborantis calidũ collocabimus, mox etiam crura ligaminibus & fasciolis excipiemus, neq; adplicetur oleũ. Alimentũ breuiter tenuis essentiæ, presertim circa morbi uigorẽ, uirtute ualida modicè ministrandũ. Transacto autẽ uigore, cibi, in statu circunscripti, rursum augeantur & ualentiores præbeantur. Esto autẽ cibi resumendi tẽpus, dum febris remittitur, cessat, & quiescit, uel tribus aut quatuor horis ante statũ, decoctum nempe ciceris, blitũ uel asparagus decocta, & muria & loto oleo condita. Potu utendum crassiore, nisi materia sit quasi gelu cõcreta, tum enim aqua mulsa, & aqua saccharata propinetur. Post quatuordecim autẽ dies decoctũ, uel aqua stillaticia fœniculi, apij, endiuię & cichorij, cum saccharo rosaceo, aut melle rosato exhibenda, pastilliq; de rosis cõfecti cum liquore stillaticio endiuię, & aqua mulsa. Aluus porrò subinde cum catapotijs δ'ι ἀλόης, id est, ex aloẽ, aut cum pilulis de eupatorio aut his, quæ speciebus constant, aut cum his, quæ subijciuntur, expurganda est.

*Catapotia febri Quotidianæ accommodatißima.*

GLobuli ad pituitosam humorẽ educendũ, caput & uentriculũ expurgandũ cõprimis utiles & necessarię, ex his, hoc modo cõficiuntur.

Accipe
- Hieræ picræ denarium pondo septem.
- Turpeti (turbith uocant) denarium pondo decem.
- Myrobolanorum cæruleorum (Indos nominãt) denarium pondo quinque.
- Pastillorum rosaceorum, denarium pondo quatuor.
- Herbæ eupatorij, denarium pondo quinque.
- Salis Indici, quod saccharon & harundineum mel dicitur, denarium pondo trium.
- Spinæ albæ Bedeguard ab Arabibus appellatæ / Spinę Arabicę / Herbę scolopendrij — Singulorum unc. quatuor.
- Anisi denarium pondo trium.

Summa ingredientium nouem, quę conterantur & cribrentur, & cum

 decocto

decocto apij colato,leuigata,in catapotia formentur,modus eſt pro uiribus cuiusq;. Vbi horum globulorum uſu febre contumaciter perſiſtente nihil profeceris,hoc efficatius decoctum propinabis.

*Decoctum aduerſus Quotidianam inueteratam efficax.*

Accipe
- Radicum — Apij, Fœniculi, Lilij — Cuiuslibet denarios decem.
- Maſtiches denarios duos.
- Herbæ eupatorij, Roſarum, Abſynthij — Cuiusq; denarios ſeptem.
- Scolopendrij unciam dimidiam.
- Spinæ candidæ,denarios quinque.
- Paſſularum purgatarum denarios uiginti.
- Myrobolanorum luteorum(citrinos uocant) mundatorum denarios decem.
- Myrobolanorum cæruleorum, quos Indos pariter & nigros dicunt,denarios ſeptem.

Coquantur in aquæ libris duabus ad medias, transfundantur colo, doſis eſt triens,cum melle roſato,aut oxymelite, alijs cibis nõ dum guſtatis, appetente diluculo.

*Decoctum aliud ad febrem pituitoſam ueterem.*

Sumantur
- Eupatorij denarij uiginti.
- Abſynthij, Scolopendrij, Spinę albæ, Seminum capparis, Coriandri ſicci — Singulorum denarij ſeptem.
- Myrobolanorũ mũdatorũ (cãt, Fumariæ,hodie fumũ terrę uo/ — Cuiusq; denarij decem.

Decoquantur ſingula in aquæ lib.5. donec partes duæ conſumantur, & una tantum remaneat,colo transfuſum potandum prębeatur. Si frigus intenſius urget acrius,expedit hoc decoctum.

*Decoctum ad febrem antiquam & algorem intenſum.*

Sumito
- Herbę eupatorij denarios quinq;.
- Seminum — Ameos, Apij, Fœniculi — Singulorum drach. tres.
- Medicinæ Aſageren denarios ſex.
- Roſarum denarios quinq;.
- Origani denarios treis.

Decoquantur

Decoquantur singula in aquæ lib. 4. ad lib. 1. coletur, & exhibeantur drach. 5. tepidi. Præsentis etiam auxilij habetur elixatio ista.

*Decoctum aliud ad febrem Pituitosam, antiquam, & frigus compescens intensum.*

Accipe
- Origani, Ameos, Rosarum — Singulorum denarios treis.
- Coriandri sicci denarios quatuor.
- Calaminthę palustris denarios quinque.
- Passularum exacinatarum denarios septem.
- Zingiberis denarios treis.

Elixentur singula in aquæ trepondo, donec duæ partes absumantur, deinde colentur, & propinetur colatura. Quin & aqua calida, fotus modo subiecta, ægro incubanti frigus arcet, præstat autẽ eam esse, decoctũ chamæmeli, sertulæ cãpanæ, samsuci, & similium. Corpus etiam utiliter perungitur cum oleo de stichade Arabica, aut oleo de costo. Nec est, quod pullis, coturnicibus & perdicibus uescantur, priusquã febris uehementiam ponat, placetur, & quiescat, nisi periculum sit, ne succumbat tenuiore uictus ratione & morbi diuturnitate corporis uirtus. Si pedum aut faciei tumor inflatione superueniat, pastilli qui subijciuntur, exhibendi sunt.

*Pastilli ad tumorem pedum & uultus in Quotidiana conducibiles.*

ROtulæ, siue pastilli quas Græci τροχίσκους, Romani etiam orbiculos nuncupant, contra inflationem & frigus in pituitosa febre.

Cõstãt ex
- Anisi denarijs quinque.
- Amygdalarum delibratarum semuncia.
- Schœnosanthos denarijs tribus.
- † Aloës lotę denarijs quinque. (margin: † laccæ ablutæ)
- Rhei barbarici, quod Raued dicunt, denarijs sex.
- Croci orientalis denarijs tribus.
- Hieræ picrę denarijs septem.
- Succi eupatorij denarijs tribus & dimidio.
- Seminum Apij, Fœniculi — Cuiuslibet drach. sex.

Ingredientia numero sunt decem, quæ singula trita & per incerniculum traiecta cum aqua stillaticia solari redigantur in formam pastillorum, & propinentur cum aqua calida, uel cum liquore stillaticio de radicibus. Et si res & necessitas postulauerit, in potu etiam exhibeatur confectio, diacurcuma, & dialacha, & diacostum, & diameron. Maximas itidem suppe-

tias conferunt hic paſtilli, quos Galenus libro de compoſitione Pharmacorum ſecundū loca cōpoſuit, quorum confectiones modus ſic habet.

*Paſtilli alij ad febrem antiquam, algorem, tumorem faciei, manuum & pedum.*

Accipe { Aniſi ſemunciam.
Folij
Perpenſę, quam aſarū uocant,
Abſynthij
Spicæ odoratę
Amygdalarum delibratarum } Cuiusq; denarios treis.
Aloes ſemunciam
Succi eupatorij denarios treis.
Seminum apij denarium unum.
Maſtiches tantundem. }

Leuigentur in puluerem, & traijciantur per incerniculum, & redigantur in paſtillos, propinentur in aqua ſtillaticia, ſiue decocto apij, uel oxymelite. Nec te lateat, quod febris quotidiana non ſemper eſt exquiſita, ſed notha ſępius, hoc eſt, impura, quando uidelicet bilis flaua cum pituita permiſcetur. In cuius utiq; curatione ſummo ſtudio cauendum, ne calorifica impendio remedia admoueantur, ne ignis camino (ut prouerbio utar) addatur. Sin uerò pituitoſo humori bilis atra cōmiſceatur, adminicula quæ calfaciunt, in eius medicatione & tutò & cum utilitate poſſunt adhiberi, uerbi gratia, paſtilli de abſynthio, cum liquore ſtillaticio, ſiue decocto, de radicibus. Confectio διὰ τῶν τριῶν πεπέρεων, hoc eſt, de triplici genere piperum, confectio de zingibere, antidotus è uiperis, quam Theriacam uocant, diacyminum, & id genus reliqua.

## De Quartana. Cap. XV.

QVartana febris etiam ex interpolatis eſt, quæ quum ſincera & expedita exiſtit, è ſola atra bile, extra uaſa putreſcente proficiſcitur, eodem uerò humore intra uaſa putreſcente continua quartana euadit. Sumuntur quartanæ ſigna à rebus quæ tum præter naturam tum naturales à Medicis appellantur. A rebus præter naturam, hoc modo, erraticis hæc magna ex parte febribus ſuperuenit, eò quod humor qui eam procreat, non niſi ex aliorum humorum aduſtione exoritur. Quod accidit principio nimirum, quando lien oblæſus

Notæ.

propter

propter imbecillitatē neq; quantū res exigit ad se attrahit, neq; tantū cōsumit, & quotiens se quis edulijs uiscidis, tenacibus, tardi trāsitus, frigidis & exiccantibus & bilem denique atram creantibus, largius usq; inuitat, ac onerat, quàm splen possit uel expurgare uel coquere. Inter initia circuitus accessionum quartanæ tremor corpus fatigans & oblædens accidit. Perduratq; accessio febre expedita existente, quatuor & uiginti horarum spacium. Non sincera autem febre, uel breuior uel longior habetur exacerbatio, si bilis flaua cum atra permiscetur, breuior: si pituita, prolixor erit insultus, qui Gręcè παροξυσμός appellatur. Neque uerò te lateat, quod prolixitas febrilis insultus, uel ad materiæ crassitudinem, uel ad eius copiosam molem, utriusq; enim singillatim cōtumatior est resolutio, uel ad uirtutis imbecillitatem, cuius ergò uitiosum nequit expellere succum infestantem, uel ad corporis denique crassitudinem seu cutis densitatem, quā propter uapores ac sudores obstruuntur, potissimum refertur. Sed & anni tempus, nempe intensius algidum, cuiusmodi est hybernum accessiones protrahit, res è diuerso contrariæ periodos breuiores reddūt. Duos hæc febris dies, hoc est, 48. horas intermittit, & quarto quoq; die reuertitur, unde & nomenclaturam sortita est quartanæ. Corpus in hac minimè impurum habetur, quoniam materia eius instar cinis existit. Vrine sunt tenues, albę ob cruditatem & aquosę per morbi principium, in decremento plerunq; nigrę. Neq; id sanè perpetuum, quoniam urinę in hac febre sunt pro uarietate colorum humoris unde nascitur quęlibet, diuersę. Pulsus in accessionis principio parui, tardi, & rari sunt, in summo uigore magni, æquales, & plurimum interim diuersi. Intumescit ampliter, & magnificatur ob atrę bilis copiam lien. Color cutis uiridis plumbo similis, & siccior deniq; euadit. Alui excrementa arida ualde atq; subnigra reddunt, neq; sudor copiosus profluit. Hactenus signa à rebus pręter naturā existētibus: A naturalibus autem rebus quartanę significationes eiusmodi sumuntur. Primum, si temperamentum laborantis sit frigidum & siccum, nempe melancholicum & eiusdem temperiei regio, ætas, tempus, atque uictus. Aetas nanq; media, autūnus, & ratio uictus sicca ac frigida, bilis atrę procreatrix, uerbi causa, caro bubula, uaccina, leporina, suilla, pisces sale seruati, lentes, caules, caseus antiquus, & edulia quędā uiscida cōcoctu peruicacia certius quartanā innuunt, præsertim si eo tēpore alioqui febris illa populariter uagetur. Quod autē ad curandi rationē attinet, si forte sanguis ue- *Curatio.*

 hementer

hemēter exuperare uideat̃,inter initia statim uena in sinistra manu,liena-
ris uocata,uel in sinistro cubito media,secanda est,& si uena incisa,sanguis
niger & crassior appareat,affatim detrahat̃.Si sanguis initio non uideatur
exuperare,eo,quod humores cōpacti crassiq́; nondū liquefacti,euacuatio
ni pertinaciter renitunt̃, tunc blādius demulcēdi & leniter tractandi sunt,
neq; ullo forti medicamento,aut euacuatione ulla subito irritādi. Alioqui
humorē infestantē arctius cōpingendo,contumaciorē reddimus.Eum ue
ro quē notis quibusdā iam concoctū deprehēdimus, proritare ad exitum
cōuenit,presertim humorē melancholicū.Exhibebimus itaq; medicamen
tum his munijs consecratū,uerbi gratia,epithymū,ueratrū nigrū,sticha-
da,myrobolanos cæruleos(quos Indos dicunt & nigros)lapidē lazuli,fili-
culā,quod Græce iam omnes polypodiū uocant,agaricū,senam,& id ge-
nus. Victū porro instituemus succi optimi, qui humoris atræ bilis malitiā
retundet.Quandoquidē igit̃ uitiū humoris atrebilarij frigidū & siccū exi
stit,edulia prebeant̃ calida & humida,minime flatuosa, extenuantia,discu
tientia,& aluū molliētia. Arceant̃ a cibis paulo ante cōmemoratis. Potus
sit,uinū albū,tenue,& moderate calidū.Quod si aluus durior respondere
detrectet,clysteribus quoq; utendū,per exordia quidē mollibus,postmo-
dū uero acrioribus. Vsus preterea ouorū cichoriatorū & sorbiliū ꝓbatur,
salsa etiā & sinapi,non cibi sed medicine ratione,ut eorū qualitate,nō essen
tia tenaces & crassi humores incidant̃ & extenuent̃,indies præbēda sunt.
Cuius utiq; rei gratia,etiā quotidie cōfectiones quedā calide sunt exhiben
de.Deambulationes & frictiones tēperate, & alia hominū cōsueta studia
nō sunt penitus ꝓhibenda,fieri enim potest,ut hisce rebus adhibitis,& cu
tis rarior,& materia peccās, tenuior euadat. A balneis tamē uel in totū, si
possunt,abstineāt,aut paucissimis saltē contēti sint. Liquefacti enim sepenu
mero meliores succi cū malis permiscent̃ & corrūpunt̃.Et quoniā,quū id
qđ tenue est resoluit̃,reliquū euacuatu difficilius euadit,itē quod humor
crassus, si in arctiores meatulos fluxerit, obstructiones generat, quapro-
pter circa morbi statū,uictus rationē extenuantē, & quietē longū prescri
bemus. Mox apparentibus notis concoctionis, purgandum pharmacis,
quæ atrā bilem suapte natura euacuāt.Coctus enim & extenuatus humor,
euacuationi haud obstinate obtēperat. A purgatione antidotus e uiperis,
quā Theriacā nuncupāt,aut aliud medicamentū, illi facultate simile exhi-
bere conuenit. Sciendum autem,quod quicunq; inter morbi initia, aut o-

mnino

mnino priusquàm concoctionis signa compareant, aliquod ex ijs medicamentis exhibet, humorem quidem mouent, sed non euacuant, & uitiosis humoribus, bonos inficiunt, quibus uno in loco consistentibus, uehementior febris excitatur, si duobus in locis consistet, ex simplici quartana, sæpius duplicem faciunt, si tribus locis contineantur, ex duplici triplicem, uel prorsus ambas maiores reddunt. Tunc sanè de iocinore & liene habenda est sollicitudo. De iocinore quidem, quod hoc uiscus adustionem pariter & inflammationem procreat. De liene uerò, quoniam ipsum atrę bilis & materiei adustæ est receptaculum, utriusꝗ autem curam iuxtà in principio fieri cum oxymelite conuenit. Est quando febris hæc melancholica cum istis pastillis concoquitur.

*Pastilli Iocinori & Lieni conducibiles ad Quartanam & flauam bilem adustam, sanguiniꝙ purgando, uel post uiginti dies accommodatæ.*

Recipe:

- Succi eupatorij denarios tres.
- Hemionitidos (scolopendriam uocant) denarios quinꝗ.
- Lachæ (laccam nominãt)
- Rhei Barbarici, quod Raued dicitur. } Singulorum semunciam.
- Spodij denarios quinꝗ.
- Seminum { Citrulli, Portulacæ } Singulorũ unc. mediam.
- Rosarum denarios sex.
- Spicæ denarios quatuor.
- Seminum fœniculi denarios tres.
- Croci denarios duos.
- Piperis candidi semunciam.
- Radicum capparis
- Seminum { Apij, Anisi } Singulorum denarios tres.

Summatim ingrediunt hanc cõpositionem simplicia. 15. quibus tritis & cribratis, leuigent cum stillaticio liquore apij, & forment pastilli quibus de quantũ uidebitur cum oxymelite, aut stillaticia aqua fœniculi, intybi, endiuiæ ue & cuscuthæ prębeat. Conducunt etiam ad hanc rem pastilli, qui conficiunt ex absynthio, deinceps etiam iubendũ est, ut ægri à cibo, sumptis raphano & cęteris huic muneri dedicatis rebus, euomant. Pręstat insuper ęgrotantē in die accessiõis omnibus alimētis defraudare, potissimũ si quartana ad pituitã adustam referat originē. Cęterũ quũ febris hęc longo tēpore durat ac diutius protrahit, & notæ humorũ frigidorũ crassorum & tenacium apparent, hoc quoꝗ decoctum propinandum est.

Decoctum

*Decoctum ad Quartanam ex adusta pituita natam.*

Accipe
- Seminum
  - Apij
  - Aniſi
  - Cari — añ. denarios quincꝫ.
- Ameos ſemunciam.
- Origani ſylueſtris
- Calaminthę fluuialis — añ. denarios quincꝫ.
- Paſſularum mundatarum denarios uiginti.

Elixentur in aquę trepondo, quo ad partes duę conſumantur, transfundatur per colum, & tertia pars eius tepida doſis eſto. Cęterum non ſumatur in die paroxyſmi, in quo ſanè nihil expedit, quã ſudorem prolicere, uomitum proritare, & Genium omnino defraudare. Neque profectò minus medicamentum, quod ſubiungam, opis conferet.

*Medicamentum Quartanæ à facta concoctione proficuum.*

Accipe
- Seminum
  - Ameos denarios decem.
  - Cari denarios ſeptem.
- Piperis denarios tres.
- Zingiberis ſemunciam.
- Aniſi denarios quatuor.
- Spicę denarios decem.
- Thymi denarios quincꝫ.
- Calaminthæ montanæ ſemunciam.
- Caſſiæ ligneæ unciam unam.

Quę ſingula cõtrita & per in cerniculũ anguſtiſſimũ traiecta leuigentꝰ cum melle. Modus eſt, denarius unus cũ liquore ſtillaticio apij & fœniculi. Conferunt etiam hęc catapotia, qualibet ſeptimana ſemel deglutita.

*Catapotia pro febre Quartana à concoctionæ deuorata.*

Sumito
- Epithymi denarium pondo decem.
- Ameos denarium pondo octo.
- Aniſi
- Fœniculi — Singulorũ denar. põdo duũ.
- Turpeti (hodie turbith nuncupant) denarium pondo decem.
- Salis Indici
- Filiculæ — Vniuſcuiuſcꝫ denar. põd. ſex
- Hieræ picræ denarium pondo decem.
- Agarici exquiſiti unciam unam.

Redigantur in puluiſculum ſingula, & miſceantur cum hiera, & conficiantꝰ catapotia cum ſtillaticio liquore mentę. Exhibeatur inde unica datiõe ſeſquidenarij pondo cum aqua calente, ſub ſomnũ noctu. Sũt, qui potionẽ

ex ſolo

ex solo pipere instructam, in quartana propinent, præsertim in declinatione morbi.

### De Hemitritæo, id est, Semitertiana. Cap. XXI.

FEbres quandoq; complicantur, quum diuersis horis inuadunt. Pituita enim intra uasa, & bile extra uasa putrescente, tertiana interpolata cum quotidiana continua complicabitur. Peculiariq; nomine febris hæc Græcis ἡμιτριταῖος, hoc est, Semitertiana expedita nuncupatur, quod scilicet dimidia parte alterutram prædictarum febrium obtineat. Est uerò & non exquisita nothaq; hemitritæos, quæ ex contrariis è diuerso causis constituitur. Quo circa quum utræq; febres uel extra, uel intra uasa causantur, non rectam Semitertianæ appellationē sortiuntur. Propterea, quod autore Hippocrate Epidimiarum primo, Semitertiana nullo discrimine quælibet partim continua, partim intermittens existit. Atq; huiusmodi febris triplici modo generata, tres differētias cōstituit. Aut enim bilis flaua sincera, aut pituita, aut utraq; iuxtà præpollent. Et hæc utiq; febris primo die uehementius affligit, altero uerò quietior existit. Cuius rei causa est, quod primo statim die febres geminæ infestant, nempe ea quæ ex bile flaua largiore, & ea quæ ex pituita prouenit, secundo autem, illa modò quæ ex sola pituita originē ducit. Quòd uerò ad ipsius curationem attinet, instituatur semper pro exuperantis humoris ratione medicatio. Quod si bini humores æquiualente copia præcelluerint, præsidiis maximè utemur his, quæ singulos humores infestantes sua natura curant, & temperatæ sunt essentiæ. Si bilis superior sit, quæ euacuationem efflagitet, manna & cassia fistularis cum decocto prunorum exhibeantur, quod itidem datur cum hordeo sæpe, & oxymelite, Pisum item, quod mes uocant, cum atriplice & blito. Sin ex pituita præualente febris proueniat, liquore stillaticio, decoctoue mercurialis cum saccharo rosaceo utendum est, uel propinetur aqua rosarum saccharo conditarum, siue syropus cum stillaticio liquore apii, & fœniculi. Si utriq; ex equò preualeant, medela utrinque æquiualenter componenda est.

De Hepialo,

De Hepialo, & Lipyria. Cap. XXII.

NOtandum hic loci, quod uitrea pituita, quæ omnium aliarum frigidissima est, quandoque in toto corpore redundat, quando que una duntaxat ipsius parte iustum naturæ modum præcellit. Et ea quæ toto corpore superfluit, uel uniuersa æqualiter putrescit, uel nihil plane ipsius putredinem expetitur, aut pars quidem ipsius putrefactionem sentit, pars uero nullam omnino percipit. Siquidem nondum uniuersim putrefacta exundauerit inexpugnabile in corpore frigus, & qui nullo euinci calore possunt, rigores sine febri excitat. Si uero tota putrefit, uel extra uasa uel intra uasa putrefit, si extra uasa, quotidianam febrem suscitat periodicam, si intra uasa, continuæ febris causa redditur. Quando autem non tota æqualiter, sed ex dimidio ipsius putruerit, aut aliquæ ipsius partes, nonnullæ uero non putrefactæ fuerint, Hepialũ febrem hãc procreat, in qua rigor pariter & febrilis caliditas consistit. Frigus quippe uiscera, calor uero exteriores particulas exercitat. Lotium mingunt hac febre correpti minus rubeum (caloris nuncium) quàm qui quotidiana cõflictantur, atq; crassius etiam. Percussus arteriarũ crassus, densus, inæqualis, qui indies interdum uehementior, & subinde quarto die ualentior euadit. Sola symptomata & accessionum circuitus Hepialũ produnt. Sepe durat accessio quatuor, sepe octo, nõnunquã quatuor & uiginti horas, idq; pro materiei quæ ipsam parit tum copia, crassitudine, proq; corporis tum densitate & raritate, uirium imbecillitate, & anni deniq; tempore. Cæterũ hec febris non ex diuturnis habetur, siquidem plurima ex parte nõ durat, nisi dies plus minus uiginti. Porro febris quæ quinto quoq; die, aut septimo, aut decimo quoq; accedit, ex sola pituita crassa, uel ex bile atra, contumacibus humoribus prouenit, & pro quãtitate & crassitudine succi creatoris, acerbationis periodus uel anticipat, uel subsequitur. Vrina & pulsus, materiei infestantis magnitudini respondent. Ex præfate numero est, sicuti Galenus testatur, quæ λειπυρία Græce uocatur, qua detenti, in extremis partibus uniuersis, frigus intus, & in ipsis uisceribus, calorem sentiunt, cum siti uehementi, & scabritia & asperitate linguæ. Pulsus in hac paruus atque lenis habetur. Lypiria itaq; cõtraria est Hepialo, quoniã in Hepialo frigus internis partibus, caliditas externis sentitur. Lypiria cõtrario, ut diximus, modo se habet. Et in Hepialo peculiaris habẽda est sollicitudo uentriculi, proliciendo uomitum, exhibitione potionum quæ infrigidant, uentriculũ repurgant,

*ἠπίαλος.* *λειπυρία.* *Discrimen Lypiriæ & Hepiali.*

repurgant,& urinam proritant. Cuius classis est, stillaticius liquor fœniculi, petroselini, & apij cum saccharo rosaceo & oxymelite. Dilutum præterea aloës, hieraq́ picra, & catapotia de eupatorio atq́ de aloës, deglutienda propinentur. Clysteres ex quibusdam acribus instructi iniȷciantur, uerbi gratia, ex chamæmelo, sertula campana (melilotum Græce iam omnes nominant) surfure, meditullio cnici, centaureo minore, anetho, muria, salsamentoue, quod Almuri Arabes nuncupant, & melle. Cibus esto decoctum ciceris, muria, cyminum, oleum de amygdalis dulcibus, blitum, & asparagus. Inter initia febris Lypiriæ saccharum rosaceum cum oxymelite, per statum uerò & circa finem, dilutum de aloës, hiera picra, stillaticia aqua fœniculi, intybi seu endiuiæ & apij, pastilliq́ rosacei, quos rhodides uocãt, & mastiche pręsidio sunt. Et in uniuersum in Lipyriæ curatione minus calorificis quàm Hepialo utendum est.

### *De febribus ex loci alicuius affecti dolore creatis.* Cap. XXIII.

QVotiens febres ex partis alicuius affectę, uerbi causa, iecinoris, lienis, pleuræ, lateris, renum & cerebri dolore nascuntur, uniuersa curandi ratio accuratissimè membro læso adhibenda est. Cuius curationi, tantisper dum causa & eius parẽs abscindat, insistendũ.

### *De præcipiti uirium lapsu, quam Συγκοπὴν Græci uocant & Animi deliquio, quam nunc λειποψυχίαν, nunc λειποθυμίαν gens eadem nuncupant.* Cap. XXIIII.

OCcasiones quæ syncopas concitant complures sunt, eoq́ curationem aduersus unamquamq́ pro singularum causarum ratione & quantitate cuiusque moliri tutissimum est. Qui igitur ob choleram, siue diarrhœam, aut ob aliam quamlibet immodicam euacuationẽ syncopæ premuntur, faciem horum oportet frigida roris modo adspergere, anhelitum eorum diutiusculè apprehensis naribus cohibere, os uentriculi præmissa frictione oblinire, uomitum præcipere & stomachũ turbare, uel digitis immissis, uel pinnis. Præterea uinculis ualenter deligari, si per imas particulas uacuationes fiunt, manus: si per superiores crura, debent. Vinũ etiam aqua temperatum, eos qui multis & uniuersum factis uacuationibus resoluuntur, curat, nisi uiscerum inflãmatio, aut capitis dolor uehemens, aut febris ardens prohibeat, in his enim uinum plura incommoda quàm emolumẽta affert. Balneum uerò comprimis opitulatur ex alui profluuio resolutionibus.

*De his qui ex sanguinis profluuio & sudoribus immodicis in syncopam incidunt.*

HIs autem qui ob sanguinis eruptionem aut diaphoresin & immoderatum sudorem syncope periclitantur, balneum est perquã inimicum, quoniam res ipsa refrigerium, soliditatem & astrictionem, non liquefactionem aut mollificationem requirit. Vinum porrò dilutum, sanguinem fundentibus subuenit. Hos neq; ligaturis uincire, neq; uomere, neq; omnino mouere, sed infrigidare potius & constipare oportet. Tum, ut frigidus aliquis uentus domum in qua decumbunt, accedat prospiciendũ, perflatusq; faciendus, assidua auræ conciliata permutatione. Myrtus, rosę, uiolę, uitium palmites, & alia frigidæ facultatis, per aream proijciantur.

*De his qui ob humorum plenitudinem in syncopam incidunt.*

QVi ex plenitudine animo destituuntur, Manus horum & crura sedulò perfricentur, calefiant & uinculis arctioribus excipiantur. Vino ciboq; & balneo abstineant. Potio autẽ mulsę in qua calamintha montana, & campestris, tantum, aut hyssopus & thymus elixata sint, propinãda est. Propitiũ etiam ijs habetur oxymeli. Quæ itidem fœminis quę ob uteri uitium exoluuntur, egregiè succurrunt, dempto oxymelite, haud enim illis congruit, quarũ insuper crura ualidè ligare & fricare cõuenit. Cucurbitulę super mãmillas defigentur, si plurima comitat̃ locellorũ euacuatio. Sicuti in strãgulatu, quũ ad superiora recurrũt, uel ad latus uergunt locelli, coxẽdicibus & inguinibus imponant̃. Naribus fœtida calorifica, uuluę odoratissima adhibeant̃. Porrò si propter imbecillitatẽ stomachi animus deliquerit, his remedijs succurrendũ est, quę firmando ipsi sunt. Emplastra igitur corroborantia quæ castanea, uino, cremore aut ptisana hordei, croco, aloë & mastiche constant uentriculo imponant̃, oleũ de absynthio, mastiches, cotoneorũ & spicæ uino admixto, inungat̃. Et si stomachus æstu aut inflãmatione infestat̃, frigida quędã memoratis, uerbi gratia, ramenta cucurbitæ, aut succus lactucæ, aut aqua stillaticia succusúe solani, admisceantur. Emolumenti plurimum ita affectis confert manuum pedumq; frictio. His itaq; rebus accuratè adhibitis, optima succedet corporis dispositio. Iis ad hæc qui inflãmationẽ habent, aquæ dulcis calidiusculę lauacri usum cõcedimus. Frigore autẽ affectis, confectionẽ διὰ τῶν τριῶν πεπέρεων, hoc est, quæ triplici genere piperum constat, & pipere ipso per se frequenter

*Si ob imbecillitatẽ stomachi exolutio.*

*Si feruet stomachus.*

utendum

utendum, & serapio, quē syropum dicunt, de absynthio. Item his qui subito animam, propter humores prauos & mordaces perdunt, aquam calidam per se propinamus. Vel oleo adiecto uomitū prolicimus. Iis autem qui difficulter euomunt, locos ad stomachū attinentes præcipue manus pedesq;, calorifico aliquo remedio fouemus, atque omnino calfacimus. Quibus si uomitio non respondeat, digiti quoque aut pinnæ faucibus inserantur, si ne tum quidem procedat uomitus, deglutiatur oleum percale factum, nam id uomitum impense quidem proritat, sed uentrem interim mollit. Atqui mollis & lubrica aluus sic affectos plurimum iuuat. Proinde si per se non respondeat, ipsa, glandem (quam Græci βάλανον, Barbari suppositorium uocant) subijciamus, aluum deijciendi gratia. Et quando istis rebus peractis ad sui sensum reuocantur, nec animum modo sed pristinam quoque habitudinem recipiunt, absynthij nonnihil in mulsa decocti præbemus, & robur uentriculo tam ijs quæ intra in corpus sumuntur, quam his quæ foris inijciuntur, crebro inducimus. Neque per initia statim astringentibus, sed euacuatis prius humoribus uitiosis, utemur. *De his qui ob humores uitiosos exoluūtur.*

*Si Pituitæ copia animi deliquium inferat.*

AT si qui ob multitudinem pituitæ in uentriculo congestæ derepente dissoluuntur, his prodest embrochas ex herbis & oleis compositas adhibere. Primas autem bonitatis hic locum oleum de absynthio citra cōtrouersiam tenet, Aqua deinde mulsa in qua hyssopus & id genus quid elixata sint propinetur. Oxymeli item ac piper propitium est. Nam uniuersam huius mali curationem acriter incidentibus fieri oportet.

*De animi deliquio ob ingentem algorem.*

QVod si quis ex intenso frigore & nimio algore resolutus anima defecerit, huic sola alteratio auxiliatur, modis itaq; omnibus calfaciamus ita affectum. Vinum præter cætera calida dilutum propinantes, edulijsq; calorificis enutrientes, & frictionē, denique ad ignem adhibentes. Medicamentorum haud postremas tenet διὰ τῶν τριῶν πεπέρεων.

*De animi deliquio ob uehementem calorem.*

E Diuerso si ob nimium calorem uel aëre percalido aut præfocanti, uel à multa in balneo ad debilitatem usque & defectionem mora

contrarijs restitues præsidijs. Confestim igitur affectum frigida insperge, uentulum flabello conciliato, spirantiq; auræ obijcies, & os uentriculi fricato & denudato, uinum insuper & alimenta exhibeto.

*De animi deliquio ob inflammationis magnitudinem uel ob febris malitiam.*

QVod si ob inflammationis immanitatem, aut febrilis paroxysmi malignitatem syncope acciderit, quum uiribus deiectis inchoante a cessione manus ac pedes summè refrigerantur. Artus egregiè fricato & foueto, manus ac pedes ualenter uincito, uigilias imperato, & ut penitus ab epulis & potione abstineant facito. Futuram hanc cladem præcognosci, & ante accessionem cum eis quæ recreare posse consideris occurrere, consultissimum est.

*De his qui ob siccitatem in accessionum principijs exoluuntur.*

QVibus propter siccitatem anima defecerit, duabus aut tribus horis ante febris insultum cibus offeretur, Panis ex aqua cum acinis mali Punici, uel in uino maceratus, si magni periculi metus sit. Nam si quid con coctu peruicax exhibueris uehementior animi defectio succedet. Quibus ob principaliũ membrorum uehementẽ necessitatem animæ defectus accidit, hunc contra cum oxymelite pugnandum est, & aqua mulsa in qua calamintha campestris aut montana, aut hissopus elixata sint, & edulijs in super incidendi facultate præditis, frictione item & inunctione artuum, prosunt item quæ urinam prouocant. His enim & animus & pristina habi tio reuocatur. Potus sit uinum album, austerum, & astringens, non admodum uetus.

*De his qui ob repentinam euacuationem exoluuntur.*

QVi ob subitam bilis euacuationem animo destituuntur, eis robur, aromatis & quibusuis refragrantis odoris, edulijs item ac sorbitioni bus concoctu minimè peruicacibus inducendum est.

*De his qui ob affectus animi, animo delinquuntur.*

QVi ex animi affectibus, utpote, ingenti mœrore, iracundia, terrore, sollicitudine, gaudio, tędio & oblectatione attoniti euadunt, aut ani mam subito perdunt, ij itidem rebus odoriferis reficiendi, naribus apprehendendi, ad uomitum cogendi, ita enim ad sui sensum reuocantur.

*De his qui ob uehementem cruciatum attoniti euadunt, & exoluuntur.*

QVos denique syncopæ de improuiso ob intensissimum aliquem cruciatum adoritur, puta, dolorem coli, cæterorum intestinorum torminum, aut cuiuscunque particulæ, sollicitudo maior adhibenda est, frictioni, & calorificis auxilijs maximè pugnandum.

*De his qui ex sudoribus largius erumpentibus exoluuntur.* Cap. XXV.

SVdores largius erumpentes adeò lassant, ut ægros sæpius in syncopen perducant. Quos sanè præstat quàmprimum rebus quæ latentes meatus obstruunt, reprimere & exiccantibus madorem humoris exitum prohibere. Cuius utique classis habentur, terra samia, creta cimolia, spuma argenti, rhus (sumach uocant) galla, anisum, thus, alumen, folia myrti trita & in pollinem coacta, oleum de floribus uitium, oleum rosaceum, oleum cotoneorum, oleum mastichinum corpori cum frictione diligenter circumlita. Quin & farina thuris in paspalam, hoc est, minutissimum puluisculum redacta, corpori inspersa sudores supra modum excedentes reprimit & compescit. Idem præstat uictus quoque siccior. Atque ita sanè de compendiosa febrium curatione satis.

IANI DAMASCENI SECVNDI LIBRI FINIS.

## PERIOCHA VOLVMINIS TERTII.

IN hoc uolumine totius operis Tertio de omnibus capitis, cerebri ac neruorum passionibus ac uitijs, tam summę cutis quàm interiorum, tractatio est. Vbi itidem de causis singularum ægritudinum primò, mox, de agnitione ac notis uniuscuiusque, Postremo de curatione cuiuslibet accurata, succincta quidem, sed absoluta disputatio est.

## ELENCHVS EORVM QVAE TERTIO LIBRO COMPLECTVNTVR.

# IANI DAMASCENI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, De Medendis capitis paſſionibus Lib. III. ALBANO TORINO Vitodurenſi Paraphraſte.

### De Caluitie, Alopecia & Ophiaſi. Cap. I.

GALENVS hæc capitis uitia ex duplici occaſione potiſſimũ uſu uenire aſſerit. Quarum prima humoris, quo capilli nutriri conſueuerunt, defectus, Altera, humiditatis alienę & infectæ, quę in radicibus capillorum aceruatur, prauitas, exiſtit. Caluicie autem, quod ex humidi nutrientis penuria euenit, curationem non recipit, & pili in eo haud aliter, ac ſtirpes nonnullæ humiditatis inopia inareſcentes, contabeſcunt, & emarcentur. Alopecia uerò & Ophiaſis ex prauitate uitioq; humidi proficiſcuntur. Ophiaſi ęgrius & maiore quàm Alopetię negocio, ſuccurritur. Vnum quidem ambæ ſecundum morboſam affectionem malum, ſi quis ſollicitius cauſam examinet, ſola nomina iuxta figuram diſſident. Quoniam ὀφίασις læſam partem tum capitis tum reliqui corporis modò ſerpentis, quæ Græcis ὄφις eſt, glabram oſtendit, Tyriam uocant, quæ uox ſerpentem, potiſſimum autẽ uiperã ſignificat. Alopetia uerò, quod uulpibus frequẽter accidat appellationẽ ſortita eſt. Et ſi diligẽtiore ſtatera utriuſq; areæ parentẽ trutinaueris, non ſpecie, ſed medendi ratione ac nomine differentiam ſortiri depræhendes. Medendi quidem ratione, quod illa difficilius quã hęc ſanitati reſtituitur. Nomine uerò, quoniam altera, Ophiaſis, ſiue Tyria ex figura & ſenecta ſerpentis appellatur: Altera, Alopetia à uulpe, quæ continue eo malo, ut dixi, infeſtatur & ἀλώπηξ Græcè dicitur. Simul uerò atque humorem quemcunq; Alopetiaſim induxiſſe, colore cutis capitis, ætate laborãtis, anni tempore, regioneq; & ſimilibus cognouerimus, Pharmacis ſtatim corporis purgationem moliri conuenit. Deinde ijs quæ foris inijciuntur agẽdum. Hac nempe methodo ac ratione: Si cutis capitis affecti nigrior, ætas quadraginta annorum, Regio ac anni tempus frigida & ſicca fuerint, atram bilem abundare & temperamentũ melancholicum

ſignificat:

ſignificat: Si albior color exiſtat, ætas ſenilis, tempus & regio frigida & uda, pituitã & naturam phlegmaticã, quod eſt, frigidam ac humidam, portendit, tunc cum Hiera Ruphi quæ ex colocynthide conſtat, purgare ex uſu eſt, quoniam & bilem hæc atram & pituitoſum humorem iuxta detrahit. Illam item ueratrum nigrum ſtrenue expurgat, ceu hunc turpethũ & agaricus. Si cutis uero capitis pallidior ad citrinitatem uergat, ætas iuuenilis, regio, anniq́; tempus calidę & aridæ conſtitutionis exiſtant. Flaua bilis humor plus iuſto redundat, & temperies billioſa ueluti digito indicatur, eoq́; humor bilioſus in exquiſita eius curatione comprimis euacuandus eſt. Deuoratis uidelicet catapotijs ex cucurbita ſylueſtri (quam colocynthida Græce uocant) maſtiche, ſcammonio & abſynthio confectis. Quod ſi qui Alopeciam patitur, ſanguineæ temperiei eſſe uideatur, Curatio à ſanguinis detractione auſpicanda eſt, quã deinde confeſtim humoris uitij creatricis purgatio excipiat, mox caput etiam gargariſmis & apophlegmatiſmis (maſticatoria hodie uocant) ſubinde euacuetur, puta, cum hiera Picra, corticibus radicum capparis, ſtaphiſagriaq́ue permixtis, & ſyropo acetoſo cum colocynthide, acetoue ipſius præparato, dilutis. Quod ſi hyſſopus & nepeta, (quam καλαμίνθην Græci nominant) tum montana tum fluuiatilis aut thymus in aceto macerentur, præſtantius & præſentius erit auxilium. Poſt hæc ad topica, quæ foris adplicantur, remedia deueniendum erit. Glaber igitur locus his rite peractis ſedulo confricetur, ſi flaua quidẽ bilis ſubſit, lintheolo neque aſpero, neque molli nimium, Si ex atra uero bile ſeu pituita uitium prouenerit, cum cepe, ſcylla, porro & alijs id genus abſoluatur frictio. Quibus actis & tranſactis accurate omnibus pharmaca aggrediunda ſunt compoſita, quorum peculiari Volumine qui de Cõpoſitione pharmacorum inſcribitur præclaram admodum mẽtionem faciemus. Simplicia autem quæ in hoc affectu prętercetera cõmendantur uelut exquiſita remedia, ſunt, euphorbiũ cæteris omnibus longe feruentiſſimũ, eoq́; non citra cautionem unquã adhibendum. Alterum in calfaciendo locum habet ruta, quę in arduis prouenit montib. Tertiũ ſinapi & thapſia, ſpuma ex nitroſis aquis & paludibus, in harundinũ ambitu hęrente, aphronitrum, hoc eſt, ſpuma nitri, roſei coloris nitrũ, armenum, probatiſſimũ autẽ omnium nitrum quod leuiſſimũ & ſine pondere eſt, quod cruſtaceum ac friabile, colore pene purpureo,

ſpumoſum,

ſpumoſum,guſtumq; erodens modice,haud admodum terrenũ. Poſſunt
uero hæc de ſpuma magis intelligi. Adarce,ſulphur, ueratrum utrunq;,
candidum & atrum,ſemen erucę,oleum laurinum,& ex lucerna. Quinq;
ſpecies halcyonij,ſpuma maris adpellati. Quarum prima,denſa,ſapore a-
cerbo,ſpongioſa,uiroſa,ponderoſa,piſcoſo odore. Altera,ſpongię ſimi-
lis,ſine pondere,fiſtuloſa,odore pene algoſo. Tertia,uermiculi forma,co
lore magis purpureo,Mileſia à quibuſdam nuncupata. Quarta,ſuccidis
uelleribus ſimilis,hians & leuis. Duo hęc poſteriora genera cæteris ma-
gis Alopetias replēt,præſertim cremata. Poſtrema uero ſpecies figuram
fungi,ſine odore,aſpera,intus pumicoſa,foris leuorem habet. Valent cre
mata & incremata,cęterum cremata efficatiora ſunt,& media potiſſimũ,
ut dixi,genera. Prodeſt & pix liquida, cedrinus liquor, muſcerda, adeps
urſinus inueteratus,ſuillus, axũgiaue,& adeps Lupinus,Leopardinus,a-
natinus atq; uno uerbo quilibet alius tenuiũ natura partium,ſinguli enim
cutem penetrãt & uirtutẽ medicinarũ intimius ſecũ uel ad radices uſq; ca
pillitij tranſuehũt. Amygdala pręterea amara cõfert,cum cortice ſuo ex
teriore cremata,acetoq; aliquot diebus macerata, in ſole illita & infrica-
ta. Sũt qui cortice ipſius cõbuſto in oleo leuigato utantur. Expediũt iti-
dem cortices nucum ponticarum,quas auellanas nuncupant, toſti, fimus
palumbinus,auripigmentum (quod Græci ἀρσενικὸν dicunt) aureo colo-
re,cruſtaceum,ſandaracha,ſaponaria,quæ herba dicitur fullonum. Ole-
um ex lucerna(nempe recrementum olei lampadis extinctę,ſiue magma
eiuſdem.)Ruta ſatiua,malum terræ(quam iam omnes Græce ἀρισολοχίαν
appellant)rotundum atq; longum,cepę rotundæ ac longæ,ſcylla,porrũ,
alliũ. Licet etiam eadem cum acrioribus & calidioribus medelis tempe-
rare. Cęterum uſus eorum non eſt tutus,quoniam cutem cauteriatam red
dunt,atq; exhulcerant,niſi ceroti aliquid Parygri appellati admiſceatur,e
cera pariter oleoq; aliquo tenuium partium confecti,eſtoq; in uniuerſum
ſubtilioris eſſentiæ. Et quicquid inde conſtituitur blandum reddatur ac
debile,neq; mordax neq; penetratiuum & cauterizãs,admixtione olei lau
rini,aut pice liquida,aut oleo balſamino,nardinoue. Sunt autem hęc prę-
ſidia in loco & aëre calido,flatu uacuo,uel in ſole adhibenda,nempe ęſta
tis tempore ſub dio,in hyeme uero in hypocauſto ſeu balneo. Oportet au
tem ante commemoratorum medicaminum uſum caput nouacula ton-
dere,deinde patientem cutem cum lintheolo confricare, atq; ad quãtum
ruborem

ruborem per huiusmodi frictionẽ perueniat animaduertere. Si enim per modicam frictionem statim rubore suffundatur, passionem sanatu haud admodum difficilem portendit. Si uero uix post longam atq; multam frictionem rubefiat locus, tum morbum, tum curationem difficilem arguit, eoq; in horum medicatione fortium remediorum usum aggrediamur necesse est. Hactenus quidem de simplicibus remediorum auxilijs, nũc uero & composita medicamenta paucis recensemus.

*Linimentum ad Alopeciam.*

RAtio utendi & conficiendi linimenta in area, quę Alopecia dicitur, è bile flaua enata, sic habet. Primũ capillos nouacula tollere cõuenit, deinde locum affectum halcyonio cremato, aut cum panno laneo rudiore quidem sed neq; nimium aspero, neq; molliore admodum quoad rubescat, confricare oportet. Mox mu cerdam aceto excipe eoq; caput perline. Vel accipe in pila & contere nitrũ cum halcyonio, admixtaq; adipe ursina, informetur linimentum, quod capiti illinatur assidue. Vel radices harundinum combustas, & amygdalas amaras cum corticibus exterioribus ustas in aceto acriore excipito, fingaturq; linimẽtum, quo caput depile crebro caluumue illinatur.

*Linimentum ad Alopeciam ex atra bile.*

SI ex humore melancholico proueniat affectio, itidem locum ante omnia tum nouacula detõdito, inde scalpito, fricato cum cepa acriore, rutha syluestri & oleo balsami. Aut pyrethrũ & semen erucæ oleo leuigatum in, linimentum redige ac capiti iugiter inunge. Vel, sumito absynthij, armeni, nucis Pontici & amygdalæ amaræ cortices cum aphronitro crematas, leuigabis ac dilues in oleo laurino, & fiat linimẽtum, quo caput frequenter perungatur.

*Linimentum ad Alopeciam è pituita enatam.*

QVando ex humore pituitoso Alopecia emergit, ualidius ex his quæ consequuntur linimentum conficitur, & istoc modo recte adhibet. Patientẽ in primis cutem cum cepa, porro, aut alijs cõfricato, mox eandẽ, cum euphorbio, rutha mõtana, & sinapi cũ oleo laurino, cedrinoue liquore exceptis & in linimentũ redactis perunge. Aliud: Accipe, rutæ montanę, euphorbij, baccarũ lauri, singulorũ quadrantẽ, sulphuris ignẽ nõ experti (hoc est, uiui) ueratri cãdidi, & nigri cuiuslibet sesquiunciã, cæræ & olei laurini quãtũ ad ea excipiẽda satis est. Oleo ueteri cõfunde medicinas aridas, adiecta cerę & olei iusta mẽsura, ita quidẽ ne prę tenuitate liquefiat, neq; adeo crassum euadat, ut arefiat, sed tẽperatum omnino & illicioni idoneum reddatur, quumq; usus & res exigit, adhibeatur.

De capillorum

De capillorum defluuio. Cap. II.

DEfluuium capillorum raritatem cutis, penuriamq́ essentiæ pilos generãtis comitatur, è cuius sane inopia capillorũ radices arescunt, nihilq́ pullulant. Eoq́ curãdi ratio eius mali diuersum scopum cum Alopetia sortitur. Quoniã in eius curatione princeps scopus habetur, ut uitiosus humor cuti impactus aut tollatur, aut consumatur, conficiaturq́ ne materiã capillorum parẽtem corrumpat. In capillorum uero defluuio scopũ curationis habemus, alterationẽ succorum ab imo ad superficiem cutis euocantem, reuocationem immodicæ raritatis ad moderatam spissitudinem, cum roboratione capitis. Sic ut paritas quædã exacta inter densitatem & raritatem compareat, siquidem quum iusto densior existit, capillorum prouentum prohibet. Quamobrem humectãtibus medicamentis semper aliquod mediocriter adstringẽs est admiscendum, quale suapte natura est Ladanum (& oleum masticḣinum) quod utranq́ facultatem moderate mixtam obtinet, quæ huic symptωmati iuxta sunt necessariæ, calorem uidelicet moderatum & astrictionem ei respondentem, unde succi capillorum fit attractio, & apparatus, qui sibi perinde atq́ corijs congruit. Quocirca cum oleo quopiam temperamentum & capiti illitum capillos firmat & defluentium symptoma sistit, probatur autẽ ex oleis præcipue Lentiscinum, suapte natura ladano affine. Verum manifestum cuiuis esse arbitror, nullum medicamẽtum in fluentibus capillis esse adhibendum, nisi capitis frictio præcedat & multitudinis pilorum resectio. Et si anni tempus permittit, sic, ut aërem frigidum superuenire metus non sit, etiam perfecta per nouaculam ablatio. Ita enim frictionibus & illitui erit locus, unde robusta & calida cutis reddetur, & moderatã spissitudinem, meatuum scilicet naturalem dẽsitatem acquiret. Cutis quippe terrę instar, humiditas seminis uice, pili segetis loco censentur. Assolet autem istud capitis uitium plurima ex parte ijs qui ex ægritudine conualescunt, accidere natiuo scilicet calore diminuto & materia per euacuationem exhausta, rarius autem citra morbum contingit. His autẽ qui antea ægrotarunt, salubrior uictus ratio & refectoria magis conuenit, atq́ linimentorum usus. Nos autem uidimus sanitati cõplures citra medicamentum perfecte & celeriter restitutos. Composuerunt tamen ueteres medici eius gratia pharmaca, quæ cutem, ut docuimus, suapte natura medio criter densent, ita tamen ut ne simul eam refrigerent, quoniã omnia uehementer

*Lentiscinum.*

menter aſtringentia omnino etiam refrigerant, & alimenti affluxum reprimunt, quo minus quàm par eſt ſuppeditato, capilli propter eius inopiam defluunt, partes quippe corporis, ſolo eo quod coctum digeritur, alũtur. Eſt autem illius cocturæ & diſtributionis alimentorum parens caliditas. Proinde quum infrigidatur, calor extinguitur, eoq; concoctio cum bona digeſtione non fit, locus igitur nutrimento ſpoliatꝰ, & coma defluit. Quam ob rem ex prædictis mente concipere potes quod ex oleis omne genus, quod cum ladano conuenientiſſimè permiſceri poteſt, nullum eſt aliud præſtantius quàm maſtichinum, quod & lentiſcinum appellari à quibuſdam ſolet, quoniã rheſina lentiſcina à nonnullis maſtiche cognominatur, ex arbore præſertim quæ in ſola Cypro inſula prouenit, præſtat enim illud duplicem inter ſe utiq; contrariam facultatem, ladano conſimilem, calorem nimirum attractorium, ueluti oſtenſum eſt, & coactoriam potentiam. Si porrò largius excidant capilli, & magnam in raritatem cutis capitis factam coniectare poſſis, haud alienum fuerit, in præſens oleum myrtinum in uicem maſtichini, lentiſcinìue, ladano ammiſcere. Licebit etiam aliquando pro illis omphacinum ad ladanum permiſcere. Quod itidem Galenus libro de Compoſitione pharmacorum ſecundũ loca aſſerit. Ipſe uerò nullum eius medicaminis periculum feci. Neq; arbitror ullum neq; præſtantius neq; præſentius pharmacum fore ad defluuium capillorum, quàm eſt quod ex ladano & oleo maſtichino permixtum conſtat. Oportet autem raſis aut detonſis capillis ægrum ab algore tueri, raſis craſſius, tonſis autem liquidius medicamentum inducere. Nam quod comas nutrire non conueniat, donec quiſpiam à malo liberetur, cuiuis manifeſtum eſſe arbitror. Licebit etiã aliquando pro myrtino ac maſtichino oleo, in ætate quidẽ frigida, cuiuſmodi eſt decrepita & tẽperamento capitis frigidiore & tempore hyemali, calfactoriꝫ facultatis oleum, quale eſt nardinum atq; ſpicatum admouere. Bonum inſuper eſt remedium delicatarũ & diuitum fœminarum ungentum, quod Foliatum nuncupant, non minus autem eo commodum eſt, quod Spicatum dicitur. Quę utiq; ſolis locupletibus inunguntur, neq; eſt, quod his aliud quidpiam præter ladanum dilutum admiſceas, faciliter quippe ob naturam quarundam ſpecierum ingredientiũ in ima penitius penetrant. Ladanum uerò in duplo uaſe liqueſiat, & eliquatũ unà cum nardino ex præfatis precioſis ungentis quodcunq; ad manũ fuerit admiſceatur. Atque hæc quidem, inquit Galenus, medicamenta mihi

*Calor coctionis parens.*

suffecerunt una cum refectoria & salubri uictus ratione, quę in plerisque etiam sola abunde fuit. Cęterum ex prioribus quidā, ut diximus, medicis pharmaca ad defluos capillos composuerunt. Quorum hoc loco relationem faciam. Primum autem commemorabo confectionem ab Hera medico descriptā priorem quidem, quoniam posteriorem ceu curiosam & pręter rem auctam non probo.

*Compositio pharmaci ad defluos capillos ab Hera descripta.*

† Gal. in uino austero.

NE capillitium defluat, Heras medicus duo pharmaca in ferula gestauit, quarum prior ac potior sic habet: Ladanum in † aceto adstringente maceratum leuigabis, & oleo myrteo ac uino uicissim affuso ad mellis usque crassitiem redigito, ex eoque caput ante & post balneum perungito. Pręstat autem & pollytrichon, quod quidam Adiantum uocant, dimidiata ladani portione adijcere, & cum oleo myrtino, aut nardino excipere, atque tam in balneo quàm citra balneum, uti. His actis, caput cum lintheolo crasso & rudiore usq; ad loci ruborem cōfricetur. Quod si tempus fuerit hybernum & capitis temperamentum natura frigidum, calfactorię facultatis oleum, ut dixi, erit adhibendum, Spiceum, uidelicet, atq; nardinum aut aliud quodcunque eius generis tenuioris essentię aromaticū & fragrās. Proderit & oleū Archigenis quod in hęc uerba cōscripsit.

*Archigenis contra decidentes capillos remedia.*

ARchigenes aduersus defluos capillos in libro Pharmacorum secundum genus, infit, Ladani & absynthij ęquales portiones, & iuniperi baccas decem contritas, lintheolo illigato, atque in oleo per dies quinq; lintheolo excepta macerato, ex eoque caput, aut mentum, aut supercilia illinito, & post hęc neque capilli defluent, neq; furfures erunt, neq; calor inde pręter naturam oborietur. Vel dum comam pectis Polytrichon quod quidam adiantum nuncupant, cum myrteo, aut rosaceo oleo admoueto. Vel efficatius illud pharmacum adplica.

Adianti

Accipe { Adianti / Myrti nigræ / Galbę duplum / Olei ueteris, aut / Lentiscini, aut / Myrtini, quantum ad crassitudinem mellis inducendam satis uidetur. } Vniuscuiusq; portiones ęquales. Quibus commixtis, utere.

*Critonis ad conseruandos capillos remedia.*

Crito libro exomatoriorum primo ad defluuium capillorum subscriptis compositionibus usus, utendum censuit.

Accipe { Polytrichi seu / Adianti ac / Ladani } Singulorũ partes æquales.

Quibus uino austero maceratis ac contritis & oleo myrteo exceptis, & ad compaginem induci idoneam redactis, utere.

*De Achoribus, id est, ulceribus capitis manantibus.* Cap. III.

Αχῶρες Græcis, Arabibus Sahaphati, manantia capitis summæ cutis sunt ulcuscula ex genere tumorum præter naturam existentia, Propriam autem & singularem hanc appellationẽ utrinq; sortita, ob accessionum quæ ad eam consequuntur proprietatem, eò quod in hac affectione cutis tenuissimis foraminibus terebrata perforatur, per quę tenuis humor modicè glutinosus, ac uirus serosum fertur. Ad similitudinem uerò huius uitij ꝓximè accedit alia cutis affectio, quę Latinis Fauus, Grę-cis κηρίον, à faui similitudine uocatur, nisi quod latioribus foraminibus quã Achores Cerion eroditur, in quibus mellis instar humor continetur. Generatio autem illis ex humore mixto est, qui partim uirulentum, tenuem, serosum ac mordacem, partim uerò crassum & melancholicum succum in se continet. Serosus autem ac tenuis iste humor utpote mordax, primũ quidem ad scalpendum ipsos impellit, progressu uerò temporis ad pruritum ac scalpturam tum tumor augescit, tum saniosa foramina circa ipsum percalfacto loco erumpunt. Curandi igitur ratio citra controuersiam ab euacuatione humorum qui affectionem hanc generant, optimè auspicatur, qui si adhuc influxerint, prohibendus est ipsorum influxus, per capitis euacuationem, præmissa totius corporis purgatione cum gargarisma-

 tis, errhinis

tis, errhinis, ſcarificationibus & inciſione uenarum, poſthæc linimentorum uſus adprobatur. Præmittenda uero cæteris omnibus corporis totius ſemper purgatio haud ſecus quàm in Alopecia eſt proditum. Quum enim hoc pathos ex genere tumorum præter naturam ſit, eoſdem ſanationis ſcopos cum iiſdem ſortiatur. Cęterum ſi parua fuerit affectio, ſola localia uocata remedia, citra totius corporis euacuationem ſuffecerint. Atqui humores redundantis copiam his notis ex cute capitis deprehēdes. Si ſanguinis fuerit habundātia, cutis capitis dolor erit rubeus, durior itē & calidior eius, cum dolore & inflatione, conſtitutio. Si è bile hoc malum creatur, his ſignificationibus dignoſces. Calor urgens tactu deprehenditur, cutis rubore melino, ac citreo pallore tingitur, ulcerum dolor excruciat uehemētior, turgidusq; diſcurrit ac pungit. Si malum ob pituitā naſcitur, cutis mutata albidior apparet, ac mollior exiſtit cum tumore laxo tactui cedente qui ſi ſummis digitis prematur foſſulam reddit, & digiti qui compreſſit ueſtigium obtinet, & in uniuerſum doloris expers. Vitium autem ex atra bile profectum teſtatur: Duritia inſignis, color cutis atrior, & ſenſus priuatio. Cęterum quia hoc malum maxima ex parte ex iſto humore melancholico prouenit, ut plurimum, curatu difficilior, propter contumatiam ſicci humoris, exiſtit. Quam ob rem ubi ſanguinei humores ſobolem Achoras deprehenderimns. Curandi ratio à uacuatione ſanguinis, qui malum hoc generat, auſpicanda eſt. Aperiatur itaq; in hoc potiſſimum uena cubiti exterior Humeralis appellata, quæ ſi delituerit, Media aut quęlibet Cephalica. Poteſt etiam ſumma cum utilitate media frontis uena recta inter utraq; ſupercilia pertundi, & ſemel tātum ſanguinis quantum pręſens exigit ſtatus auferri. Proderit etiam geminas poſt aures arterias ferro incidere, & cucurbitulas utrinq; ceruici ac colli lateribus accommodare. Quibus ſingulis ritè peractis alui quoq; euacuationē ac totius corporis purgationem cum ſtudio moliamur. Et ſi flauę bilis humorem mali huius parentem coniecerimus, eiuſdē humoris copiam per euacuationem ex laborantis corpore cum myrobolanorum pręſertim luteorū decocto profligemus. Cumq; catapotiis ex ſcammonia cum cęteris recte pręparatis & δι' ἀλόης, hoc eſt, ex aloë confectis, atq; ipſo cū abſynthio, & in potentibus ac delicatis hominibus melle cum aëreo. Si uero malum à bile atra creari perſuaſum fuerit, euacuationem corporis machinabimur cum globulis de hiera cum ueratro apparatis & confectione

Achores difficiles curatu.

Ruphina.

Ruphina. Si autem conspexerimus turpissimum hoc pathos ob lentæ ac crassæ pituitæ copiam emersisse, ab eodem humore corpus præsertim caput per euacuationem cum pilulis Dialoës cognominatis, eò quod maiorem aloës portionem ipsarum apparatus sortitur. Pilulis itidem mastichinis, deq; Agarico & cognomento Cochijs. Quod si pathos fuerit exiguum, atq; ob id, haud difficile curatu, Tum sanè medicaméta que solenni de more citra totius corporis euacuationem adhibentur (quoniam in primis usui, atq; abundè facere uidentur) sunt, ut plurimum quę foris inijciuntur. Linimenta, & cætera id genus quæ loco affecto cōmodè induci à medico solerti possunt, & Topica appellātur remedia. Cæterū contra istum humorem tam crassum & melācholicum, succumq; glutinosum, tenacem & pituitosum, qui hunc affectum subinde operātur, pharmaca expediunt maximè, quæ facultate sua crassitudinem & uiscositatem humoris, ipsum generantis incidant, concoquent, euacuent, discutiant atque reprimant. Atqui ne linimenta quæ foris inducuntur locum mordicus arripiant, & acredine sua exulcerationem faciant, cauendum est, sed moderata incidendi uirtute prędita sint, conuenit. Cuiusmodi sanè naturam in aceto deprehendimus, quod ita ex incidentium ordine existit, ut præter hoc quod pituitam discutit ac resoluit, præcipuum quiddam in se continet, quo reprimit ac quod influit depellit, abstergit & corroborat, utpote quod natura sua diuersis facultatibus donatum est. Substantia quippe sua modicè calidum est, plurimum uerò frigidum & partiū tenuium, teste Galeno de Simplicium Pharmacorum facultate libro primo. Esto autem acetum, quo in Achoribus ad incidendum humores crassos, & uiscosos tum pituitosos, tum melācholicos, utimur, exquisitè acidum, in quo nulla penitus uini qualitas appareat. Nam quum uinolētę qualitatis non fuerit planè expers, sed plusculum particeps, maiorem acrimoniā & plus caloris habebit, & minorem refrigerandi potentiam, proinde locum patientem cui adhibetur, amplius calfacit, & copiosiorem materiam attrahit. Sed ubi exquisitissimè acidum citra acorem fuerit, refrigerandi magis, incidendi, attenuandi, firmādiq; absq; calfactione potestatē sortitur. Quo circa in usu ipsius in manantibus hisce capitis ulceribus & Fauis medendis, hoc ipso utique pharmaca Metallica appellata, modò hoc, modò aliud imbues, ac dilues. Inchoandū uerò à pharmacis semper leuioribus, aut à moderatis saltem, in quibus incipit & adhuc exiguum est malum, præsertim si dolor simul ipsos ægrotantes

Acetum.

tātes infeſtat. In maioribus uerò & diuturnioribus malis, fortia, in his quæ in uetuſtatem iam peruenerunt, & remedia reſpuunt, adhuc fortiora adhibeantur oportet remediorum præſidia. Chimolea itaq; tellus in huiuſmodi aceto diluta ad hāc rem idonea eſt. Cretica item ac Lemnia terra, Pompholyxq; & ſpodium, ſpuma argenti & cadmia tenella. Quod ſi ne ex his quidem quieuerit malum, tunc res exigit Pharmacum ex charta cremata aridum, aceto dilutum, quo locus deraſis prius nouacula capillis inungatur. Si uerò tibi acrius ex charta Pharmacum uideatur, admiſcebis ipſi argenti ſpumam, ſiquidem ſufficienter & abundè mordacitatem eius exoluere placeat, pari copia. Si uerò modicè tantum remittere uelis, minori pondere ſpumam argenti cum charta combuſta temperabis, quemadmodum etiam ſi plurimum eius uim exoluere uelis, maiorem lithargyrij copiam admiſceas. Galenus porrò de Compoſitione Pharmacorū ſecundum loca primo capite octauo, inquit, quum aliquando ruri degenti mihi pharmacum ex aduſta charta ad manum non eſſet, conſpecta in ægri domo inutili aliàs charta faculam poſtulaui, exuſtaq; charta ac aceto diluta, locum affectum illeui, hominemq; ad me poſtridie uenire iuſſi, ſciebā enim quod quum duræ carnis eſſet pharmacū ferre poſſet, & mora longiore egeret, qui ubi poſtero die me cōueniſſet, parum aberat, quin curatus ad unguem eſſet, eoq; ad aliud medicamentum non tranſiui, ſed eodem cōtinenter uti iuſſum, poſtero die perfectè ſanitati priſtinæ reſtitutum conſpexi. Prudenti, inſuper ait, uiro atq; ſolerti opus eſt, & qui tum curandorū morborum ſubſtantiam, tum ægri naturam probè norit, inſuperq; pharmacorū facultatem non iuxtà genus tantum, ſed & iuxta quantitatē cognoſcat, quò ſingulis diebus quali præſidio opus ſit coniectet. In extendēda enim aut exoluenda pharmaci, quod prioribus diebus admotum fuit facultate in quantum ſanè affectio ipſa indicat, congrua curatio conſiſtit. Sed præter cetera magis hoc quod ſequitur, ueteres medici laudauere in Achoribus Pharmacum.

Hiſtoria.

*Pharmacum διὰ χαρτοῦ ad Achoras manantia capitis ulcuſcula.*

Sumantur:
- Squamę æris
- Plumbi cremati ſeu
- Aeris combuſti eloti, uel in uicem ipſius Sarcocollę
- Chartarum deuſtarum

} Vuiuſcuiuſq; denarij octo.

- Sulphuris ignem non experti
- Auripigmēti, ſeu chryſocollæ

} Singulorum drach. tres.

Conterantur

Conterãtur singula & diluantur aceto,& adhibeant. Quod utiq; pharmacum cõpetit etiam Sepedonibus,ulceribusq; in molliore carũcula enatis,uerbi gratia,quæ in inguinibus, sub alis,atq; locis similibus emergũt.

*Aliud ad Achoras Pharmacum.*

TErræ Cimoliæ & sulphuris uiui cuiuslibet partes æquales aceto excipiantur,quo cum ægri in balneo confricati aqua calente abstergantur,aut abluantur. Potest autẽ hoc quicquid est medicamenti quum ante tum in ipso balneo summa cõmoditate adhiberi. Quin & hoc illinire etiam conuenit,non solum in balneo inducere, omnes enim habet facultates quibus affectio indiget.

*Aliud ad Achoras Pharmacum,facultate superiore compar.*

PRopinquum autem superiori facultate est, id quod consequenter est scriptum. In principio,quum primum admoues manum, partem affectam cum aqua cineris siue salis alkali quo fullone utuntur,abluito, cinerẽ siue lixiuium quinque folij,siue pentadactyli cremati,cucurbitę syluestris quam colocynthida dicunt,singulorum paria pondera accipe,& utraque pariter aceto acerrimo excipito & cum penna aliâsue illinito.

*Aliud ad Achoras Pharmacum à natura his medendis consecratum.*

ACcipe Rhesinę picrę,Punicę syluestris florum,quod βαλαύστιον Grę-ce uocant, singulorum compar pondus, Dilue aceto & oleo rosaceo,& Achoribus medendis illinito.

*Aliud eiusdem efficatię.*

| | | |
|---|---|---|
| Accipe | Cineris Anethi<br>Mali terrę rotundi, quam Aristolochiam rotundã dicunt,<br>Florum Punicę syluestris<br>Gallarum<br>Rhesinę pineæ | Singulorum par pondus. |

Excipiantur omnia aceto & oleo myrtheo & Achoribus linimentis modo inducito.

*Aliud ad Achoras Pharmacum.*

| | | |
|---|---|---|
| Sumatur | Spumę argenti<br>Spodij<br>Rubeæ tinctorum. | Cuiusq; compar modus. |

Leuigentur & diluantur oleo myrtino pariter & aceto & cum res exigit adplicentur.

*Aliud ad idem Remedium.*

ALiud medicamentum haud inefficax, Recipit coriandrum ſiccum & teſtas clybani crematas cum ſtyrace aut ſarcocolla, quæ aceto excepta, illiniuntur.

*Aliud ad idem Pharmacum.*

LApidem qui reperitur in felle bouillo & auripigmentum ęquali pondere oleo roſaceo excipiantur, & in Achoribus ad illitionem utere.

*Aliud experientia non ſemel comprobatum.*

GAllæ integræ nondum perforatæ phrygentur in ſartagine butyroq́ue recente ſuperfuſo, gallę frictę & leuigatę aceto macerentur, in ductaq́ꝫ ungenti forma, illiniatur. Eſt autem quod butyrum coles per cribellum & fecibus ſuis recrementisq́ꝫ repurges. Mundabisq́ꝫ caput ſingulis menſibus cum eodem per triduum. Id quod pueris præcipuè cõuenit, ſæpiuſculè inductum. Sunt qui Gallis myrtum aridam admiſceant. Neque deſunt qui ſalis quidpiam adijciunt.

*Aliud Pharmacum non tam ad Achoras quàm ad cætera capitis infantium ulcuſcula conducibile.*

Sumatur {
Lithargyrij, hoc eſt, ſpumæ argenti
Helcyſmatis, hoc eſt, ſtercoris argenti
Amygdalarum amararum
Herbæ hyrundinariæ, quod Χελιδόνιον Græci uocant
} Omniũ & ſingul. par modus.

Quę mixta diluantur cum aceto & oleo roſaceo, confectaq́ue compagine illitioni apta, ulcuſculis inunguntur.

*Aliud comprimis ad manantia capitis ulcuſcula accommodum & utile.*

CAput loco affecto pręſertim aqua prius Nerij ſeu Rhododaphnes abluatur & abſtergatur, mox inde Pharmacum illud conſequens ungenti modo inducatur.

Accipe {
Squamæ æris
Myrrhæ } Cuiuslibet denarios duos.
Pollinis thuris
Aluminis Armeni } Vniuſcuiuſq́ꝫ denar. quatuor.
Ariſtolochiæ rotundæ
Cineris Vitreoli, quod colchotar dicitur
Aloës Arabicæ } Singulorum denarium.
}

Excipiantur ſingula aceto ac diluantur & ſuperinducatur confectum Achoribus. Hoc ſanè Pharmacum multo uſu exploratum.

*Aliud medicamentum.*

Habet { Spumæ argenti / Recrementi argenti / Chelidonię / Rubricę Medeæ } Cuiusq; partes æquales.

Excepta ac diluta aceto & oleo rosaceo more linimenti loco patienti inducatur.

*Aliud Pharmacum.*

Sumatur { Aristolochię longę / Recrementi argenti / Amygdalarum amararum } Omnium portio æqualis.

Misceantur & leuigentur cum oleo rosaceo & aceto æquali mensura, usque quo ad compagem quæ illini queat redigantur, & deinde achoribus ungenti more modo adplicentur.

*Aliud Empiricum Archigenis.*

TRagacantham aut argenti spumam, aut sandarachę duplum, cum uino, aut oleo myrteo, ut pingui quopiam achoras oblinito.

*Aliud:*

ARgenti spumam cum calcis pari pondere aceto & oleo eliquatam illine. Aut Chalcitidem cum myrteo oleo uel suillo felle liquido inunge. Aut Cadmiam tellurem oleo ueteri tritam inungito.

*De Porrigine, quod malum recentiores Medici Furfures nominant. Cap. IIII.*

POrrigo quam πιτυρίασιν Græci adpellitant, furfuratio quædam capitis est, quum tenues ac furfuraceæ squamulæ è suprema capitis cute, nulla relicta exulceratione, decidunt. Euenit citra euidentem materiam, Nulla quippe foris, quemadmodum in Achoribus, capite manantibus ulcusculis, alijsq; humidis ulceribus ac fauis liquido comparet materia. Oritur autem ista accessio siue symptoma à uitiato quopiã seroso humore, seu pituita salsa, aut bilioso & melãcholico sanguine caput subeunte. Prouenit etenim ex duabus ut plurimũ causis. Nẽpe tẽperamento quã pro naturali cõstitutione feruentiore, & recremẽtitijs humoribus nimijs suprà iustũ modũ pręcalfactis caput subuenientibus. Et quibus mali indicia

indicia liquido constant. Non est alius eius mali curandi scopus, quam hosce quum uapores tum humores, malum hoc procreantes consumere. Constat discussorijs & extersorijs pharmacis prauos humores esse absumendos, præparato prius uniuerso corpore, si uitiatis humoribus refertum uideatur. Euacuandus itaq; superfluus ac superans succus quisquis sit protinus. Ammiscuerunt autem nonnulli prædictis pharmacis quædam astringentia, hoc quidem consilio, ut per ea patienti particulæ robur indatur, ne facile in se ipsam influentes serosos humores recipiat, sed resistat, eosq; repellat potius. Nos autē præcipimus ut eadem methodus curandi mordicus obseruetur & in cæteris passionibus. In quolibet enim corporis statu ex plenitudine inducto, humor malum procreans, considerandus est, idemq; uel per sanguinis missionem, uel per pharmacum purgatorium, uel per uomitū, per singula quidē, uel per omnia simul euacuandus. Is enim est certus sanationis scopus: Eoq; in ipso comprimis iustus est modus cum ratiōne seruandus. Cæterū si corpus non fuerit in uniuersum plethoricum, manifestum omnibus sit, solum caput esse mundandum & euacuandum adglutinatis cucurbitulis cum scarificatione, deinde etiam cum apophlegmatismis, & gargarismis. Quod si usus & necessitas expostularit, & anni tempus non prohibeat, incidemus uenam humeralem, quam iam uulgo omnes Græco nomine indigitant Cephalicam. Posthec reuertemur ad topica & ad locum ipsum affectum. Auspicamur autem à pharmacis leuioribus. Deinde ad ualentiora progredimur. Præsertim si porrigo ex sola intemperie capitis proueniat, quoniam tunc nulla sane corporis euacuatione opus est. Decocto nanque maluæ si caput abstergatur & strenue infricetur, ipsam porriginem emendat. Coquatur autem malua syluestris, quam althæam alio nomine uocant, in aqua marina ad decimæ partis residuum. Ad idem iuxta efficax est, decoctum betæ citra salem elixatæ, tritæ & expressę. Aut acetum & farina cicerum, & althæa, & farina lupinorum, aut lomentum fabuli, aut aqua seu cremor hordei cum malua agreste, & decocto fœnogræci. Idem præstat & glycyrrhizę decoctum, aut lentitia siue marcor psyllij cum althæa. Aut aqua interioris farti melonis, uel decoctum adianti seu capillorum Veneris. Cæterum prædictis præstantius & efficatius est, fel bubulum maxime taurinum, uincit decoctum cucurbitæ syluestris, quam Græce iam omnes dicunt

*Althæa est malua agrestis.*

dicunt colocynthida, & sal nitrum assatum, & aphronitrum, quod est spuma nitri, & glans unguētaria, quæ βάλανος μυρεψική Græcis, Arabibus & qui Barbaram sectantur medicinam Ben, dicitur, & atramentum sutorium. Sunt tamen qui iam commemoratis, ut dictum est, medicamentis præparatiuum aliquod ueluti uehiculum & astringens, uerbi gratia, acetum adijciendum duxerint, quo per id affectum membrum ita corroboretur, ut non in se ipsum recipiat uitiosos & impetuose concitatos humores, quin reprimat ac retundat. Ob hoc sane Archigenes in pharmaco, ex atramento sutorio composito, hæc uerba adiecit. Hoc adeo efficax est, ut furfures a capite ita abstergat & exterat, ut neque in posterum reuertantur. Neque enim unquam permittet rursum fieri. Scribit autem hoc modo suis ipsius uerbis. Victus ratio porriginosis constituatur, flatus expers, & quę crassos & uitiosos humores non procreet. Quales sunt tubera, fungi, bulbi, legumina, carnesque bubulę, & id genus. Sint autem epulæ quibus uescuntur ægrotantes, optimi succi, facilis concoctionis, adiecto interim melle. Intinctus conferunt, acetum cum sapa. Condimenta præstant cuminum & fœniculum. Alijs parce utantur, & a bellarijs omnibus secundisque mensis, maxime abstineant. Vinum prodest album ac tenue. Voluptatis uero gratia dulce & uinum mulsum conceditur. Ex fructibus, optima est uua arefacta, deinde ficus, quibus ante cibum reliquum uesci præstat. Concoctioni autem probæ in primis cura habenda est. Deambulationes lenes plurimæ mane & uesperi optimæ sunt. Lauatio ex frigida balneis præstantior est, Si uero quis calida lauit, incōmodum est ei diutius in aëre uersari. Et persusio capitis præ solio est eligenda. Postea uero larga frigida affusione refrigerato. Dormire ad facietatem usque utile est. Ira, indignatio, mora in sole & uehemens refrigeratio uitanda, omnia item quæ caput replent. Hæc de diæta Archigenes, quæ ab initio statim amplectanda est. Medicamentis autem quæ sequuntur hac ratione usus est.

### *Archigenis ad porriginem pharmaca.*

QVibus furfuratio caput occupauit, his cum fœnugræco, betæ succo ac nitro perfrictis & extersis Cimoliam terrā felle bubulo aut suillo

acetoq;

acetoq; subactam illinito. Deinde post horam ablue, Atramentumq; sutorium ac nitrum cum oleo trita obline. Aut myrobolanum & fabaceam farinam æquali pondere trita, & in aqua elixata affricato.

*Aliud eiusdem Archigenis.*

AMygdalas amaras delibratas cum aqua seu aceto affricabis, quūq; exaruerint capilli calida abluendi sunt.

*Aliud:*

NItri spumam & atramẽtum sutorium, pari pondere cum uino, ter aut quater in mense affricato, hoc quidem ex eorum est numero, quæ adeò sunt efficacia ut in posterum furfures non repullulent.

*Aliud:*

CImoliam cum fœno græci cremore adplicabis. *Aliud:* Aut nitrum assatum cum bulbo adhibe. Aut hæc omnia simul æquis partibus adfricato. Aut ubi picis liquidæ serum illeueris, alumen inspergito.

*De Phthiriasi, hoc est, morbo Pediculari quum capitis tum reliqui totius corporis. Cap. V.*

PEdiculorum generatio quibusdam in capite contingit aceruatim, quod symptωma Græci φθειρίασιν, Latini Pediculationem & morbum pedicularem, nuncupant. Prouenit hoc malum ex multis humoribus calidis quidem, sed non ad tantam caliditatẽ progressis, ad quantum perueniunt acres & serosi humores: ex quibus porriginis affectio generatur. Vnde liquidò constat, in profundo cutis pedicularis morbi affectum fieri, ubi etiam hæc animalcula gigni possibile est, non in superficie cutis in qua furfures cõsistere docuimus. Notę eius mali uel cœcis patẽt. Quod autem ad curandi rationem attinet, in primis totius corporis purgatio sanguinis detractione & medicamẽto molienda est. Deinde pharmaca desiccatoria & quæ ex alto trahere & euacuare possunt, magis utiq; quàm quæ porrigini conueniũt, necessariò adhibenda sunt. Atq; hæc quidem Methodus est ea cõficiendi. Syluam enim eorum potissimè pharmacorum quæ usu & experientia constant, & sæpe numero iam explorata sunt, apponam. Oportet equidem in omnibus maximè attendere ac confidere his quibus experimentum testimonium præbet. Conferunt ergò morbo pediculari affectis, post capitis purgationem per catapocia, apophlegmatismos, id est, medicamenta quę saliuã p os eliciunt & caput pitui

tà exonerant (quod masticationibus & gargarismatis perficitur) & sternu tamenta, prestitam, remedia, ut diximus, exiccantia & abstergentia. Fricti ones item cum oleo, & illinitiones locorum ac summæ cutis cum medicaminibus quæ uerborum serie cõsequuntur. Staphidis syluestris partes du as, Sandarachæ, hoc est, ut uulgo uocant hodie, arsenici rubei, nitri, utriusq; partem unam contundito & per angustissimum cribrum cõcernito, deinde cum aceto dilue, oleoq; ueteri commixto, ut compaginem quæ illini possit, accipiat, quo cum fiat capitis illinitio.

*Aliud ad morbum Pedicularem remedium:*

VEratri nigri, Staphidis syluestris (corrupte staphisagriã dicũt, quod Græce σαφὶς ἀγρία dicatur) Spumæ nitri singulorum partes æquales conterito, mixtisq; omnibus cum oleo ueteri ad strigmenti crassitudinem, in balneo illinito. Nam usus eius exploratæ utilitatis est.

*Aliud ad idem Remedium.*

Accipe { Sinapis, Sandarachæ, Argenti uiui } Vniuscuiusq; paria pondera.

Conterantur & diluantur oleo affuso quoad compaginem illinitioni aptam redigantur, & utitor ungenti modo. Interpositoq; temporis spacio, quod uidetur, congruo, ægrotantes decocto myrti, rosarum & acanthæ, seu dicere mauis, spinę Arabicæ absterge & ablue.

*Aliud remedium haud inutile.*

HYdrargyrum, quod Romani Argentum uiuum nuncupant, solum, citra alicuius admixtionem, cum quocunq; uidetur oleo dilutum aut ratione quacunque permixtum, in balneo pediculationi illinito. Aut Rhoẽn obsoniorum cum oleo tritum similiter illinito. Aut Oxylapathi radicẽ cum oleo pari modo. Aut alumen oleo leuigatũ adhibe.

*Aliud ualde conducibile remedium.*

ACcipe Aspleni (quod Scolopẽdrion est) partes quinq;, struthij, offi cinę condisi uocant, partẽ unam, & permisce utraq; simul cum oleo Oleandrino, donec ungenti compaginẽ induat, corporiq; pediculari mor bo conflictanti in balneo unguinis more superinducito. Quod si Pedi culari affectione reliquum corpus conflictatur, tunc in eius medendi ratione confestim post uniuersi corporis purgationẽ (à qua auspicanda est cu ratio) per missionẽ sanguinis aut pharmacũ purgatorium factã, ægrum in

H balneum

balneum perducere, & ut cutem in eo comprimis, quàm fieri potest maxime, perpurgent mandare, aqua uidelicet marina, uel alioqui non insulsa, aut nitrosa. Post eiusmodi accuratam cutis absterfionem aqua potabili lauẽtur sedulo quoad cutis unguine obliniatur. In ipso insuper balneo hoc linimentum adhibere ex usu est, quod ad hunc modum ad pediculationẽ totius corporis componitur.

*Linimentum contra pediculos uniuerso corpore emicantes.*

Sumatur { Aloës Arabicæ exquisitæ, Myrrhę, Spumæ nitri, Glaucij, Arabes Memithæ dicunt, Sandarachæ } Vniuscuiusq; pariter & omnium par modus.

Oleo excipiantur singula conuenienti donec ad crassitudinem illitioni idoneam redigatur. Deinde usui adhibeatur, ubi illitum inaruerit, myrti, rosarum & spinę Arabicę decocto caput abluatur. Victus ratio in hoc malo ex cibis boni succi constare debet, omnia quę crassos & prauos humores generant, concoctu difficilia sunt, & tardi transitus prohibenda sunt. Cauendum uerò est prę omnibus potissimè à caricarum esu, eò quod suapte natura pediculos pariunt.

*De dolore capitis quem Cephalalgiam Græcè nominant, solis æstu & ardore contracto. Cap. VI.*

DE dolore capitis qui Gręcis κεφαλαλγία, Barbaris Soda, uocat, dicturus à diffinitione & periphrasi eius exordiar, mox deinde essentiam ipsius exponam. Dicimus itaq; Cephalalgiam, dolorẽ esse capitis pulsatilem, qui cum uehementiore utrarumq; temporum arteriarum motu ex praua quopiam humorum qualitate, uel ex intẽperie simplici citra humorum amplexum, seu ictu excitatur. Adpellationem autem malũ hoc pro loci afflicti uarietate subinde uariat. Nam quum binis temporum arterijs consistit, Cephalalgia, hoc est, capitis dolor, nuncupatur. quum in summa calua cruciatus existit, dolor uerticis appellatur, quando in dimidiata capitis siue dextra siue lęua dolor exercet & affligit, ἡμικρανία, hoc est, dimidię partis capitis affectio uocatur. Si cum arteriarum ingenti crebroq; percussu, pulsatorius dolor cognomento dicitur. Percussus autẽ non accidit, nisi quum arteriarũ motus quum auctior tum fortior ac uehementior euadit. Idcirco distendit in se ipsa arteria & amplior apparet, ui-

cinasq;

cinasq; partes doloribus afficit & excruciat. Nullus igit̃ percussus, nullus inquã pulsatilis dolor nisi arteriæ ergò conficitur. Et in omni corporis parte quã arteriæ perreptant, percussus dolorificus fieri potest, & per quam nulla spargitur arteria, in eadem nulla unquàm contingit percussio.

De dolore capitis ex solis feruore.

CAeterum in dolore capitis è solis æstu (quem Græci ἔγκαυσιν nominant) contracto, adustionem fieri asserunt, dicimus autẽ adustionem esse constantẽ & perseuerantẽ calorem qui ex æstiuo radiorum solariũ directo caumate capiti accidit. Omnes quippe homines soli æstiuo diutius immorati capite incalescunt (sicuti & flammę uicinitate, balneis, uehementiore motu, ira, furore atq; odoramentis) non tamen omnibus ęqualiter caliditas permanet, sed statim quiescit, quibusdam etiam ante balneum, plerisq; uerò post lotionem. Quibuscunq; autem permanserit, affectionẽ capitis iam iuxtà habitum non simplicem modò contactum factam putantes, ardorem appellant, siue ut antea nominauimus adustionẽ. Eorum tactu cutis calida est, & primo statim manus iniectu aridior apparet, oculiq; rubẽt, frigidis gaudent & iuuantur. Est præterea quando sola intemperies citra solis æstũ capitis dolori causam præbet & consistit, affectione circa caput calidiore facta. Aliquãdo uerò etiam humorũ aut uaporum multitudo ad ipsum caput decurrit, & maximè quum redundantia quædam humorum, quam Erasistrati sectatores πλήθωραν, hoc est, plenitudinem nuncupant, in uniuerso corpore oberrat, fit autem hæc quatuor humoribus ex æquo auctis, aut etiam sanguine solo. Nam quum alius quispiam humor redundarit, uelut est pituita, & flaua bilis itemq; nigra, eiusmodi auctionem siue redundantiam, non plethoram aut plenitudinem, neq; simpliciter multitudinem, sed cum appositione, pituitæ, aut bilis flauę, aut nigrę, in corpore factam multitudinẽ dicũt. Ob talem interdũ plenitatem capitis tẽperamentum ad iustò calidius permutat̃, unà cum uaporũ multitudine. Cæterũ uapores eiusmodi istum capitis dolorẽ non generãt; uerũ calidior illa capitis intẽperies supra ęquum naturæ modũ adaucta. Proinde eadem methodo, ijsdemq; curandi indicationibus & cum uaporibus, & citra uapores doloribus medet̃. Vnicus quippe utrinq; curãdi scopus est, capitis intẽperiẽ corrigere, & excessum ad mediũ reducere. Propterea qđ eiusmodi uapores non referũt modo materiã quandã calidiorem quæ huiusmodi Cephalalgiã concitat, sed & tẽperaturam ipsius, quã complexionẽ uulgò cognominant,

Notæ.

Plethora unde

nant,plane permutāt,eò quod uaporosi id genus spiritus flatu suo facilè per occultos cutis meatulos exhalant,neq; uspiā mordicus hęrent,id quod sæpe lenti humores cum magna pertinacia faciūt.Cuius utiq; rei gratia mox infrà capite huius libri septimo, ubi ex professo ea super agitur. Vniuersus ille sermo de eo solumodo capitis dolore instituitur,qui ex iusto calidiore corporis intemperie nō nudæ qualitatis,sed ammixta humoris in cerebro uel ipsius sinubus comprehensi copia proficiscitur. Quapropter curandi ratio quę dolori capitis ex ardore simpliciter orto cōuenit & satis facit,heic loci nihil sanè aut parum saltem egerit,certè nō sufficiet.In illa quippe abundè faciunt, quę repulsoria facultate donata citra manifestam adstrictionē refrigerandi apertam facultatē obtinent.In hac uerò materiosa intemperie,necessariò adijcienda insuper sunt,quę cum refrigeratione etiā nonnulla euacuandi uirtute prædita sunt.Semper enim oportet refrigerare ex caliditate ardorem,& pręsentem cum infestatione materiā euacuare. Curatio porrò utrarumq; istarum specierum, Calidioris uidelicet distemperamenti absolutè citra materiā, & eius quod est materiosum cumq; uaporibus cōiunctum,circa principium quidem repulsoria curatione utendum est, ex solis refrigerantibus & parum adstringentibus remedijs constante,citra ullam expellendi uirtute præditum auxilium. Postea uerò mitigatoria & concoctoria pharmaca ad repulsoria ammiscere oportet. Deinde etiam ex discussorijs quidpiam addendum, paulatim detractis pharmacis quæ repellunt.Præstantissima sunt autem recensenda, quæ tenuium partium substantia prædita adhibentur. Quapropter in principio quidem præsentissimum est oleo rosaceo probè apparato quàm frigidissimo caput perfundere, lanæ fasciculo in orbem circumposito, iuxtà frontem quidem, ubi pilosa eius pars desinit, iuxtà utrunque uerò eius latus, ubi pili ipsi aures contingūt,& retro in loco post uerticem,non tamen longè inferius. Neque enim facilè exuritur, capitis ea pars quæ occiput adpellatur, neque etiam citra molestiam refrigerantia sustinet, propterea quod istic principium medullæ spinalis existat,ad stipitis modū in multos ramulos diuise,in sexaginta puto numerum iuxtà neruos. At uerò regio capitis iuxtà syncipur, propter laxitatem coarticulationis iuxtà coronalem futuram, & ob ossium tenuitatem & raritatem, facile tum caliditatem tum frigiditatem omnium quæ adhibentur Pharmacorum intrò distribuit. Quamobrem siue refrigerare oporteat ex caliditate ardorē,siue

calfacere

calfacere frigiditatem aptissima est capitis iuxta syncipüt regio. Intra initia autem nihil præstantius est, quàm oleo rosaceo frigido caput refrigerare, æstiuo præsertim tempore, in quo maximè ardoris affectio oboriri consueuit. Optimũ autem est rosaceũ ex oleo crudo, hoc est, ex oliuis immaturis expresso quod Omotribes & omphacinum bifariam appellant, citra salis admixtionem confectum, rosis quã plurimis in eo maceratis præ paratum. Esto autẽ rosaceum non uetus sed eo ipso anno apparatum, siue in Vere siue in Æstatis principio, quoniam uetustate incrassatur & uires amittit, minusq́ꝫ refrigerat, recenti igit caput assiduè irrigato. Proximũ à rosaceo chamæmelinum locum habet, in his corporibus in quibus uehementem frigiditatem ueremur, qualia sunt fœminarũ, & eunuchorum, & puerorum, & quicunqꝫ molli carne prediti, albumq́ꝫ habentes colorem, et salis sunt insueti. In calidioribus autem naturis ac morbis & capitis dolori bus feruentibus pari ratione conuenit, oleum uiolarum, quum, eo quo do cuimus modo, fuerit confectũ, similiter & oleum de nymphea, nenuphari num appellatũ, & oleum ex salicibus, quod ex salicis turonibus contexit, & oleum cotoneorũ. Mensurã autem quum rosacei tum cæterorũ, quod ad refrigerationẽ attinet, ex corporis habitibus, & ex ardoris magnitudine inuenire oportet, considerata simul ægri ętate, & ambientis nos aëris temperie, & his similibus, non minus autem & domo in qua æger decumbit. Refrigerabis autem quęcunque adhibere uoles, in aqua uehementer frigida collocata, quæ si ad manum non sit, niuem aut glaciẽ uasculo circũ pones. Hoc præsidiũ, etiam si humorum, aut uaporũ multitudo ad caput impetum fecerit præclare auxiliat. Repellit enim eos, infraq́ꝫ in corpus de trudit, adeò ut Galenus in sexcentis hoc medendi modo usus, nullo alio habuerit opus. Quod si oleis aceti momentũ adiectũ fuerit longè maiorẽ & penitius penetrandi uim induet, acetum sua quippe natura in altum sub mergit. Proinde quo eius plus adieceris eò frigidius & penetratiuum ma gis euadit medicamentũ. Si iuxta refrigerare est animus, accipiat una pars olei & quarta aceti, si amplius uerò refrigerare cõsiliũ est, admisceant duæ aceti partes. Nec est quod acetum sit acerrimũ, quoniam in eo quiddam adhuc caloris inest, imò quò acidius eò præstantius. Nam hoc magis ac magis, ut dictũ est, infrigidat. Si uerò uehemẽtiore refrigeratione opus erit, admiscebimus succũ semperuiui, aũt portulacę, aut lactucę, aut psyllij, aut polygoni, aut salicis, aut cucurbitę, aut uirgæ pastoris, aut rosarũ, aut

malorum Punicorum potissime acidorum, quoniam id longe maiorem re frigerandi facultatem, quam reliquę species obtinet, aut malorum medicorum citreorũue, aut uuę acerbę & immaturę, quin & solani aliquando paululum aut pampinorũ uitis, aut id genus alium succum frigorificum. A papaueris uero & mandragoræ succo necessario cauendum est (nisi dira cogat necessitas, sic, ut periculum morti præferendum sit, aut immodicæ uigilię acriter urgeant, & stuporem efflagitent) non enim citra damnũ utriusq; liquor refrigerat. Abstinendum etiam ab ijs quæ cum refrigeratione manifeste astringunt, quare si quando necessitas exigat, parum quiddã ex eis ad refrigerantia ammiscere conuenit. Eius sane rei gratia & solani succus, aut nunquã penitus aut omnino modice est ammiscẽdus, sic etiam mali Punici & mali cotonei, & mespili. Cęterum si qua dabitur occasio ut omnino res ipsa papaueris & mandragorę succum expostulet, tunc utrisq; simul uti uereabimur, præsertim in corpore plethorico, hoc est, quũ omnes humores ex æquo iustum naturę modum excedunt. Propterea quod quũ redundans in corpore materia ab expurgatione impeditur, ad membra principalia reuertitur, eademq; corrũpit ac uitiat. Proinde summe cauendũ est ne quo impedimento plethora ueluti cancellis concludat, imo proritare hanc & euacuare studebimus. Cõminuta deinde humorũ iuxta omnium plenitudine, frigorificorum usu ardori succurremus, magis infrigidemus atq; effusionẽ prohibebimus. Quod si cum ardore musculi ac lacerti obturati densatiq; fuerint, ne in animũ quidem inducamus, usum medelarũ uehementer refrigerãtium, Sed in uicem earum oleo potius utemur chamęmelino, nõ ueteri. Si recens ad manũ non fuerit, neq; reperiri facile possit, miscebimus cũ ueteri, quadrantẽ aut amplius, olei rosacei. Quod eo utiq; fit, quod oleum chamæmelinum in uetustatem incidens, haud ita magnã, amisso suo calore, frigiditatem induet, & tenuior ipsius essentia iam resoluta crassior quidem ac dẽsior, non tamen frigidior euadit, eoq; sibi rosaceũ, plus minus pro re nata & usus necessitate confundimus, adeo ut ex diametro facultatibus suis opponatur insitis uirtutibus, quæ ueteri oleo chamæmelino comprehenduntur & insunt. Cuiusmodi sane oleum cõducere docuimus, his corporibus quę non multa refrigeratione indigent, ueluti mulierum, euiratorum, pusionum, & cęterorũ quos iam recensuimus. Cæterum quando necessitas alui subductionem efflagitat, hanc passularũ exacinatarum decocto, prunorũ item Damascenorũ & oxyphœnicωn, seu ut

uulgo

uulgo dicũt, Tamarindorũ, necnon & cassia fistulari, & melle aërio man naue, moliamur, & si per robur uirium corporis liceat connectimus his, pharmacũ ex myrobolanis luteis, quos citrinos nũcupant. Fercula conueniũt frigida, cuiusmodi fiunt, ex cucurbita, ex atriplice quod χρυσολάχανον Greci quasi aureũ olus appellant, ex lactuca, beta, brassica, intybo, portulaca, ptisana hordei, aut halicę, panis ex aqua, & similibus. Si febris non adsit, offerantur etiam pulli gallinacei, & columbi cum omphacio. Esto autẽ cibus in uniuersum exiguus. Pro potu aqua utendũ est, Si cuius uero natura siccior existit, & maioris siccitatis futurę periculũ sit, propinetur diluculo ieiuno aqua, uel decoctũ, uel succus prunorũ, cucurbitæ, malorũ Punicorũ, aut citreorũ. Si aluus sit lubrica, succus siue decoctũ uuarum immaturarũ, quas agrestas uulgo nominant, Syropus oxycanthæ, & Ribes, & acetositatis citri, aut oxysaccharũ, utendũ insuper somno & quiete. Quod si isto cũ calore præter naturã, insita quædam a natura fuerit intẽperies, & humores in corpore uitiosi & corrupti coaceruati cõstiterint, sic ut cum materia dicatur caliditas, ea principio erit euacuanda. Nam quamcunque occupauerint particulã, corrumpunt & inficiunt, & uitiatos singulę abhorrẽt humores particulę, Male igitur ab iisdem ueluti sibi hostilibus subinde afficiuntur & torquentur. Quod si tales caput tentauerint, & dolorem inibi creauerint, medelis quarum iam capite septimo mentionem auxilio diuino adspirante faciemus, sedulo utemur.

### De dolore capitis ex calida intemperie cum materia enato. Cap. VII.

SI calidior intẽperies cum materia, hoc est, cũ humorũ multitudine ad ipsum caput decurrente coniuncta, affectionẽ capitis pepererit, Methodicus quidẽ ac unicus fere curationis scopus fuerit, humorẽ modũ excedentẽ, cõsecratis sibi pharmacis euacuare. Proinde quũ sanguineus humor præpollet, Curandi ratio a sanguinis detractione fuerit auspicanda. Secetur itaque in primis exterior cubiti uena Humeralis & Cephalica apppellata, si uiriũ robur, ætas, anni tẽpus, & regio atque id genus cætera attestantur. Si autem ea quæ desideratur ad missionem sanguinis, non permittant pertundere uenam, cucurbitulæ collo ceruicique sunt adplicandę. Quo circa ad remouendã causam & euacuandã quæ malũ generat materiẽ, cucurbitulas regionib. loco affecto propinquioribus adglutinamus, quo humor in capite solũ coactus euocetur. Aliâs, alioquin, quũ humorẽ supfluũ qui se in capitis locũ quẽpiam insinuauit uel saltẽ uergit, in contrariã partẽ

auellere inſtituimus, pyxides uentoſas à longinquo loco ut eminus trahãt affligentẽ materiam, puta, à tergo utriuſq; cruris, ſupra malleolos nempe, inter initia maximè morbi, defigemus. Si itaq; dolorem capitis occiput experitur, fronti id genus diuerſionis gratia adhibendũ eſt remediũ, atteſtante, id diuo Hippocrate, cuius hęc ſunt libro Aphoriſmorũ quinto, Sententia ſexageſima octaua, ad amuſſim uerba, τῷ ὄπισθεν κεφαλῆς ὀδυνομένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει. Hoc eſt, quum poſterior capitis pars dolet, ſi frõtis uena recta pertundatur, iuuat. Quia ſic recta ſit ad cõtraria ſecundum profundum auerſio, & cum auerſione euacuatio, quoniam hac eſt haud indirecta tranſitio, eò quod cor duabus arterijs ſanguinem capiti ſuppeditat, Nam ſi à iocinore huiuſmodi fieret capitis ſuppeditatio, iſtiuſmodi non poſſet fieri tranſitus. Verum ſi prępollens humor huius doloris parens, flaua bilis in utriſq; temporibus conſtitutam cauſam habuerit, id quod indicat maior morſus, & faciei pallor, cum oris aliquando amaritudine, Methodus itidem inculpabilis fuerit euacuatio, quę neceſſario cum decocto aut quacunq; confectione myrobolanorum flauorum (citrinos hodie nominant) prunorum Damaſcenorum, oxyphœnicũn (quos Tamarindos uocant) aëreo mellis, quod officinę mannam dicunt, & ſcãmonio in cotoneo aut malo toſto. Apparatus autem eius medicamenti hoc pacto inſtituatur: Sumatur malum cotoneum (ſeu aliud malum) in cuius ſummo uelu ti uertice epiſtomij inſtar pertundatur & excidatur, excaueturq; malum pulchrè & eximantur acini cum interiore farto accuratè. Deinde in cauam mali capacitatem ſcammonia inſeratur, atq; ita exciſum prius epiſtomium, ſiue collabum appellare mauis cooperculi modò inijciatur, lignoq; acus inſtar figurato conſtringatur, ac ueluti conſuatur, mox opere piſtorio ſiue maza panis inuoluatur, ac quaſi tegmento amiciatur. Poſt hæc in clybanum fornacemúe mittatur, cuius ignis iam ſuper latere uictus uehementiam poſuerit, & temperatum calorem induerit, atque ita in furno tantiſper dum aſſatum fuerit cotoneum ſcammonia infartum relinquetur, cuius euidens erit indicium maza ambiens aduſta. Huius profecto pharmaci natura ac indoles nati eſt, cholagoga, hoc eſt, ut bilem flauam efficaciter educat & expurget. Eiuſdem ferè uirtutis & efficatiæ habetur iſtud decoctum.

*Si ob biliofum humorẽ caput dolet.*

*Apparatus cotonei cum ſcãmonia.*

Decoctum

Decoctum Cholagogum.

Accipiat { Myrobolanorũ luteorũ,(citrinos dicunt)
Abſynthij Romani (rę dictę
Fumarię herbę,uulgò fumiter
Paſſularum exacinatarum } Singulorum compar modus.

Elixentur in aqua ſufficiente ad tertias,& bibatur decocti illius ſelibra. Euacuatur etiam rectè bilioſus humor,cum abſynthij cremore,cum aloë, hiera picra,antidoto per ſe data ſeu cum momento ſcammonię.Dicit autem Græcè ἱερὰ,id eſt,Sacra,πικρὰ,hoc eſt,Amara. Quod ſi cum flaua bile pituitã miſceri ex quibuſdã notis conijcias,pharmacis utriuſq; humoris expurgandi facultate prędìtis utitor,Catapotijs nempe ex aloë in hoc confectis cum ſpeciebus,uerbi gratia, Spica,cariophillis,cinnamomo,pipere ac ſimilibus. Vſum heic etiam ſuum habent globuli de Hiera Picra. Quod ſi contumatior materia uehementius præſidiũ efflagitet, efficatiora admouebimus.Pilulas uidelicet à Galeno deſcriptas cognomento Cochias,habita ſemper ratione uirium.Pharmacum item multò quã medicamentũ ex aloë confectum acrius & efficatius,Sicaria,ab his qui Barbaram ſectantur Medicinã adpellatũ,à quibuſdã ob amaritudinẽ, Græco nomine,Picra.Hanc igitur interdũ per ſe, interdum cum decocto iam commemorato propinamus.Conſumatus aũt ipſius ad ſummum hauſtus eſt,aureus, hoc eſt,ſeſquidenarius.Dimidiata doſis,dimidiatus aureus,atq; ita deinceps plus minus pro uirium uniuſcuiuſq; robore,id quod ſitum eſt, in medici ſolertis iudicio. Quod ſi his actis, dolor capitis pertinax non ceſſerit, quin & cum dolore grauitas acrius uexat,proderit exhibere ſic habenti dilutum aloës.Quod ſanè in tali affectione comprimis eſt cõducibile.Eſt aũt huius diluti huiuſmodi conficiendi ratio. Accipe ſtillatitij liquoris intybi ſatiui,endiuięue lib,unam,aloës exquiſitiſſimę unciã unam,macerabis in ſole in uaſe uitreo per dies aliquot. Vel,aliter:Sumatur intybi ſatiui ſiue endiuię uirentis quantum uidetur,maceretur & decoquatur in aqua ſufficiente,cuius decocti colati accipiatur librę pondo unius, in quo infundatur aloës ſelectiſſimę pondo uncię unius, & excipiantur uaſculo uitreo & macerentur in ſole diebus aliquot multis Modus exhibendi,quum enim ſuperioris , tum huius etiam diluti erit ab uncię ſcilicet unius Dilutũ aloës.

menſura

mensura usque ad quadrantem, Semper pro uirium ægrotantis robore, pro ætatis item & naturæ seu temperamenti & similium ratione plus minusue, Ne exulceret, sauciat, aut cauterizet, ut sic loquar, anum. Atq; ne sumpta hęc potio pungat ac uellicet, singulis ipsius haustibus admisceatur pondo dimidiati denarij tragachantę in puluisculum minutissimũ leuigatæ. Cęterum quando in hac affectione ægrotãtis expurgatur corpus, imperabis infirmo ut decumbat aut uersetur in domicilio optima & frigida, ac humida aura dotato. Vitandus aër calidior, calidis uaporibus refertus.

Emendatio aëris calidi.

Domus itaq; in qua decumbit si natura talis non sit, nostra industria sic pręparetur. Area & parietes imbre aquę frigidę, rore stillaticij liquoris siue decocti rosarum, uiolarum, nympheæ & similiũ frigida facultate pręditorum perfundãtur & aspergantur, Per ædium pręterea pauimentum spargentur flores ac germina quæ frigidæ & humidæ facultatis sunt, rosæ scilicet, rami salicis, ruborum myrti, uiolæ, flores nymphęę, & id genus. Imponatur & inducatur capiti eius qui huiusmodi dolore implicitus est, oleum rosaceum momento aceti, succoue uuę acerbę & immaturę, agrestam nominant, aut niue, aut glacie infrigidatum, uel inungat̃ ne dicam & perfundatur caput oleo ex salicibus, uel oleo uiolaceo, uel oleo ex floribus nymphęę, nenupharinum uocatum. Potest autem oleum duorum fieri generum ex singulis florum nymphęę speciebus, sed alterum genus quod nimirum ex luteis floribus conficitur, permixtione stillaticij liquoris rosacei & caphurę, quã omnes iam cãphuram dicũt, frigidius reddatur. Quandoquidem hæ res humores discutiunt, elidunt, & infrigidant. Quod si aũt ardorẽ modò extinguere, nulla uerò superfluitatẽ elicere animus est, quoniam superuacua excrementa iam sunt extenuata & dolor leuatus est, sic ut solam refrigerationẽ res exigat, non adhibebis quicquã præter aquam aut cremorẽ mali Medici, Citri cognominati, uel intybi satiui latioris, & aquam stillaticiam portulacę, & Semperuiui, & salicis, & aquã polygonij, quã uirgam pastoris dicunt, & ramenta cucurbitæ, unamquanq; harum seorsim, proderũt aũt magis si singulæ in usu cum oleo quopiã infrigidante permisceat̃. Si porrò malũ capitis purgationẽ, quod Caputpurgiũ Barbari uocant, expostulet, ea quę caput expurgare possunt adhibenda erant medicamẽta, gargarismi, masticatiões, errhina, è quorũ etiã numero sunt, paulò iam ante commemorata olea, quorum usus heic plurimum erit accommodus. Quin & oleum seminis cucurbitæ dulcis si accommodetur,

& cum

& cum lacte humano, prꝫsertim puellæ permiſcetur, dolorem ſedat & auxiliatur. Quum uero iſtis remediorum præſidijs rite adhibitis nihil proficimus, neq; capitis dolor quicquam lenitur, & uapores bene multi caput infartiunt, ſuperfuſo ex alto quam ἐμβροχὴν Græce nominant, ex rebus quæ uapores diſſipant & reſoluunt capiti ſuperfundatur. Hoc modo: Accipe aquam ſtillaticiam ſiue decoctum herbæ chamæmeli, cum ſtillaticio liquore uiolaceo & roſaceo & ſuperne capiti ex ſcyllenio uaſe guttatim, ex alto imbris modo inſtillato. Aliter: Aut fotum ex ijſdem facito & caput ad iſtum modũ irrigato. Aquę chamæmeli, uiolas ſiccas, roſas item & folia nympheæ, hordeumq; detracto cortice mundum leuigatum & cętera id genus permiſce, eoq; liquore caput imbue, uel madefacta, & probe expreſſa in eodem ſpongia lata, denſa ac caua, uel lana, uel lintheo, uel ſtupis, & ſimilibus caput foue. Hæc caput refrigerare & roborare poteſt. Quo ſi uigilię ægrum ſupra modum uexauerint, commemoratis medelis calyces papaueris & ſemen lactucę adijcias. Inungendum ſynciput cum oleo nympheę & de papauere. Galenus in hunc uſum croceum paſtillũ, Trigonum appellatum fronti illinendum cenſuit. Si ne his quidem admotis pharmacis malum quieuerit, caput lacte humano ſiue caprillo ſępius inungatur. Atqui ſi imbecillitas uirium adſit aut febre implicitus ægrotans ſit, cauendum erit a lacte, quod febrienti inimicum. Eo quod lac, quũ id quod ſuperfluum eſt, ne reſoluatur prohibet, incraſſeſcit & denſatur, extinguit igitur ob hanc rem inſitum calorem naturalem & deijcit ipſum cuius ergo & uires ęgroti conuellit. In uicem itaq; ipſius uti conuenit emplaſtro ex floribus chamęmeli, farina hordei, althęa, calycibus papaueris, uiolis ſiccis, cymis nympheę & roſarum ammixto oleo nymphaceo & uiolaceo, confecto. Inducatur autem temporibus. Adijci prędictis rectiſſime poteſt, Linimẽtum, ita inſtructum: Santali candidi, acatia, aloë, caphura diluantur omnia ſtillaticio liquore lactucę, uel aceto uinoſo, uel cum ſucco mandragorę & fingatur linimẽtum, quo utitor. Balnea poſtremo temperata & potus dilutus ita habentibus exhibenda ſunt. Atq; hęc quidem de curatione doloris capitis ex praua intemperie calida cum humorum & uaporum multitudine contracti ſufficiant, & abunde ſunt his, quos Deus Opt. Max. medelarum beneficio liberare & reſtituere deſtinauit.

*Embrocha.*

*Lac febrientibus hoſtile.*

De dolore

De dolore capitis ex malo temperamento frigido citra materiam oborto. Cap. VIII.

QVemadmodum dolor capitis (quem Græca uoce Cephaleam iam omnes nuncupant) ob ardorem solis non nisi permutato capitis temperamento natiuo ad statum multò calidiorem contrahitur, Ita dolor eiusdem partis ob frigiditatẽ ambientis aëris absq; alicuius frigidi humoris affluxu nunquàm citra permutationem temperiei ad frigidiorem constitutionem capitis & algidos uapores oboritur. Et quemadmodum ardor non ægrè solubilis affectio est, Ita neq; frigiditas (hoc est, frigidus dolor) ex ambiente nos aëre cõtracta difficulter curatur, eò quod sola sit intemperies nudæ qualitatis citra materiem, præsertim si dolor recens est, & non inueteratus, sufficit enim oleum rutaceum calidum syncipiti, ut dictum est, superfusum, Nam perfectè hominem liberare potest. Quod si uerò uehemẽtiore sit opus calefactione, Euphorbiũ ad oleum conijciat̃ & quęcunq; ex pipere pharmaca constant. Cõfert etiam oleum Irinũ siue lillinum deq; piperibus, aut de euphorbio rutaceo cõmiscere. Prosunt etiam oleum de coronopode cõfectum, oleum Costinum, Sambucinum, Balaninum, & oleum Narcisсinum. Inungẽda insuper est facies & nares hisce ungentis, maximè quidem Irino, Amaracino & Nardino. Quin & comptoria unguenta ex calfacientiũ numero existunt, atq; adeò ipsa opulentarum fœminarum preciosa unguenta, quæ Foliata, & Spicata adpellantur. De Opobalsamo uerò Galenus libro de Compositione Pharmacorum secundum loca dicit, in hæc uerba: Opobalsamum sæpè experti sumus, nullum manifestum commodum ad ullam aliquã affectionem calfactione indigentem conferre. Cæterum perinde atq; rutaceum conuenire diximus, sic etiam samsuchinum, laurinum, serpyllinum & amaracinũ laudo, sępe & in plerisq; ipsis usus. Propinandum etiam uinum tenuium partium & exercitium corporis præcipiendum, lauacraq; calida & quandoq; à radicula uomitus prodest. Quod si cum mala intemperie frigida, etiam frigidi alicuius humoris affluxus uexauerit, tum ea quæ consequuntur remedia necessariò adhibebuntur.

De dolore capitis ex algore cum materia frigida contracto. Cap. IX.

SI dolor capitis ex frigida intemperie cum alicuius frigidi humoris affluxu fuerit, curatio huius mali ab humoris frigidi extenuatione, & ab euacuatione ipsius, ut membrum exoneretur, auspicanda est.

Extenuant

Extenuant autem crassos humores uel rosaceũ, oxymeli, tum simplex tum compositum, & Syropus de stœchados, cum stillaticijs liquoribus inciden di uirtute præditis, cuius farinæ sunt, aquę hyssopi, maioranæ, bethonicę, & similium. Quod si humores uniuerso redundant corpore, tum extenuatos humores cum medicamentis purgandi uim obtinentibus quàmprimũ educemus. Principio itaq; propinanda sunt pharmaca pituitam frigidum humorem expurgandi facultate prædita, Cuius factionis sunt Catapotia stomachica, pilulæ de aloës, pilulę de hiera simplici & composita, pilulę de Agarico, & pilulæ cognomento Cochiæ, quarum æger aliquot deuorabit. Si uerò redundantia fuerit humoris melancholici, tũc purgatoria eius humoris pręsidia sunt usurpanda. In quem usum fient catapocia ex Myrobolanis cæruleis, quos Indos & Nigros hodie appellant, epithymo item & agarico, sale Indico, radice filiculæ, quam Græcè Polypodium uocant, ueratro nigro, lapide Lazuli, & id genus cæteris. Sin lacessens materia frigida non corpus uniuersum, sed caput duntaxat occuparit, ea quæ caput expurgare nata sunt pharmaca adhibenda sunt, è quorum numero sunt in primis apophlegmatismi, hoc est, medicamenta, quæ per os saliuã eliciũt, & Gargarismi ex stillaticijs liquoribus & decoctis hyssopi, bethonicæ, origani, semper ammiscẽdo quidpiam quod tenuium sit natura partium. Cuius generis est, Hiera Picra cum serapio oxalidis, cum oxymelite scylliti co, Cumq; Synapi, & pyrethro, & origano, & cortice radicis capparis cõfecta, adiecto melle diluto cum aqua calente. Proderit etiam cumpluribus mortalibus Hiera composita (Arastos quibusdã adpellata) aceto scyllitico diluta, propinata, & bibita. Iuuat & Dentium cum gingiuis fricatio atq; scalptura cum eadem, & oris collutio & gargarismus. Hiera quoq; Archigenis commodare ægrotantibus solet. Extenuatis porrò & ad eductionẽ pręparatis humoribus ea quę caput purgãdi uim obtinent pharmaca propinãda sunt, uerbi gratia, Catapotia Cochiæ, & Hieræ magnæ.

Præcipuum autem ac optimum est purgatorium tum capitis tum uentriculi dilutum (siue, ut Barbari uocant, Infusio) aloës, ad hunc modũ apparatum.

*Dilutum Aloëticum capitis & uentriculi in Cephalalgia purgatorium præstantißimum.*

Accipe
- Myrobolanorum
  - Cęruleorũ, Indos quos pariter & nigros officinæ nuncupant
  - Belezicorũ, quos Bellíricos
  - Empeliticorũ, Emblicos dicunt
- Radicum
  - Apij
  - Fœniculi
- Schœnosanthos
- Cymarum schœnosanthi

  → Singulorum denar. decem
- Vmbellarum liliorum
- Spicę
- Mastiches
- Calami odorati

  → Vniuscuiusq; denarios treis.
- Acanthæ Arabicę, quam Brancam ursinam uocant & spinam Arabicam
- Spinę albę

  → Cuiusq; denarios quinq;.
- Interiori farti cucurbitę syluestris, quam κολοκύνθιδα Græcè dicunt.

Elixentur simul omnia in aquæ libris quinq; usq; ad libram unam, transfundantur colo & exprimantur. Colato iuri decocto adijciatur aloës succotrensis unciam unam. Locetur in solem ad macerandum. Re & usus necessitate postulante propinabis huius diluti unciam unam, aut, si uidebitur, sextantem, ammixta tragachantę & mastiches uniuscuiusque semuncia. Habita uirium uniuscuiusq; laborantis ratione & ætatis.

*De dolore capitis ob humores uentriculo impactos.*

QVod si infestãs materies neq; in uniuerso corpore, neq; in capite, sed in amplitudine uentriculi, præsertim in ore ipsius quandoq; coaceruatur, à quo uapores praui ac frigidi excitati sursum feruntur. Cognoscitur his notis: Frigus ita affecti percipiunt in stomacho cum cruditate non exigua, flatus infartiunt & distendunt uentriculum. Rugitus ac sonitus eduntur, Nausea infestat, potissimum ore uentriculi patiente, Vomitus excitantur & inflatio, & omnia quæ stomacho accidere possunt symptωmata infrigidato, superueniunt. Eos igitur qui hoc modo affliguntur sanare oportet, ita ut nihil remediorum, capiti adhibeatur, quandoquidem neque peculiaris est hic capiti affectus, sed ab humorum in uentre malignos

malignos uapores excitantiū in ipsum adscensu molestatur, Præsentissima itaq; horum erit cura, ut, uidelicet, infestantes in uentriculo humores quā celerrime euacuemus. Euacuantur autem ad uomitum procliues facile ab aquæ calidę potu, in qua anethū, sal, mel, phaseoli rubei, semen atriplicis, calamentha, seu nepitha, nux uomica, salcancar, mel colatum, elixata sint, aut saltem ex his quędam & singula. Prouocat item uomitus radiculæ crudæ aut coctę esus. Qui uero ægre uomunt, his etiam digitorum aut pinnarum immissione ad uomitū uentriculus irritetur. Quod si ne his quidem morbus comprimitur nec quicquam se remittit, exhibemus ægris hierā, hoc est, Sacram Archigenis, & hieram Galeni. Conducit & Hierologodium. Competit hoc malo implicitis non semel, sed bis, aut ter, si res postulet, dicta sumere pharmaca, quoniā crassi & uiscidi humores subitę purgationi cæterisq; medicamentis non confestim obtemperant, sed sedulitate uicti & concocti facilius obediūt. Quicquid uero horum offerimus semper id cū admixtione iuris decocti epithymi, & passulis exacinatis ac mundis. Vacuato autem iam uniuerso & corpore, & capite morbo non cedente sed pertinaciter persistente, conueniunt Embrochæ, hoc est, adspergines ex sertula campana melilotoue, anthemide, hoc est, chamæmelo, sampsucho, sisimbrio, folijs lauri, acanthaq;, & his similibus præparatæ capiti irrorētur. Quibus eius quod reliquū est, a purgatione resoluendi ac discutiendi & doloresq; placandi uis inest. Quin & caput non parū præfata corroborant. Quod si res emplastrum efflagitare uidebitur ex commemoratis id ante rebus, medicinalibus præsertim ex oleis, irino, lillinoue, costino, de uiolis luteis & oleo Sisamino. Si his dolorosa non cedit affectio, fiat sanguinis ex utrisq; temporibus detractio, uel arteriarum incisio, quod tamē nunquā in frigida causa materiosa est faciundum, nisi cum materies frigida hisce arterijs fuerit impacta & contumaciter hæreat. Nam quū pertundimus & aperimus in utrisq; temporibus singulas, auferetur affligens humor & succedit sanguen inculpatum ac obsidet arterias. Humor autem uitiosus noxia materies in utrorunq; temporū uenis & arterijs fermēti instar cōsistit, corrūpens quemcunq; obuium humorem, uel ex boni succi cibarijs enatum. Materia autem doloris existēte calida sanguinis missio non debet omitti, quoniam materies illa incompacta & sequax nimirū existit. Quod si a sanguinis detractione morbus perseuerauerit, ita ut adurētia medicamenta, quæ καυτήρια Græcis dicūtur adhibenda sint, oportet ea syn-

*Emplastri materia.*

cipiti, temporibus & occipitio admouere. Qui ob hanc causam capite laborant cibis uescantur inculpatis, optimi succi, concoctu facilibus & digestioni idoneis, ac omnibus denique modis laudabilibus. A uinis multis & pluripharioru generum coërceantur, præcipue annosis & aromaticis & uaporosis. Quoniã uina eius generis uaporibus caput confestim replent, & uehementiorem cruciatum generant.

### *De dolore capitis ex uentosis flatibus craßis prognato.* Cap. X.

QVi dolore capitis ob uentosos flatus crassiores conflictantur, his notis insigniuntur: Flatuose identidem distendũtur, ac subsident citra molestiam subinde absq; negocio. Distentio flatulenta concussa tympani sonitum edit, frigido aëre offenduntur & læduntur qui ad flatulentos spiritus capitis dolorem referunt. Proinde in huius mali curatione considerandum est nullam peculiarem noxam caput sustinere, eo sibi nihil remediorum esse adhibendum, sed mittenti potius primario affectæ corporis particulæ, Verbi gratia: Si flatulentus spiritus qui dolorem generat in capacitate uentriculi uel in ore ipsius oritur, missusq; per halitum ad caput, torquet ac pessime afficit, ipsi protinus uentriculo, aut stomacho manus auxiliares feremus. Euacuare itaq; uentriculum, quã primum fieri potest, uomitu & potu Hieræ summe expedit. Optimũ quippe remedium heic, Hiera Picra medicamentum, est. Postquam euacuatus est stomachus & uentriculus propinandum est oleum de amygdalis dulcibus, & amaris, cum decocto Radicum apij, & fœniculi, Schœnosanthiq; & anisi, Masticheś item, fœnogræci, ammeos, cordumeni, & similiũ. Quod si adhuc efficatioribus auxilijs opus habebit affectio, Oleum Ricininum, quod Græci κίκινον ἔλαιον, Arabes & horum sectatores Barbari medici, oleum de Cherua appellitant, in potu propinabimus, uel cum diluto aloës prius commemorato, quod etiam per se heic locum habet. Idem cum diluto Hieræ propinatum iuuat. Quin & ipsum seorsim Hierę dilutum, quo de nũc agemus optimum prę stabit in tali affectione remedium. Eius pharmaci sic habet descriptio.

**Dilutum medicamenti Hieræ Picræ, quum ad præsentem, tum ad omnem inueteratum capitis dolorem accommodatißimum.**

Sumito
- Radicum
  - Apij
  - Fœniculi
  - Rotundi odorati iunci, uel
- Florum iunci rotundi odorati, quod σχοινάνθος Græcè, Squinantum corrupta uoce à Barbaris dicitur.
  - } Singulorum denarios decẽ.
- Calaminthæ montanę, seu nepetæ
- Aristolochiæ longę
- Spinę Arabicæ
- Spinæ albę, Arab. Bedeguard.
  - } Cuiuslibet denarios quinq́.
- Myrobolanorum cœruleorũ, denarios septem.
- Epithymi Cretensis, denarios quinque.
- Masticheſ, denarios treis.
- Spicæ seu nardi, denarios duos.
- Cassiæ lignee
- Seminum Ammeos
- Calami odorati
  - } Vniuscuiusq́ denarios treis.
- Agarici exquisitissimi, denarios quinq́.
- Stichados Arabicè denarios septem.
- Passularum exacinatarum quadrantem.

Decoquantˀ unà singula in aquæ lib. septem usq́ ad unius modò unciæ pondo, sex coctura cõsumptis, Colo transfundatˀ, & colatæ librę superinijciantˀ Hieræ Picræ denarij pondo octo. Et reponatˀ in uase uitreo, Sub dium in solem. Vsuq́ & necessitate postulante exhibeatur uncia una, siue sextans, cum olei Ricinini denariũ pondo trium. Illud uerò pharmacũ summa cum utilitate in ista affectione propinatˀ, quando affligens materia flatulenta cõprehensa in uentriculi amplitudine uel ore ipsius uentosos spiritus mittit ad caput, ut affligent. Dilutũ autem Aloëticũ, iam pridem à nobis suis coloribus depictũ affecto capiti longè conducibilius est, & quanq̃ Diluti de Hiera Picra usus in dolore quoq́ capitis ex intẽperie frigida cũ materia, quo de proximo capite egimus, probetur, tam multò est potior quando flatuosa materies in uentriculo congregatˀ. Quum uerò hoc malo impliciti confectionẽ quãpiam desiderabunt, roborandi & discutiendi facultate præditã, Dianthos, uel Antithodũ Mithridaticã, à Mithridate rege conditam, uel confectionẽ Diamoschi dulcem, à moscho cuius par-

tem bene magnã continet appellatã, uel Diamoſchi pharmacum amarũ à Medicis cognominatũ porrigemus. Quod ſi flatuoſi ſpiritus in capite iam fuerint cõgregati & impacti, mandabimus ægrotis ut poſt corporis purgationẽ per Hierã crebrius balneũ ingreſſi lauent, & caput identidem cum ſuperfuſione ex anthemide, Camemillam hodie dicũt, Sertula Campana melilotoue, origano, folijs lauri, Spina Arabica, ſampſucho, anetho, & ſimilibus cõfecta, ſtillatim ex alto adſpergat. Euacuato iam uentriculo & reliquo corpore purgato, Apophlegmatiſmis, gargariſmis, maſticationibus, ſternutamentis, errhinis, & alijs quæ caput expurgare poſſunt, Medicamẽtis uentoſos ſpiritus reſoluentibus & diſſipantibus in hac conſtitutione utendũ, quum uidelicet ſtillaticio liquore ſampſuchi diluunt & caput, ut dicitur, purgiũ inde conficitur, fert quippe ſuppetias minime ficulneas. Quę naribus præterea odoranda adhibent medicamenta, & cerebrũ cõmouent, & ſpiritus excitant, & flatus diſcutiunt, ita affectos iuuant, præſertim caſtorium, & moſchi creberrime admota, pari etiam modo flores fragrantis odoris, tenuium natura partium, & calorificæ facultatis odorati huic pathemati ſubueniunt.

### *De Dolore capitis ex meri potu, & ebrietate producto.* Cap. XI.

MErum temperamento natura calidius capitis dolorem generat, quia uaporibus calidis caput & uẽtriculos omnino replet, quandoq; etiam humoribus tẽperatura calidis, Nam & citra uini potum eiuſmodi ad caput prõptè deferuntur. Notæ huius paſſionis facile ex ægrotãte cognoſcunt. Curationis aũt ſcopos duos habet, primũ uniuerſalem & cõmunem omnibus, nimirũ euacuationem humoris pathema generantis, hoc eſt, calidos uapores qui caput ſubeunt. Huic peculiare eſt, tollere noxium, haud aliter atq; concoctio. Quũ uerò calidi ſint, qui caput repleuerũt humores, etiam refrigerante eos medela opus erit. Refrigeratio alter medendi heic ſcopus fuerit. Iubendi igit ſunt, ſi crudũ adhuc in eis uinum permaneat & in uentriculo fluctuet, ut tepida aqua epota uomant. Quod ſi etiam poſt concoctionem caput doleat, Refrigerantibus, & uapores qui ex alto ad caput feruntur reprimentibus pharmacis utendum eſt. Cuius factionis eſt roſaceũ per ſe & cum aceto, aut cum hœdere, & braſſicæ ſucco, & id genus cæteris, modò non ſint actu quando capiti ſuperfunduntur, aut aliàs adhibentur intenſi algoris. Quin & ipſa Braſſicæ folia in aqua calida macerata & capiti circundata illigataq; naturaliter ebrietati reſiſtunt. Sicuti & earum eſus. Cæterũ ſomni ac quietis cura in primis habenda eſt.

da eſt. Quod ſi quando uini reliquię quędam relinquantur in uentriculo & nauſeā excitent, aqua tepente cum oxymelite hauſta, Syropoue acetoſo uomere pręcipito. Si ex uaporibus & humoribus quippiam permaneat, ſtrictis meatibus impactū, à roſaceo quidem abſtinere expedit. Vtendum eſt autem decocto chamęmelino & uiolaceo, quo cum manus pariter ac pedes perfundantur, & frictione earundem partiū continua cum ſale & oleo uiolaceo, Chamęmelino item moderatè calido, poſtea uerò & iam Irino, maximè enim huiuſmodi affectiones iuuant. Et nos quidē id potiſſimè facimus, ut uapores à capite reuellamus. Quod ubi factū fuerit per totum diem, ad ueſperā in balneum dulcis aquę ducimus in quo caput calida perfundat, non ſolum ob id ut quippiā circa ipſum diſcutiat, ſed & ſomni conciliandi gratia. Vbi autem loti fuerint, Ferculis boni & laudabilis ſucci non tamen calfacientibus nutrire oportet, Sunt autem huiuſmodi Ptiſanę ſuccus, & ſorbitio ex alica, quod eſt hordeum Romanum, cuius non eſt prouentus apud nos & proinde non ſemper ad manum. Quare in uicem ipſius utemur ſorbitione ſeu pulte ex furfuribus ſimilę ſiue ex amylo, Talia etiam ſunt panis ex aqua, refrigerat enim & humectat, Oua ſorbilia abſq; garo. Ex oleribus boni ſucci & infrigidantis eſt lactuca, & Braſſica, ut quæ uapores reſiccet, & ebrietati ſua natura reſiſtit. Sic & ex leguminibus lēs eſt, corticibus detractis, quæ maximè aluo expedit lubricæ. Potu uerò omnino aquæ utendum eſt, in ijs qui eius potu aſſueti ſunt, & uentriculum habent æſtuoſum, at uerò quoniam ſtomachus quorundā propter aquę potum ſubuertitur, Malum Punicum eis inſuper exhibendum eſt, aut ſolum per ſe, aut cum alica flaccida calida, ꝓbè cocta, aut ſuccus uuæ immaturæ, aut ſuccus Medicus, quē Rob dicūt, oxychantę & ribes & acetoſitatis Mali Medici, hoc eſt, ut uulgò uocāt Citri, aqua ſubinde admixta frigida, Ex fructibus recentibus pręterea conferūt uuę paſſę, & Poma muza, & pyra, aliqua quidē cruda, aliqua uerò ut malū elixata, & cotonia ſtomachū enim corroborāt. A glādibus uerò palmularū abſtinere conſiliū eſt ꝓprietatē enim quandam habent capitis dolorem inducendi. Quod ſi uerò poſt hæc probè dormire nequeant, ad balneū poſtridie quā citiſſimè ducendi ſunt & aqua dulcis calida eis in balneo frequēter capiti ſuperfundēda. Deinde ubi dormierint, aut omnino interpoſito tempore quieuerint, rurſus ad balneū deducendi ſunt, dein ueluti pridie cōnutriendi. Si uerò mediocriter habeant, & aquā bibere non poſſint, ob debilitatē uentriculi, permittendum Palmulæ.

est,ut uinũ aquosum & dilutũ ualde bibant, quale est Sabinum & Arusiũ, Quin & moderate habẽtibus,cibi afferant,gallorũ testiculi & alæ,Pisces saxatiles, & teneris carnibus prædití, Caro hœdina, & pulli columbarũ. *Ius album.* Hęc uero omnia citra garum & uinum, in albis ac simplicibus iusculis coquant,in quibus aqua sola cum oleo & anetho ac modico porro,cocturã perficiat,momento salis adiecto non ab initio statim cocturæ,sed cum iam aliquo modo flaccida fuerit & uicta. Constat autẽ omnibus,quod tum hos tum omnes qui caput dolent,augescente adhuc & uigente dolore quiescere satius est,remittente uero & decrescẽte,locis idoneis deambulare. Idonei autẽ sunt his qui calfieri opus habẽt,loci calidiores, qui refrigerari desiderant, frigidiores. Et ante cibum quidẽ pluribus deambulationibus & exercitijs utendũ,a cibo autem paucis & lentis. Oportet uero neq; comedere multũ,neq; statim deambulare post cibũ, sed post duas aut treis,aut etiam plures horas. Quod si quando ex uaporibus & humoribus in caput sublatis reliquiæ quędã relinquant,tenuibus poris ac meatibus impactę,& ob id etiam capitis dolor ex intẽperie calida cum humorũ copia perseueret,a rosaceo quidẽ desistendum satius esse arbitror. Adhibendum autem primum quidem chamęmelinum tepidũ,deinde etiam Irinum maximopere enim his affectibus,ut dixi,subueniunt.

*De dolore capitis ex plaga aut casu syncipiti illatis contracto.* Cap. XII.

Accidit sæpe capitis dolor ex conspicua plaga aut casu. Vbi operęprecium est nosse nos, eiusmodi affectionem nullam aliam quã inflãmationem esse, quæ non ex plaga, aut casu sed citra etiam manifestã causam,iuxta omnes corporis partes,propter humorũ influxionẽ fieri consueuit. Quod si itaq; plaga aut casus uulneris aut cõtusionis causa huius doloris existat,plures scopi erunt ad remediorũ inuentionẽ,(aliã quippe uulnus,aliam contusio,aliã dolor curandi rationẽ requirit) Vnus sane, qui propter uulnus existit,ad quod cõglutinantibus & inflãmationem arcentibus pharmacis uti cõuenit,postquã ulceris labia fibulis impositis cõmissa fuerint & constricta,quin & aliter sordidum,aliter purum uulnus curatur. Secundus uero qui causa contusionis existit, cuius etiam medendi scopus iuxta contusionis uarietatem euariat,haud enim similiter fractura, fissio,cameratio,& summæ cutis ruptio curantur. Et tertius ob dolores adhibet,qui quandoq; in ipsis solis pcussis partibus fiũt,plerunq; uero etiã ad uicinas parteis extendunt. Nam mẽbrana quæ caluariã ambit & cutis quę

huic extrinsecus

huic extrinsecus circumtēditur, utraq; propriam substantiam continuam habens per totum caput extensa est, & ob id sanè sæpe caput ipsum dolere contingit, pręsertim si ictus usq; ad membranam os caluæ ambientē penetret, quem membrana caluariā ambiente diuisa & diducta, osseq; conscalpto, ratione qua caro producitur, curare oportet. Quod si per commutationem membranę ambientis quam ad duram cerebri membranam per suturas habet, etiam intra caluariam inflammatio ipsa distribuatur, eiusmodi capitis dolor periculo non uacat. Accidit autem non raro in casu præsertim ex alto, aliquam cerebri aut membranarū eius partem abrumpi, quod ubi cōtigerit, etiam amplius capitis dolor inualescit, ipsaq; tota affectio curatu difficilior euadit, & periculum ingens ac præceps imminet. Optimū itaq; fuerit in his, nisi ætas prohibeat, & facultas uitalis imbecilla appareat, Curationis initium à sanguinis missione moliri. Quod si quippiā horum siue ætas siue uirium imbecillitas, aut etiam ambo simul, sanguinis detractionem fieri prępediant, per clysterem aluum uacuabimus, tum ut superflua in ipso recrementa euacuent̄, tum ut humores qui ad patientes partes ferri consueuerunt, reuellantur. Clyster quippe efficaciter, id quod in loco percusso collectum est, & quod eò propter inflammationem (cuius est attrahere) accurrit, reuellit, & euacuat, directo nanq; tramite à longinquo in contrariam loci affecti partem materiam attrahit, atq; inde auxilijs ad inflammationes commodis utemur. Cōuenientibus insuper capitis irrigationibus, ex lana nimirū oleo dulci imbuta, capiteq; ex ea contecto. Quod si membrana cerebri fuerit cōuulnerata, probè hanc conglutinat calaminthę succus infusus, & milij farina arida inspersa. Deinde butyrum & rosaceum, ac adeps suilla insulsa, uetusta, tepefacta, ac mixtim infusa. Animaduertendum autem, quod ubi crassę cerebri membranę nudę rosaceum offertur, quemadmodum in his quibus capitis ossiculū aliquod excisum est fieri consueuit, solum ipsum modicè tepefactum adhibemus. Quū uerò citra denudationē, p capitis iuxtà syncipût partē, sana & integra existente caluaria rosaceū ad cerebrū membranā puenire uelimus, acetū ei ut eò pducat admiscemus. Cuius itē rursus uehemēs uirtus tū per uiarū transitionē, tū per rosacei mixturam exoluitur. Quod si inflāmatio dolorē inducat, maximè contrariū est acetū reliqs auxilijs ammiscere, utpote qđ neq; mitigādi neq; laxādi, uim aliquā in se complectat̄. Peccant itaq; qui acetū rosaceo indiffinitè cōmiscēt. Cutis nanq; capitis aut quę posteā est mēbranę caluariā

ambientis

ambientis inflãmationes, citra quidem uehementem dolorem ortę, per modici ſane aceti & roſacei ammixtionẽ iuuari poſſunt, lædentur autẽ, ubi magna fuerint, doloremq́; uehementẽ induxerint, auxiliabitur aũt ſolũ roſaceũ tepefactũ, aut oleũ Siſaminũ. Auxiliant etenim quædã incipientibus & naſcentibus adhuc inflãmationibus, quędã etiã in uigore conſiſtentibus, aut decreſcentibus, aut etiam induratis opem ferũt. Roſaceũ igitur cum aceto incipientibus, In uigore uero conſiſtentibus, roſaceum ſolũ adhibebimus. Quod ſi cum dolore urgeant uigiliæ, tunc caput inungatur & fricet cum oleo chamęmelino & uiolaceo, permiſceas autẽ utrunq; ſimul diuerſi mode aliâs pro re nata. Affectus enim ipſe indicabit auxilia. Menſuram autem ſingulorum & particularem materiarũ differẽtiam ſimul tum affecta particula, tum inflãmationis magnitudo, tum ægri temperamentũ, tũ uitalis facultas, tum ætas, tum ambientis nos aëris temperatura, tum anni tempus, indicat. Nam quũ inflammatio magna exiſtit & celeris augmenti, calorem uehemẽtem, multamq́; materiam arguit, & proinde olei frigidi amplius calidi minus miſcellæ confundas. Quemadmodum ſi ægri temperies ſit natura calidior, olei calorifici minus, frigidi amplius admiſcere cõuenit. Ita etiam ſi laborans ætate iuuenis ſit, calidum oleum parca manu, frigidũ liberaliore manu adhibeas. Quod ſi porro cerebrum ob mali amplitudinem, aut imbecillitatem, confortationẽ requirat, ne, ſcilicet, neruorũ inde oboriatur offenſa (origo quippe neruorũ ipſum eſt cerebrũ) aut quod metus ſit, ne conſequatur neruos periculũ ſiue calamitas, tunc ut robur concilias, remedium non admodum calorificę facultatis offeras, & tenuium partium ſubſtantiam habentes, ut penetrãtes ſecum in profundũ medelas adſtringentes & auſteras traducãt, Fiat autem talis naturæ pharmacũ ex decocto ſeu ſtillaticio liquore uirentis myrti, ex cupreſſo, ex aſparagis cimisúe equiſeti quam herbam, uulgo caudam equinam nominant, ex oleo irino ſeu lillino, ex modico uino odorato, meliloto, myrta, calamo aromatico, bolo Armeniaca, alumine ſciſſili, & ladano. Quod ſi mẽs quoq; uacillet & laboret afflicte ratio, cum his quę iam commemorauimus ſuperinducabimus emplaſtrum ad hunc modum confectum.

*Emplaſtrum ad dolorem capitis ex ictu cum amentia coniunctum.*

Accipe { Farinę hordeaceę partem unam. / Furfuris amidi partem dimidiam. / Altheę quartam partem. }

Redige

Redige in emplastrũ artificiosum cum aqua stillaticia equiseti, & oleo rosaceo sufficientibus & momento aceti, omnibus mixtim calefactis, fingatur emplastrum. Quod si affligens inflammatio fuerit ex genere Almessare, sicut acutum morbum efficiat, & ad statum ocyssime festinet, & sic coaceruata iam materia, tũc detracto ante omnia sanguine ex humerali uena, stillaticius liquor solani, uesicariæ quam halicacabiũ dicunt & Alchechengi Arabice, aqua intybi seu endiuię, cassia fistularis, aqua hordei, & cremor ptisanę, & aqua stillaticia cucurbitę, propinetur. Cõuenit illis uictus neq; plenior neq; solidior, sed ptisanę succus, ius maluę elixę & ipsa quoq; malua, lactuca, intyba, atriplex, endiuia, beta, portulaca, & cucurbitę. Luteum oui, caroq; uolucrium & pullorum, si ægrotantes non febricitent, & ut paucis perstringam cibus omnis ita habentium sit inculpati succi ac tenuis, non excrementosus, præsertim si febris adsit. Abstinendũ a cibis acidis, acribus & salsis, etiam a uino, sole, balneo & clamore. Quod si ad eorũ curationem opus habere uidebuntur Linimentis, adplicetur inter initia confestim Linimentum repulsoria resolutoriaq; facultate præditum. Cuius farinæ sunt, quæ ex santalis rubeis, auellana Indica, fructu nuce myristica non absimili, Arabibus fausel appellata, glaucio, succoue papauerino, quod Siefmemithe ab ijsdem uocatur, acacia, terra Armeniaca, sigillata, Samia, & terra Chimolia, Lenticula non excorticata, & Litio, cum aqua stillaticia solani, arnoglossi, coriandri, polygoni seu uirgę pastoris, & portulacę coactis fiunt, & in linimentum artificiose rediguntur. Appetẽte igitur iam declinatione medicamenta mitigatoria & mixta sunt admouẽda, cuiusmodi sunt, Anthemis chamæmelon adpellatum, Sertula campana, quam omnes iam Græce melilotum uocant, Fœnogræcum item & radix & herba althee, uitis alba, & id genus reliqua. Qđ si huic quoq; malo uulnus accedat perexiguum, tunc ad eius curationem capiti fomentationes natura & actu calidę superimponantur, cuius sane generis ex uino, ruta, & oleo myrteo optime conſiunt, talibus & similibus caput scite fouere expedit. In quem usum ex ijsdẽ & cęteris id genus capitis embrochę utiliter apparãtur. Quod si ictus fuerit tam uehemens ac magnus, ut illato uulnere sanguis prorumpat, magna cum utilitate aloë in pollinem redacta inseritur. Qui itidem puluisculus ex aloë uulneribus & scissuris reliquarum corporis partium conducit & sanguinis eruptionem undiq; sistit. Conficiendi autem eius pollinis ratio talis est.

*Almeßare.*

*Linimentũ reprimens & resoluens.*

Aloës

Accipe { Aloës Arabicæ exquisitissimæ, Glutini ex tergoribus boum, Sarcocollæue (confecti, } Singulorum unc. unam. Mannæ, seu pollinis thuris sextantem. Sanguinis Draconis semunciam.

Sunt tamen nonnulli qui pari singulorum pondere unum quodq; in pilam conijciunt & in paspalam redigunt. Sunt præterea non pauci qui nihil discriminis esse putant inter mannam ac pollinem thuris & ipsum thus contritum in puluisculum, ubi sanè perpensione atq; animaduersione dignum quod heic mãnam & pollinem thuris accipio pro furfuribus thuris, qui per incerniculũ amplioribus foraminibus perforatum incernitur, (contrario planè uulgari significato) quibus subtilissimus corticum thuris puluisculus admiscetur. Qui utiq; cæteris efficatior existit, cicatricem inducit, glutinat & persanat ocyus. Huius autem pulueris usum, & amministrationem eiusmodi esse oportet, ut nunc aridus nunc cum albore oui conficiatur & adhibeatur. Quod si os uulneris fuerit amplum ac hiat adeò latè ut os compareat caluæ, tunc quam diu ipsius hiatus patet & os comparet, & quid purulentum ac saniosum serosumq; in eo conspicitur, sedulò lauetur, cum uino austero & astringente pontico appellato, & abstergatur insuper locus cum molli ac leni lana. Quod si caluaria fuerit fracta, fieri non potest, ut unquàm in pristinum suum naturalem statum ulla arte neq; ope reficiatur. Tunc igitur summo studio moliri oportet pharmacũ quod carnem instaurandi facultatem obtineat, & per omnia deinceps, uno uerbo, iuxta concarnationis modum curare oportet. Quod uel ad istum quoq; modum absoluitur, Oleum rosaceum prius præcalfactum plagæ, hoc est, loco affecto superfundas, & uulneris utraq; labia (tum eius quod est in cute, tum illius quod est in membrana seu panniculo) sollicitius commissa cõstringe, & filo crassioris setæ, uulnus & cutem sutura coniungito, sarcinatoq; uel cum lino connectito. A sutura, commemoratum iam puluerem adhibeto, uinoq;, ut dixi, astringente, seu candido liquore oui ammixto, in lintheolũ pariter inducto, & particulæ afflictæ imponito, & probè adalligato, & alternis semper diebus, hoc est, tertio quoq; die soluito & renouato, tantisper dum resoluatur inflammatio & conglutinetur percussio, ictus uel è sublimi casus.

De Vertigine

## De uertigine, quod Σκότωμα Græcis est, Cap. XIII.

EST Vertigo obtenebratio quædam (eoq; Græcis σκότωμα uocatur) quæ oculis ita obuersatur, ut omnia rotari ac circum agi uideantur. Prouenit quandoq; hoc malum, ex primogenia affectione cerebri quandoq; ex aliorum membrorum consortio. Veluti cum oris uentriculi consensu laborat cerebrum. Pathema autem per legem consortij, quàm cum stomacho habet, fieri, arguit. Quod ubi ori uentriculi consentit, καρδιωγμόν, hoc est, stomachi morsum & nauseam præsentiunt. Si per reliqui uentriculi consensum, fastidium ciborum, & cruditas, & dolor eius partis, & capitis ex interuallo cruciatus comitat. Si ex primario cerebri affectu dependet, his notis cognoscitur: Vehemens capitis dolor urget, & assiduus est, aurium sonitus ac murmura, grauitasq; partim præcesserũt, partim comitãtur, & hebetudines perpetuæ oculis obuersantur, & quod, qui isto pathemate cõflictantur, ijs à quacunq; leui occasione ante oculos tenebræ apparent, adeò ut sæpius concidant ægrotantes, præsertim in gyrum rotati, & si malum non sit nouum. Olfactus insuper ac gustus, cæterorumq; sensuum functiones læduntur. Accidit autem primogenia ista passio, quũ crassus & lentus humor cerebrum occupans in uaporosos spiritus ab imbecilli calore resoluitur, & in cerebri partibus eiusq; uentriculis inordinatè mouetur. Sicuti alia quę per cõsensum oritur uertigo, ex uitiosis humoribus in uẽtriculo aceruatos prouenit, quũ uaporosa inde exhalatio ad cerebrum fertur, febrem accendit & spiritum animalem rotat. Quum igitur uaporosi spiritus non discutiuntur, uel ob crassitiem, uel ob copiam suam, reuoluũtur & in circum rotantur, uehementes dolores inducũt, oculis tenebras suffundunt inordinati humoris ac uaporis motus, cuius ergo omnia quæ intuentur circumagi & rotari autumant. Materia autem unde tenebricosa ista uertigo nascitur, sunt flatuosi spiritus crassi, crudi & obscuri, e crassis & lentis humoribus prognati. Et uaporosi isti, ut diximus, spiritus uel in cerebro ac sinubus suis complectũtur, & spiritum animalem motu inordinato circumagunt, Vel, ex uentriculo, stomachoúe, aut reliquis corporis partibus ascendunt, idemq; operantur & perpetrant. Atqui si ex uniuerso ad caput efferuntur corpore, liquet id ex duabus post aures arterijs, quas καρώτιδας, dicunt, quæ plus solito extenduntur. Sunt aũt καρωτικαὶ φλέβες, quæ in collo ab ea parte sunt, quæ ceruici cohæret. Prodit autẽ id spondylium extensio. Efferunt autem eiusmodi uapores ex humoribus Carotides.

contentis in ſtomacho. Quod uel inde deprehendi poterit, quod crucia-tus qui ad cruditatem refertus, nauſeam item & auerſionem à cibis appe-titus magis magisq; graſſatur & incrudeſcit. Nec prohibet uertiginē ali-quando ex frigido humore cerebro adhærente, uel ex humoribus bilioſis oriri. Dirimunt porrò Κεφαλαλγία & Σκότωμα eo inter ſe diſcrimine, quod Cephalalgia diuturnior eſt, nec breui quieſcit. Vertigo autem, breuior affectio, citius placatur & quieſcit.

*Curatio Vertiginis.*

QVod ad curandi huius morbi rationem attinet, cōſideranda eſt uni-uſcuiuſq; uertiginis occaſio, pro apparente & conſpicua cuiuslibet quantitate. Quod ita intelligas, ſi humor frigidus ęgritudinis huius parēs ſit, ſummo ſtudio curabis, ut calfacies ipſum & diſſipes. Imperabis itaq; æ-grotanti, ut Euphorbium naribus identidem admoueat, pręmiſſa tamen to-tius corporis euacuatione. Pari etiam modo, Caſtorium & Nigellam, & Moſchum, & Sampſuchū, & id genus cætera. Proderint etiam Apophle-gmatiſmi, Gargariſmi, & ſternutamenta, quę caput expurgāt. Quod ſi fla-tulenti ſpiritus, quas uentoſitates dicunt, fuerint craſſi, Decocto Chamæ-meli, Abrotani, Meliloti, Origani, Spinę Arabicę, Sampſuchi, & foliorum lauri, præſentiſſima commoditate fouebis, ita, ut ſe ſuper hoc decoctū in-clinet ægrotus. Quod ſi humores qui Vertiginem pariūt, calidi fuerint, duobus Myrobolanorum generibus, flauis uidelicet & Empeliticis eua-cuentur. Fiat autem ex illis decoctū, quod potui detur, & cum catapotijs de Hiera. Quod ſi morbus ſanguinis detractionem efflagitare uidebitur, confert illum, ſi nihil prohibeat, inciſa Humerali uena detrahere, quum à morbi exordio tum cæteris deinceps morbi tēporibus, propterea quod ſanguineus fortaſſis humor toto redundat corpore, & uitioſus eſt, & ſuſci-tat in capite ægritudinem quandam Catarrhoſam calidam, eoq; ſuperue-nit tenebricoſa Vertigo, originem ex ſanguine trahens. Nam quū ex Hu-merali uena ſanguen detrahitur, geminis ſimul ęgritudinibus ſuccurritur, perinde atq; Apoplexię atq; Paralyſi, quod eſt morbo attonito & reſolu-tioni alicuius partis. In febre item Tertiana cui malum ex ſanguine obue-nit, quoniam ægritudo ſanguinea Vertiginis materiam concoquit, dige-rit & ſecum detrahit. Cæterū in ſanguinis detractione cauendum ne con-fertim detrahatur. Sed ſi non ſit ſanguinis miſſione opus, pharmaca medię qualitatis, hoc eſt, neq; calidiora neq; frigidiora in curatione rite adhibita opitulantur.

*Calidæ Vertiginis cura.*

opitulantur. Post quæ odoramenta ex rosis, turonibus myrti conferunt, acetum item acerrimum, uirides uiolæ, & flores nympheæ naribus admouere expedit. Magno insuper præsidio in Vertigine clysteres sunt, tum blandi ac lenes, tum acres & uehemẽtes. Illi ad ægritudinem, ob calidam materiam, hi ad eandem, ex frigidis humoribus enatam, utrinque sane & alui excrementa euacuant, & ea quæ ad caput sursum feruntur, pulchre reuellunt. Si igit̃ ex calidis humoribus uaporosisq́ spiritibus calidis hoc pathema proficiscitur, Clysteres clementes, ex malua, uiolis, rosis, lactuca, polygono, meliloto, & similibus conficiantur. In quorũ decocto dissoluantur, Cassię fistularis, & ecligmatis de succo rос. & similium, uniuscuiusq; quantum uidetur, Oleum uiolaceũ, Nympheæ & id genus. Acres uero & potentiores ex bethonica, perpensa, acoro, cẽtaurio, cucurbitula syluestri, agarico, & similibus. In quorum iure diluantur, Antidotus Indi Maioris, exiguo primum pondere, & Diaphœnicon, Melrosaceum, oleum laurinum, rutaceum, costinum, Sal gemmæ, & consimilia. Quod si post talium clysterum usum Vertigo non cessauerit, & diuturna iam & contumax & medicinæ rebellis uideatur, propinabimus Hieram Picram Galeni, aut Hieram Archigenis. Dilutum uero ex aloë paulo ante descriptum opem heic tulerit maximam. Quum uero ista Vertiginis passio dolorosa ob uaporosis spiritibus ex alto sursum ad caput elatos, in utrisq; arterijs post aureis impactos, sicut foris infartæ cõpareant arteriæ, nascit̃, tunc eius unicũ fere & præsentissimum fuerit præsidium, earundem arteriarum pertusio. Diceret autem quispiam, quî nam licet uentosos flatus in duas post aures & in ceruice arterias, ex imo elatos olfacere? Respõdeo, hoc modo: Impone manum tuam utrisq; hisce arterijs, si has uaporosi spiritus occuparint, senties tactu, percussus istarum arteriarum uehementes, & magnos unde liquido iam constabit ægritudinem hanc uaporum esse sobolem, quin & sensui uisus, quoniam infartiuntur arteriæ, facile liquet. Item si arterias utrasq;, singillatim quamlibet ligamento, quod à Barbaris phlommate nuncupatur, excipias, inde quod ex eius imposítu dolor utcunque sedatur, deprehendes uapores esse inclusos. Si porro utrisque iam sæpius commemoratis arterijs pharmaca aliqua astringentia, uerbi gratia, gallas, Punicę syluęstris florem (quem Græce βαλαύστιον dicunt) aloën Arabicam, acatiam & opium cum aceto permixtum adhibeas, dolor aliquantulum lenitur & quodammodo quiescit ægrotus. Si uero per hæc præsidia malũ non cessauerit, neq;

uerit, neq; dolor placatus quieuerit, certum erit indicium, quod uaporosi spiritus sursum efferuntur neq; istas arterias obsident, & tunc ad curãdi rationem maxime spectabit, medicamenta purgãtia sæpius confertim & pluripharium ingurgitare.

### De dolore capitis per consensum. Cap. XIIII.

SI caput non primogenia cerebri affectione dolet, sed uniuerso corpori uel alicui saltem particulæ per consensum coafficitur, illi in primis consulendum & succurrendum cui cerebrum condolet, tum intemperiei, tum humori præpollenti instando. Humorum multitudinem, pręsertim circa uenas, sanguinis detractione, qualitatem pręedominantem purgatorio medicamento urgentes. Si uero uni alicui parti consortij lege condoleat, ueluti uẽtriculo, aut ori ipsius, aut iocinori, aut lieni, aut alij cuicunque membro, his ipsis auxiliabimur. Nam quum in iocinore & uentriculo humores plurimi congregantur, uel unus modo immodicus, efferuntur inde uentosi flatus ad cerebrum qui inibi dolorem capitis excitant. Lienis uero in eo nõ respõdet uẽtriculo, neque etiam iocinori, nisi humor melancholicus in eo coaceruetur, & inde mittatur à suo conceptaculo ad uentriculum, unde uapores sursum mittuntur ad cerebrum, hac itaque ratione lienis flatulentos habitus mittit ad cerebrum, mediante uentriculo. Reliquas uero parteis uaporosos spiritus ędere iam liquet omnibus & ex his dolorẽ capitis emergere. Quapropter quũ harum particularũ essentiæ prospicimus & earundem cõstitutionem ita curamus, ut sibi ac sanitati pristinæ restituant, capitis, quo de agimus, dolor cessabit. Si igitur ob uiscidos & crassos in stomacho contentos humores, caput doleat, hos exturbabimus, acetum mulsum propinando, hyssopi item & origani decocto, & & uomitu à radicula, & cataplasmatis calidis. Si per consortiũ cæteris partibus compatitur, calidam quidem ipsarum intemperiem, pane ex uino diluto & ex alica sorbitionibus corrigemus. Extrinsecus autem fotus ac superfusiones mediocriter refrigerantes ac roborantes adhibebimus. Quibus præsidijs si parum promouerimus, adeo ut etiam caput ipsum efflagitare uideatur auxilia, medebimur ipsi eadem curationis methodo, quam prius tradidimus, semper iuxta præpollentis humoris quantitatem facientes.

De dolorẽ

De dolore Syncipitis. Cap. XV.

DOlor Syncipitis uel in membrana caluariã foris uel ante oblæsã, uel in membrana ualidiore intra caluam suturis caluarię annexa, quę custos cerebri appellatur generatur. Hic quoq; affectus bifariam fit, Vel enim per se morbus, uel per consensum, existit. Per se quum prefati panniculi offendũtur & cerebrum affligunt. Per consensum quum lege consortij cæteris membris, Verbi gratia, Ori uentriculi aut ipso uentriculo condolent. Notę autem e quibus cognoscitur Cerebri custodem, hoc est, interiorem illam membranam affectam, aut exteriorem caluã ambientem, aut per consortium fieri dolorem, distinguentes sunt hæ. Siquidem custos pãniculus afficitur, tunc sentit ægrotus dolorem in radicibus oculorũ, & has quasi ad interiora trahi. Si uero nihil tale sentitur, scito uelamenti, hoc est, exterioris panniculi morbũ existere. Si dolor non sit perpetuus sed ex interuallo exacerbat & inducias habet, tũc ex stomacho malum prouenire portendit. Et si patiens percipit inflationem siue expansionem dicere mauis, citra grauitatem & punctoriũ dolorem, percussumq; arteriarum, flatuosos spiritus hoc pathema creare. Ventosorum autem spirituum originem, uel in capite consistere, uel ex uentriculo trahi. Propterea quod in doloribus flatulentis ægro uidentur mẽbra sua distendi: Si uero ęgrotans sentiat grauitatem, punctorium dolorem & pulsatilem, notat id membranarũ inflãmationem sanguineam, quoniam hunc syncipitis dolorem sanguis inuehit. Quum enim hoc loci confluit ac inibi corrumpit inflammationem operatur, reliquarum corporis partium (quibus si sanguen insinuat ac coit) inflammationibus haud absimilem. Quod si nulla adsit dolori neq; grauitas, neq; magnus ac uehemens arteriarum percussus, sed uellicatio tantum, quæ mordicus & punctim, ut ita loquar, arripit. Tunc affectũ humores calidi, acres & erodẽtes pariũt. Si cũ grauitate facies rubore suffunditur, sanguinis abundantiam bene magnam significat. Quandoquidem enim naturę modũ ampliter excedit, fit ut in hanc corporis partem effundatur, in eadem corrumpatur & morbum constituat. Si sola grauitas citra calorem citraq; ruborem deprehẽdatur, tum affectionis huius autor erit humor quispiã crassus & terrenus, puta, pituitosus aut melãcholicus.

Curatio.

QVoniam complures & diuersę sunt huius morbi occasiones, scopi quoque inuentionis remediorum erunt plures. Nam si ad humorũ

multitudinem referatur, tunc curationis scopus erit, humoris modum excedentis euacuatio. Idq; uel per sanguinis missionem, uel per euacuationē alui, cum pharmacis purgantibus. Quocirca si humorum copia in solo fuerit capite, ab illius sola curatione auspicanda est medēdi ratio. Si porro humores affligentes in capite collecti sint frigidi, & præcipue pituitosi, tum utiq; ipsi uel a capitis calore attrahuntur, uel ex imbecillitate coquendi facultatis ac generandi creantur. In hac itaq; cōstitutione pharmacis statim purgatorijs est utendum, Pilulis nempe cochijs & similibus. Irrigationibus item & embrochis ex decocto rerum moderate calfacientium & confortantium. Roborandum quippe est quam maxime caput, quoniam uires iam sunt conuulsæ & prostratę, eoq; ad suscipiendos qui influunt humores idoneum, Indito autem robore per pręsidia adhibita influxioni humorum resistet ac probe retūdet. Oportet autem robur cum remedijs astringentibus indere, quibus id quod redundat excluditur & influxio meaculorum obstructione abscinditur, nequit igitur deinceps confluere & coaceruari materia. Sylua autem medicinarū quę caput corroborare possunt est hęc: Chamęmelū, melilotū, bethonica, sena, rosæ, flores nymphea, Shœnosanthos, hyssopus, menta uiridis, nux moschata, & id genus compluria. Et interpositis pluscculis aliquot diebus ab usu taliū medelarū, præfatis iam pharmacis admisceas aliquid remediorū strenua calfaciendi facultate preditorum, cuius farinę sunt, sisimbriū, amaracū, quod sampsuchū dicūt, nepitha seu, ut uocant, calamentū agreste, folia lauri, pulegium, Moschus, anthos, calamus odoratus, & his similia, tantisper dum resoluantᷓ reliquię, post cōfortationē memoratā relictæ. Quod si humoreu fuerint acres, biliosi, mordaces, perfundas caput aceto acerrimo uinoso cum rosaceo pmixto. Decoctū item papaueris capiti affusum, syncipitis dolorē aufert. Nō raro ex resoluētibus aliquid est ammiscendū sicuti sunt, Chamęmelum, melilotum & similia. Quod si humores sint crassi, crudi, cōsulo ne festines ad resoluentia & euacuantia (nisi præmissa humorū concoctione) quoniā humores affligentes sunt crudi & immaturi. In ipso itaq; morbo grassante, nō sunt euacuandi, pręsertim si ex melācholia & pituita malū erumpuerit. Quū autem affligentes succi crudi sunt & crassi, ante omnia concoquantᷓ & extenuantᷓ, tantisper dum ad euacuationē reddantᷓ idonei. Quādo autē morbus ex sanguine seu flaua bile cōsurgit neq; cōcoctionē neq; extenuationē exigit, quoniam uterq; hic humor calidus, & coctus, neq; calor unq̄ diminuitᷓ, neq; superfluitas incrassatᷓ, nisi in humore pituitoso, & melācholico. Proinde euacuare illos, non pręmissa cōcoctione & extenuatione, ne moliamur. Vbi ergo uterq; heic humor extenuat9 & coctus fuerit, lente festinabimus, Topi

*Confortantia caput.*

*Bilis & sanguen humores cocti.*

caq; remedia, emplastra & quęcunq; foris adhibita resoluūt cunctanter adhibebimus, ꝓpterea quod quicqd resoluit supra modum est calidū, unde periculū est, nisi locus cōcalescat in ipsum influat materia. Sed illico à cōcoctione & facta extenuatione, euacuet accuratè cōcocta materia. Tū demū reliquias adhuc relictas amouere aggrediemur, & inijciemus ea, quę foris inducuntur, resolutoria & quæ expirare faciunt, remedia, Cuius facultatis sūt, medicinę ex nitro & sinapi cōfectæ. Postq̄ malū se remiserit & morbus declinare cœperit, in balneū ægri deducti secundū caput fricent detōso, rasoq; prius capite, pharmaca Lippitudini oculorum consecrata (eoq; ὀφθαλμικὰ à medicis adpellata) adplicabimus. Semper initium ab ijs facientes, quę non magnam habent acredinem, atq; ita paulatim ad acriora sub finem potissimum progredientes.

### De Hemicrania, hoc est, dimidiæ partis capitis affectione. Cap. XVI.

Ἡμικρανία Græcè, affectio dolorosa est maligna, in dimidia capitis parte nūc dextrā, nūc sinistrā cōtingēs, quę iuxta futurā secundū longitudinē eius extēsam terminat, & ut plurimū per circuitus exacerbat. Causam huic dolori suggerit, uaporū aut humorū, siue multorū, siue calidorū, siue frigidorū influxio. Horū quippe nimietas, etiam tēperatorū sicuti & immodica intēperies uel paucorū iuxta afficit. Quibusdā igit ipsorū iuxta temporū musculos dolor uehemēs sentit, adeò ut uideant distendi, & pleraq; sanè ipsorū pars hoc modo affligit. Quibusdā uerò dolor longe ulterius in altū capitis ꝓgredit. Quibusdā adeò uehemēs dolor sentit, ut neq; manuū contactū facile ferāt, in qbus palā est membranā caluariā uelantē esse affectā, & neq; cutē ipsam omnino à passiōe immunē existere. Liquet igit uaporū, aut humorū, aut utrorunq; influxū, uel per uenas, uel arterias, uel per utrasq; cōtingere. Interim quidē ipsis solis partibus caluariæ internis, hoc est, cerebro & eius mēbranis recrementa sua foras ꝓtrudentib. interim partib. corporis, quæ infra caput sunt, uitiatos uapores aut humores sursum mittentib. Quocirca q Hemicranię curationē aggredit, is principio quali purgatione opus sit, consideret, nū sang. uidelicet detractiōe, aut corporis purgatiōe magis indigeat. Si enim ob plenitudinē, aut sang. copiā oborta fuerit affectio, Vena humeraria, q̄ hodie Cephalicā nomināt, citra dilationē incidēda est. Sin ꝓpter alterius humoris redūdantiā malū inuaserit, pharmacis purgantib. ei humori dicatis, redundās humor expurget. Si ob unū aliquē humorē, nō citra tamē calorē atq; adeò inflationē fuerit oborta affectio, simili modo curationē à sang. missione auspicari cōuenit. Quibꝰ accuratè actis et trāsactis oībus, ad capitis ipsiꝰ localia uoca

ta præsidia progrediendum, tum per propriæ manus digitos, tum per linteum dimidiam frontis partem, & eam præsertim quæ circa temporũ musculos est, confricando, quousq; incalescat, atq; id ante accessionis tempus faciundum est. Post accessionem uero medicamentis à ueteribus medicis Hemicranicis appellatis utendum. Vbi rursum magna perpensione considerandum, Quod, quum multus calor in doloribus percipitur, hęc quę refrigeratorium aliquid habent, citra uero hunc, ea quę uehementer calfaciunt, sint adhibenda. Vtrisq; uero aliquid cerebrum corroborans, adstringendi facultate præditum misceatur.

### *De inexpugnabili ferè dormiendi neceßitate, quod malum Græci λήθαργον, Romani Veternum nuncupant.* Cap. XVII.

EST quando cerebrum inflãmatione, ex humore pituitoso putrescente febrim inducente conflictatur, cum obliuione & profunda in somnum delatione, quarum hæc quidem accidit, ob febrem, quę sensuum functionibus obsistit, illa uero, propterea quod imaginatricis animæ pars, febris uitio, ita oblęditur, ut nullam rerum imaginem retineat, sed omniũ obliuiscat̃. Hinc etiam nomẽ nimirũ malo est inditum λήθαργος, quod λήθη obliuionem, ἀργὴ uenationem siue capturam significet, quasi dicas Lethargum aliud nihil esse, quã malum, obliuionem inducẽs. Fons autem obliuionis est, quod rationalis animę pars, propter offensam uel nihil rerum percipit, uel perceptas non retinet, quare nulla uerbis suppeditatur materia. Eoq; hoc uitio conflictatos omniũ rerum obliuio, lenta febris, & sopor penè inexpugnabilis comitat̃. Pulsus ijs magni, rari molles & undosi sunt, perinde atq; est illorum, qui pulmonis laborant apostemate, aut inflãmatione, propterea quod pulmonis & cerebri abscessibus tribus in rebus adunguem fermè conuenit, puta, in partium & essentię temperatura, quæ utiq; prima est, Altera in causis consistit, Tertia in nomine siue significato. In essentiæ quidẽ ac totius mẽbri tẽperatura, utrisq; inter se cõuenit, quoniã utrorũq; substãtia iuxta rara, mollis, humida, terreę & aqueæ naturę, & sensus expers. In causis uero respõdent, quoniã ambo cõstant ex humore pituitoso. In significato deniq;, eo q̃d eadẽ superueniunt utrisq;, abscessus nẽpe seu inflammatio ex eodẽ humore pituitoso, quodq; pulmonis abscessus phlegmaticus uentosos flatus sursum ad cerebrũ mittit & dormiendi necessitatẽ, & inuictũ somni desideriũ, quẽ Caron Græci, Arabes subeth cognominãt, sępe inducit. Discrimẽ aũt quo dirimunt̃ inter se percussus arteriarum huius affectionis cerebri & pulsus eiusdem affectionis pulmonis,

est, quod

est,quod illius percussus est paulò tardior, rarior & frigidior, eò quod cerebri affectus,non paulò longiore spacio quam pulmonis à corde distat, unde & pulsus ægrotantis & febris etiam ipsa concomitans,haud temere (quæ utraq; à corde oriuntur)aliquãto minores & ordinati magis euadũt. In tali aũt pulmonis affectu,eò quod uiscus illud cordi uicinũ & propinquũ admodum necessariò arteriarũ percussus iam primũ à fonte orsus,maior, uehementior & celerior redditur,& maiorem febrim arguit. Respiratio rara & imbecillis quoq; hunc morbum sequitur. Quod igitur ad Lethargi suorumq; comitum curationem attinet, considerare oportet id principio quod ueteres medici docuerunt. Virium uidelicet robur, naturã,artem, consuetudinẽ,ætatẽ,temperamentũ, tẽpus anni,regionẽ & his similia. Exempli causa: Res uidebitur exigere missionẽ sanguinis,tunc si uires permiserint,& nihil horum omniũ obstiterit,cõfidenti animo ab initio statim sanguinẽ detrahere ex Humeraria expedit. Si autẽ cõmemorata,presertim uires,incisionẽ uenæ prohibeant,neq; etiã corporis habitudo & morbi occasio hanc ueluti necessariã efflagitent,tũm mirifice iuuabit primũ redundantem humorẽ,per acrẽ & ualde attractoriæ facultatis clysterẽ euacuare,tantisper dum ea quæ in intestinis continent̃ expurgent̃,& ea quæ sursum ad caput mittunt̃ ad inferiora reuellant̃. Quod uerò ad rationẽ uictus spectat, Cubile in quo decũbit æger,in cubiculo sit moderatè splendido ac tẽperati luminis ab omnibus undiq; flatibus uacuo. Cibus esto in morbi declinatione extenuans & exiccãs, cumino,cinnamomo,gariophilis,& id genus alijs aromatis cõditus. Inter euacuandũ porrò totũ corpus exhibemus pharmaca quæ obsistunt uaporibus,qui ab infernis partibus ad superiores,nempe caput & cerebrũ mittunt̃, & resoluant ac profligent eos, cum cæteris quę infestãt omnibus iam olim in capite collectis,& cerebrũ obsidentib. Repellẽdus enim omnino à capite humor est,quisqs is fuerit. Ex resoluẽtibus aũt & repellẽtibus heic præstantissimũ est,oxyrhodinũ,hoc est,oleũ rosaceũ cum momento aceti dilutũ, præsertim circa morbi exordiũ. Adhæc præterea,quoniã affligens materia,huius pathematis causa,in cerebro cõprehensa,est pituitosa,hoc est,crassa,uiscida & tenax,oportet omnino ut oxyrhodino aliqd admisceat̃ qđ extenuandi,incidẽdi & calfaciendi facultatẽ habeat, Cuiꝰ farinæ sunt,castoriũ,piper,opiũ,nepeta, q̃ hodie omnes Græce Calaminthen nominãt ( Barbari corrupta uoce Calamentum uocant)aquatica,hyssopus,epithymus, menta satiua & mentastrum atq; huius generis

ius generis cętera odoramēta, propterea quod iſta remedia capiti robur & firmitudinem induunt & ipſum ſatis excalfaciunt. Cōuenit etiam artus attrectare, fricare, & præſertim manus ac pedes à frictione cum aliquo cō uenienti oleo cui nitrum admixtum ſit, aut pyrethrum & ſemen urticæ ſæpius abſtergere. Ex uſu etiam fuerit eaſdem corporis partes identidē cum aceto ſcyllitico detergere. Quin & cepam ac ſcyllam uidimus quandoque tritas & aceto dilutas in ſimilem uſum adhibere. Quibus utique ex rebus conformata ſæpe emplaſtra pedibus, cruribus, & coxendicibus ſuperinducuntur. Quę ſanè his potiſſimè congruunt qui profundiori ac ſupra modum graui ſopore, Caro nempe, ac Comate ueluti ſepeliūtur. Nam ea eſt huius pharmaci proprietas ut uel perpetua ſomni immerſione correptos excitet, quum manus eo ac pedes fricantur & abſterguntur. Odoramenta quoque excitatoria Lethargicis admouenda ſunt, uerbi gratia, Caſtorium, Thymus, Epithymus, Hyſſopus, Pulegium, Calamintha ſeu Nepeta lacuſtris, & montana, cōtrita & aceto excepta, aliaq́; eius generis, naribus ægri admouere expedit, quo odor ac uapor ad cerebrum delatus humorū craſſiciem diſſecet, & ſoporatū expergefaciet. Propinabis inſuper mel ſincerum, aceto ſcyllitico dilutum, quantum ad lubricandam aluum, & columellam ſatis eſt. Ab ijs ſi admiſerint, Apophlegmatiſmorum etiam erit uſus, cuius ergò proderit Gargariſmus cum Hiera Picra apparatus, cui oxymeli ex aceto ſcyllitico cōfectum admixtum ſit. Cæterum quibus hoc malum non breui diſcutitur, ſed in diutinum tempus prorogatur, hos manuum ac pedum tremor excipit. Id enim peculiare huic pathemati inueterato ut uires cōuellat neruorum cerebri, unde omnium neruorum origo, qua oblæſa, totius corporis debilitas comitatur, ab origine quippe neruorum, facilis in ſcapulas & ſpondyles, & totum neruoſum genus tranſitio, unde in uniuerſum corpus facile diffunditur neruorum, hoc eſt, totius uirtutis imbecillitas & proſtratio, quin & natiuus calor ſi non in totum extinguitur, certè multò maximè inde debilitatur. Inſita autem caliditate comminuta, manuum ac pedum nerui, quia à corde multum diſtant, refrigerantur, unde membrorum langor, reſolutio, ac tremor. Cuiuſmodi etiam trepidatio partium tremorq́; ex largiore meri potu obuenit, & ſenibus ad modum decrepitis. Itidem accidit in reſolutione alterius lateris, παραπληγίᾳ & παράλυσει, quum ægri manus etiam ſæpe pedes non aliquo auxilio, ac ueluti ſuſtentaculo ſuffultiunt, ſed quaſi ſuſpendūt abſq; fulcimine. Quin

etiam

etiam illi qui has parteis commouent, manibus palpitant ac pedibus ceſpitant, quoniam hic motus eſt conuulſorius. Tremoribus & contractionibus eiuſmodi infeſtantibus caſtorei treis fere aureos propinabimus, uel oleo & momento aceti caſtorium diluentes caput fouebimus. Raſo porro capite calfactorium aliquod ſuperaccommodabitur, ne ſcilicet neruorum origo cerebrum ipſum refrigeretur, in quem uſum probantur, ſal, milium, ſampſuchus, ſaluia, gariophili, & id genus alia calorifica. Euacuatio autem humorum commodiſſime per clyſteres potentiores efficitur, qui non ſolum humores affligentes euacuant, ſed & uapores arcent & breuiter, ea quæ ſurſum ad caput eleuentur & opplent, auertunt & auellunt. Commendãtur & ea remedia quæ urinam eliciunt, quod præſtabunt feſtiuiter glandes ſubditæ ex ſeminibus, aniſi, fœniculi, apij, cymini, & ſimilibus cõfectę. Et ſi inflatio comitetur cataplaſmatis flatum diſcutientibus utemur, cuius generis e cumino, baccis lauri, ruta, & ſimilibus conſiunt. Declinante autem ægritudine Lethargicus in balneũ ducendus eſt, ac ſmegmate mordaciore detergendus. Conceditur etiam ac probatur plurimũ equitatio. Alimenta ſint attenuantia, incidentia, exiccantia, quę ſimilibus calidis lauri baccis, & cęteris odoramentis, ut antea dictum eſt, condiantur.

### *De Catocha & Catalepſi frigidis itidem morbis cerebri Apoplexiæ & Comitiali ſimilibus.* *Cap.* XVIII.

MEdia quædam inter Phrenitidem & Veternum eſt affectio, quã Græcorum Medici κατοχὴν & κατάληψιν, hoc eſt, occupationem, detentionem & deprehenſionem, Recentiores uero medicinæ ſcriptores, Congelationem appellauere, eo quod eo malo correpti, oculis ueluti congelatis & immobilibus, adapertis palpebris, perſtent, & in eodem corporis ſtatu tanquam congelati ne conniuentes quidem perſiſtunt, nutant uel intente ſpectant. Hęc ægritudo magna ex parte a melancholico humore frigido & ſicco, poſteriorem cerebri ſpecum opplente *Cauſa.* & oppilãte proficiſcitur, quamobrem & anterior cerebri ſpecus per conſenſum cõdoleſcit, uoce pręterea ſenſuq; & motu uolũtario tũ mentis tum corporis priuant, ægro confeſtim in eadẽ corporis figura permanente in qua fuerit correptus, ſiue ſederit, ſiue ſteterit, ſiue iacuerit, ſiue ſcripſerit, ſiue q̃duis aliud egerit, ſiue aptis, ſiue clauſis oculis pſtiterit, in eodẽ prorſus habitu perſiſtit. Pulſus ſunt illis parui, ſegnes parũq; abſunt quin deficiant,

proxime accedentes pulsibus lethargicorum, quibus respondent in quantitate sed differũt in tarditate, quoniam segniores sunt illis, cætera similes, quoniam utrunq; malum ex causa oritur frigida, Lethargus ex humore pituitoso, Catocha ex humore melancholico, eoq; curatu difficilior, quoniam atra bilis contumatior & alterationi minus obsequens, & propterea quod lethargi parens, humor phlegmaticus leuior ac humidior est, Catochæ seu congelationis, humor, siccior. Quod ad curandi rationem spectat, fiet materię redundantis per clysterem euacuatio. Siquidem malum sit exiguum ac leue, primo quidem simplicior, sed temporis progressu ex decocto radicis hellebori nigri cum furfuribus. Si uero malum fuerit grande & periculosum, propinabimus hieram Picram, Salem Indicum, turpethum, quod officinæ turbith nuncupant, Senam cum radice filiculę, & pręcipiemus serio ut accipiant, singulis pro robore uiriũ, pro sua cuiusq; temperie, & ætatis, & aliorum similium habita ratione, plus minusue, perpensa etiam cuiuslibet pharmaci, quod exhibetur, facultate & potẽtia. Quod si quando ita affectus declinãte ægritudine detractionem sanguinis (nam is interdum ad caput irrumpens & caput opplens malo occasionem prębet) requirere uidebit, quod ex uultus rubore & plenitudinis indicibus deprehendes, tũc si uires ualidæ fuerint cubiti uenam exteriorem Humerariam appellatam & Cephalicam maturrime secare conuenit. Si corporis affecti robur phlebotomiam prohibeat cucurbitulas utrisq; cruribus cum scarificatiõe adglutinabimus supraq; malleolos. Postea si malum perseuerauerit, decoctum Agarici & epithymi cũ radice filiculæ (polypodium Græce iam ab omnibus appellatæ) & stichade ꝓpinare expedit. Quod si ægritudini uigiliæ quoq; accesserint, ea quę refrigerant adhibebimus, caput oleo in quo calyculi papaueris elixati sint oblinientes, Vel id ipsum cum oleo uiolaceo cum stillaticio liquore chamæmeli, & meliloti, & anethi, & cæterorũ id genus decocto, Vel oleo in quo uiolæ siccæ, papaueris calyces aut semina, & semina lactucæ elixa sint, inungentes, aut etiã caput perfundẽtes. Proderit ex his singulis uel pariter omnibus decoctum pari modo adhibitum. Anethinum etiam oleum utiliter toto corpori illinitur. Breuiter, cũcta quæ adhibentur pharmaca in uentriculo haud diu persistant, & extenuatoriæ sint potentiæ. Alimenta quoq; eiusdem facultatis esse conuenit, Boni inquam succi, facilis cocturæ, attenuantis naturæ & tenuiũ partium.

De Sopore

### De Sopore uigilanti, quod malum Græci ἄγρυπνον κῶμα, Arabum ſectatores Subeth uigilatiuam dicunt. Cap. XIX.

COma, ſopor eſt grauis & profundus, à quo quis ægrè & difficulter excitatur, quare & δυσδιέγερτον dicitur, & ὑπνῶδες, hoc eſt, ſoporiferum. Eſt & aliud κῶμα quod ἄγρυπνον, hoc eſt, uigilans adpellatur, utrunq; malũ, cerebri ægritudo eſt, quam tum frigidi tum calidi humores, pituita uidelicet & bilis flaua ad cerebrum elati inducũt. Quum igitur cerebrum nimis à pituita irrigatur, Coma ſoporiferũ gignit, in quo ægri uel inuiti ſopiunt & uigilare non poſſunt, cõniuentibus oculis. Quando autem bilioſus humor cum pituita mixtus cerebrum magis irrigat, ac opplet, Vigilans ſopor generatur, quo oppreſſi apertis oculis uigilare nequeunt, ſed conniuentibus ſubinde illis uigiles tamen manent, perinde atque illi qui ob cerebri aut membranarum eius inflammationem animo faтiſcunt & inſaniunt, quam Greci φρενίτιδα, Barbarorum ſectatores Karabitum nuncupant, mente capiuntur, ratio & intellectus tollitur, ferociunt ſæpe ueluti furore perciti motibus incompoſitis admodum enormiter. Pulſum habent germanum, ac ſimilem his qui cerebri uel panniculorum ipſius inflãmatione infeſtantur, & Phrenetici ſunt, celerẽ, crebrum, ſiue ſpiſſum & magnum. Referunt etiam arteriarum percuſſum Lethargicorum & eorum qui Catocho impliciti ſopiuntur, uelocitate & crebritate. Et ſolo iſtoc inter ſe diſcerniculo diſſident, quod pulſus Phreneticorum eſt maior, latior, ac breuior ob humorem pituitoſum qui morbum generat. Curandi methodus iuxta duplex Coma uariat. Et quemadmodũ ægritudo ex duplici humore pituita & bili flaua contexitur, & iam remediorum præſidia mixta eſſe conuenit. Vtrinq; autem rationis ſcopus in clyſteribus magna ex parte conſiſtit, eoq; ab ijs ordinãda eſt curatio. In ſoporifero comate, quod ex abundanti pituita prouenit, clyſteres ex rebus incidentibus, acribus & excitantibus conficiantur, & breuiter, germana eſt huius & Cari & Lethargi curatio. In uigilanti ſopore, in quo bilis magis quàm pituita præpollet, tum clyſteribus tum alijs pharmacis, quæ extinguendi & refrigerandi uirtutem à natura habent admiſcebimus, & ad Phrenitidis præſidia nos conuertemus. Atq; ut abſoluto ſermone loquar, auxilia quę ad Comatis curationẽ ſunt neceſſaria, non aliunde quã ex curandi Lethargi & Phrenitidis methodo eſſe petenda. Cõmunis quippe & affinis eſt omniũ iſtorũ medẽdi ratio quę in ſingulis ipſorũ ut plurimũ conſiſtit, Emplaſtris ſcilicet,

cataplasmatis, linimentis, apophlegmatismis, sternutamentis, errhinis, & pharmacis deniq; purgatorijs, & eiusmodi.

De Phrenitide siue Amentia, quod malum, Arabes aliâs Sirsen, aliâs Karabitum nominant. Cap. XX.

Φρενῖτις est cerebri aut panniculorum eius inflammatio uel ex sanguine exuperante, uel, & id quidem, ut plurimum, ex bilioso humore cerebrum, aut eius membranas occupante, oborta. Comitatur hanc ægritudinem interiorum sensuum & mentis perturbatio & febris continua. Quotiens hæc affectio contingit, non statim cerebri inflammationem iudicabimus, sed multò magis membranarum ipsius, præsertim eius, quæ μήνιγξ propriè appellatur & cerebrum uelat, hoc est, tenuioris, Ilamidis nomen obtinentis, Recentiores Piam matrem nominăt. Et est ea unde oculi Secunda membrana, rhagoides & funda uocata deriuatur, nascitur. Manifestum quippe est, quod quamcunq; corporis partẽ obsidet inflãmatio in eadem etiam fit tensio, & in quolibet membro, in quo fieri potest tensio, in eodem potest etiam contingere inflãmatio, sed fieri nequit ut tensionem cerebrũ ullam recipiat, propterea quod essentia eius est humidum fluxile, liquidius & meabile & proinde tẽsionis exors. Pari etiam modo & præter naturam ossis ut distendatur, aut aliquam distensionem experiatur, eò quod est natura frigidum & siccum, atq; adeò duriusculum ut tendi nequeat. Est autem idcirco omnino, quod distensio non superueniat nisi partibus, quę medium quoddam ad unguem inter extremam duritiem & summam mollitiem obtinent, E quorum censu utiq; sunt, membranæ, ligamenta, nerui, musculi, uenæ, arteriæ, caro & cætera id genus. Hoc igitur pathema ex inflammatione, non cerebri, sed ipsius tenuioris membranæ, uel ualidioris quandoque subtus caluam suturis caluariæ annexæ, quam custodem & Ceratoidem, Piam matrem Barbari uocant, oritur, & sanè haud quaquã citra offensam cerebrum euadit, quin plurimum ex consensu lædatur & condolescat, neruis panniculi in cerebrum hinc inde disseminatis. Sicuti nimirum principale etiam hoc uiscus summè oblęditur, & excruciatur ex affectibus septi trãsuersi mediantibus neruis membranę sui custodis & inuolucri, idq; frequenter etiam dolori oris uentriculi seu uentris uniuersi compatiens, & in summo febrium ardentium uigore, quos καύσους cognominant. Cęterum cum cerebrum non primogenia affectione laborat, sed, uerbi gratia, quum

quum doloribus septi, ut diximus, transuersi consortij lege compatitur, nihil memoratarum ægritudinum contingit. Perinde atque quum doloribus stomachi, aut totius uentriculi ex consortio cōdolescit, non appellabitur recte uera φρενῖτις, sed παραφροσύνη, hoc est, mentis uacillatio siue delirium. Nam si uera fuerit phrenitis, tunc procul dubio febris continens, amentia, uigiliæ plurima ex parte, interdum etiam somnus turbulentus, comitantur, adeò, ut consurgant ægri & exiliant in somno & furibundè immaniterq; uociferēt, uerba sine sensu effundant. Quibus uerò sanguineus humor corruptus & adustus morbum conciliauit, ij cum risu insaniunt. Quibus autem flaua bilis malum fecit, ferociter & immaniter sæuiunt, perinde atque qui ob atram bilem furore perciti incohibiliter ferociunt, omniumq; quæ dicunt ac faciunt obliuiscuntur. Oculos denique habent cruentos uehementerq; squallidos, quos identidem perfricant, interim aridos, interim lachrymātes. Lingua ipsorum est aspera, & nigra, & erumpit sanguis ex naribus. Floccos preterea quidam ex ipsis auellūt & festucas ex stragulis & uestibus carpunt, & atomos colligere uidētur, herbasq; mundare. Laborant febre acuta continua per uniuersum ægritudinis curriculum. Spiratio ipsorum rara est, & attolluntur ac ueluti suspenduntur utraq; utrinq; hypochondria uè latera, præsertim quando ex communicatione affecti septi trāsuersi quod διάφραγμα dicunt, phrenitis nascitur. Quapropter iam liquidò constat, quod tum cerebri affectione & cruciatu phrenitis fieri dicitur, quum inflāmatio Ilamidem cerebri tenuiorē membranam uisceri huic proximiorem obsidet. Quum uerò ualidiorem & solidiorem caluariæ proximam occuparit inflammatio, tum cruciatus à cerebro parumper discedet & caluæ magis appropinquat & foràs contendit. Tum utiq; φρενῖτις uera est & quod Arabes appellitant Sirsen. Horum facies rubore suffusa calorem sanguineum subesse fatetur, loquuntur idem, ipsę etiam uenę sanguine infartę, testantur hoc ipsum oculi quoq; cruenti, nunc concaui & ueluti quibusdam scrobibus reconditi, nunc emissitij cum uehementi cruciatu in radicibus suis. Sed quibus malum ob inflammationem Custodis mēbranę oritur, horum symptωmata minus grassantur & mitiora sunt, quoniam caluę quàm cerebro uicinior est phlegmone. Alterius panniculi malum punctorios cruciatus inuehit. Percussus arteriarum est durus, & neruosior, exiguus, celer, rotundus, & languidus. Durus quidem propter uasis distensionem, quæ comitatur inflammationem siue ab- *Pulsus qualis.*

ſceſſum. Exiguus ob uaſis duritiem & imbecillitatem, celer, propter bilem flauam mali parentem, Rotunditatem pręferre uidetur, ob cōſtitutionem & naturam cerebri. Languidus, amiſſas uires arguit. Sortita porrò hęc ęgritudo nomenclaturam à Gręcis φρενῖτις, eſt, ἀπὸ τοῦ φρενός, hoc eſt, à de- turbatione mentis. Ab Arabicorum Medicis Karabitus, quod oblędat rationem, cogitationem, & conſilium prępediat, à karanis, quod excogitatam, deſignandi rationem, conſilium, & certitudinem, ſignificat.

φρενῖτις. Karabitus.

*Curatio Phreneticorum.*

QVod porrò ad Phreneticorum curandi rationem attinet, Si ęgri uires non obſtiterint, ſanguis maturrimè de uena cubiti exteriore mittendus eſt, quod nō ſit aliud neq; pręſentius neq; ſalubrius auxilium. Quod ſi phreneticus ob amentiam manum exhibere detrectet, aut ſi exhibeat, metus ſit ſecundum uacuationem, ſanguinis profluuij, ęgro manum ſubinde iactante, proſpiciendum diligenter, quo conſilio & arte uena in media fronte recta pertundatur. Caput deinde oxyrhodino, uel roſaceo irrigare oportet, ut uapores à capite auellat, & ſurſum alios ferri prohibeat. Cerebro tantum roboris indatut uentoſos flatus reprimat, retundat, & minimè amplius ſuſcipiat, & feruorem deniq; ipſius extinguat & moderatè refrigeret. Quod ſi his neq; dolor mitigatur, neq; calor remittit, ſed acrior appa- ret, ſic ut uigilię urgeāt magis & mentis perturbatio, Embrocha tunc tepida capiti admouenda, quę habet, chamęmelum, melilotum, uiolas ſiccas, roſas, nympheam, folia ſalicis, hordeum purum, cucurbitā, papaueris utriuſq; ramentum & ſemen, tum cortices tum ſemina, ſemen lactucę, portulacę, & ſimilia. Quam rectè conficies hoc modo.

*Εμβροχὴ ſiue irrigatio caput reficiens & moderatè refrigerans.*

Accipe
- Florum
  - Chamæmeli
  - Roſarum
  - Violarū ſiccarū
  - Nymphææ
  - } Vniuſcuiuſq; manipulū unū.
- Seminum
  - Papaueris albi
  - Papaueris nigri
  - } Singulorum drach. unā & ſ.
  - Lactucæ drachmam unam.
- Hordei excorticati drachmas ſex.
- Ramenti cucurbitę dulcis ſemunciam.

Elixentur

Elixentur singula in aqua dulci sufficiente tantisper dum tertia pars absumatur, & fiat embrocha quæ ex alto pluuiæ instar capiti instilletur. Post hanc irrigationem capitis non parum conducet, Si caput cum oleis quibusdam frigidæ & humidæ facultatis perungatur. Cuius sane classis sunt, oleum uiolaceum, rosaceum, nenupharinum, quod ex nymphæa fit, oleum de semine cucurbitę dulcis, posset inde & ungentū fieri admodum conducibile, hoc modo.

Accipito
- Olei { Violacei / Nymphęacei } Cuiuslibet semunciam.
- Seminis alterci obolum unum.
- Corticis radicis mandragorę obulum dimidium.
- Croci semobolum.
- Aceti momentum.
- Ceræ candidę, quod satis est.

Redige in ungentum, quod temporibus illinatur. Quod si his actis desipientia perseuerauerit, uigiliæq; indesinenter urgeant ac perturbatio & inquietudo atq; ferocia, tum ab his ad lac deueniendum, Sic ut capiti inducatur, sed longe prestantius ut ex ipsis statim mammis ac uberibus animantium statim capiti tepidum immulgeatur. Virium robore uehemēter exoluto, Humanum lac eodem pacto superinducere magis conducet. Si uires autem satis robustæ fuerint, caprillum abunde fecerit. Locus etiam in quo uersatur ægrotus est diligenter cōsiderandus. Decumbendū quippe phrenetico in cubili lucido ac tepido, hoc est, aëris & luminis temperati, crassus enim & calidus aër ita habentibus plurimum officit. Sit etiam domicilium, uarijs quibusdam picturis, formis diuersis atq; imaginibus liberum. Nam hæc deterrent, exasperant, exagitant, & conturbant, in quem amici quidam gratissimi, ac intimi necessarij ingrediantur, quibus cum cōuersari gaudeant, qui tamen in opportune ipsos non interpellēt, sed blāde & leniter alloquantur, interdum etiam increpent. Vsus insuper clysterium ex interuallo idētidem adhibitus tam quàm quod maxime ex re & usu est, modo non sint potentes admodum, sed lenes ac clementes, ex malue, inty bi satiui angusti folij, lactuce, nymphęæ, myxorum, hordei, & similiū decocto. Potus sit, decoctū hordei, cum stillaticio liquore, seu elixatione cucurbitę. Succus seu aqua malorum Punicorum dulcium, syropus uiolaceus, syropus ex nymphęa, syropus rosaceus cum sacchari cōfectus, & oxysacchara. *Potus Phreneticorum.*

ſacchara. Cibi ſint potiſſimum refrigerantis & humectantis naturę, ex oleribus quidem lactuca elixa, atriplex, malua, intybus, cucurbita, beta, citrullus, cucumer, eiusq; generis alijs. Ex leguminibus phaſeoli, ſeu piſa, mes uocant Arabes, & lenticula excorticata. Ex fructibus, mala Punica, medica, ceraſa, ſi feruor ſit multus. Quod ſi iſta minus ęgrotanti competere uidentur, dabis illis cremorem hordei, cremorem alicę, cremorem cucurbitæ, & cremorem ſiliginis. In morbi porrò declinatione, quum febris uehementer remiſit, aut in totum ceſſauerit, ueſcantur luteis ouorum, piſcibus ſquamoſis & ſaxatilibus, pullis gallinaceis, aut columbinis & perdicibus. Propinabis autem & uinũ, imbecillioribus maximè tenue & ὀλιγοφόρον, hoc eſt, aquoſum, aut uinum aqua dilutum, non aromaticum, hoc eſt, non admodũ calorificum, quia aqueum, præſertim ijs qui ſani hoc bibere conſueuerũt, & uentriculum frigidum & imbecillum habent. Quod ſi ueſicę retrimenta non reſpõdeant, quod ſolenne huic morbo eſt emunctoria, pectinẽ ac lumbos calido decocto chamęmeli perfunde, & obline cum oleo in quo elixatum ſit, anethum, & chamęmelum, aut ſerpyllũ. Vbi uerò recreati ſeſe recolligent phrenetici, ciborum corruptiones, cruditatem, ocium, ebrietatem, Venerem, aërem uitioſum, potiſſimè autem æſtum ſolis, uitabunt.

### *De mania, id eſt, inſania & furore, quæ eſt ſpecies Dæmonij.* Cap. XXI.

*Cauſa.* MAνίαν Romani furorem ſeu Amẽtiam interpretantur. Huius pathematis quidẽ ſcopus eſt, terrere, Melancholiæ uerò ſubmergere. Conſtat autẽ omnibus quod oritur hoc malum ex bilioſo humore aduſto, uel ex humore melancholico acriore & combuſto. Vel à plurimo ſanguine, ad cerebrum fluente. *Differentia inter Maniã & Phrenitidem.* Inter Maniam uerò & Phrenitidem hoc diſcrimen exiſtit, quod illa febris exors, hæc febris particeps ſemper exiſtit, eo quod cauſa ipſius eſt materia coacta & putrefacta. *Notæ.* Auſpicatũ hoc malũ maxima ex parte à capitis lãguore, aurium murmure, perpetuæ ingentes uigilię, turbulentia, palpitatio, ſomnia praua & horrenda, ſollicitudines, quæ quotidie increbreſcũt, & ceu umbra corpus comitantur. Pulſus Maniacorũ exilis & durus eſt, Exilitatem efficit uirium imbecillitas, duriciem ſiccitas. Quod utiq; eò fieri oportet, quod quũ atra bilis prępollet, totum corpus exiccat, Siccitatem comitatur durities, indurantur itaq; uaſa, conceptacula ſanguinis & ſpirituũ. Et proinde pulſus redditur durus, eò quod pulſus non alia ratione dicitur durus, quàm quod arterię corpus eſt durum, non molle, intractabile & tactui renitens.

Curatio

Curatio Maniæ.

QVod ad medendi methodum ſpectat, plus ſtudij & maiorem curam capiti, quã reliquo corpori in hoc morbo adhibebimus. Tollemus itaq; principio nouacula capillos, & caput irrigabimus ſtillicidio decocti uiolarum ſiccarum & uiridium, foliorum nymphęę, foliorum ſalicis, Roſarum item paucarum, meliloti, hordei excorticati, ramenti cucurbitę, ſemine citrulli, foliorum lactucę, & ſeminum eiuſdem, papaueris nigri & albi, cum paucis aſparagis chamęmeli, meliloti, & floribus mãdragorę, uel corticibus radicis mandragorę. Eſt etiam ſeminis alterci uſus. E quibus uel pariter omnibus ſi uehemens urgeat neceſſitas, uel è paucis ſaltem quibuſdã, fiat embrocha, ad hunc fere aut ſimilem modum.

Sumito
- Foliorum
  - Lactucæ
  - Salicis
- Florum
  - Violarũ uiridium
  - Nymphææ
  - Meliloti
  - Roſarum
  - Mandragoræ
- Seminum
  - Citri ſeu citrulli drachmas duas.
  - Alterci diobulum unum.
  - Papaueris alterutri denarium unum.
- Hordei à corticibus mundati unciam unam.
- Ramenti cucurbitæ diobulum.
- Chamæmeli parum, habendo reſpectum ad refrigerationem ſiue magnam ſiue paruam.

(Lactucæ, Salicis, Violarũ uiridium, Nymphææ, Meliloti: Singulorũ manipulũ unum. Roſarum, Mandragoræ: Vtriuſq; pugillos duos.)

Decoquantur in libris aquæ fontanæ, tribus uſq; ad medias fiat irrigatio. Hoc decocto irrorabis ægri caput raſum, per ſcilleniumuaſculum ex alto nunc mane ieiuno, nunc ueſpere ante cœnã. Quod ſi uſus & neceſſitas uidebitur ungentũ, aut ſimile capitis purgatorium exigere, fiat cum oleo Violaceo, cum oleo Nymphæaceo, & oleo de ſeminibus Cucurbitæ dulcis, & quocunque cum oleo uidebitur illitio, oleo quoque Amygdalarum dulcium aliquid commiſcebis, ammixto etiam lacte mulieris nuper enixę. Quod ſi commemoratorum pharmacorum uſu nihil aut parum promoue rimus, ſic ut & ægritudo & ſiccitas cerebri perſeuerent, tunc res & uſus lac humanum, aut caprillum expoſtulant. Sic ut caput ipſorum uel ex mammis ſtatim lacte irrigetur, uel ſtatim tepente adhuc lacte recẽter mulcto adſperginis inſtar, ex alto guttatim perfundatur, cum iamiam commemoratis

commemoratis embrochis tepentibus. Post hæc adhibeantur pharmaca caput expurgantia, caputpurgia nũcupata. Ab hoc, summo studio & artē somnum conciliabimus, quo irrigationum prędictarum uirtus & potētia, cum reliquorum remediorum facultatibus in cerebro ad tempus persistat ac duret, conuenit itaq; somnum Diacodio soporifero medicamento cum ptisana hordei, aut cum aqua confidenti animo allicere, inde enim sępe resipiscunt. Decumbat porrò hoc morbo implicitus in cubiculo aëris & luminis temperati, quoad facultas & uis animalis quiescat & ad se reuertatur. Assistentibus interim quibusdam gratissimis quidem sed grauibus amicis, quos reuereatur, ac metuat acriter increpatus ne ferociat & immaniter sęuiat. Contineantur autem quo ad eius fieri potest in quiete, quoniam inordinata agitatio, motus & uociferatio uires cōuellunt, & humores excitant, commouent, febrem inferunt, accendunt, & exiccant, morbũ eoq; morbo conduplicant, oleum camino, ut aiunt, adijcientes, maiorem quippe insanię materiam humores exiccati suggerunt. Probatur etiam frictio extremorum pręsertim inferiorum, pedum nempe ac crurium, cum oleo nymphęaceo & uiolaceo, & ligaturis excipiantur partes eædem unà cum coxendicibus, quò affligentes humores morbi materia à capite deorsum auellatur. Si uigiliæ, quod malũ huic morbo solenne est, ingentes successerint ac uehementer uexarint, Syropus papauerinus διὰ κωδίων appellatus interdum sincerus, interdum cum syropo granatorum succoue ipsorũ, aut cum aqua cucurbitæ, aut cum syropo de pyris permixtus, propinari cum fructu potest. Cauendum autem summoperè à potu oxymelitis, propterea quod admodum desiccat. Decoctum quoq; hordei cum saccharo potui præbere expedit. Quod si aluus dura non respondeat, mollis clyster immissus lubricam reddat, ex emollientibus pharmacis apparatus. Cuius farinæ est, chamęmelum, uiolę siccę & uirides, malua, beta, branca ursina, hordeum excorticatum, myxa, sebesten uocant, lactuca, althæa, mercurialis, semen melonum, cucurbitę, & alia id genus cum oleo sisamino recente, & uiolaceo, & saccharo rubeo, & penidijs, & sale communi, è quibus enema perquàm artificiosè conficiatur. Porrò autem simul atque ęgrotus quietior, & ægritudo remissior aliquanto & cerebrum humidius euasit, tunc tantum sanguinis, quantum uires tollerare possunt, detrahendum est. Cubiti autem exteriorem uenam incidere conuenit: Postea purgabimus corpus cum decocto myrobolanorum. Victus sit tenuis, liquidus, &

*Oxymeli siccificum.*

*Emollientia pharmaca.*

*Victus furientium.*

bonum

bonum aluum faciens. Si calor aliquanto sit maior, ex malis Punicis & eius succo conditus, ex cucurbitis, citrullis, atriplice, beta, intybo, portulacá, phaseolis seu pisis, & lactuca in fidelia cum oleo amygdalarum dulcium decocta. Si calor infestat nullus, uescatur æger etiã pullis, perdicibus, carne hœdina, pedibus caprarum, luteis ouorum, & piscibus recentibus, squamosis & saxatilibus. Vbi autem in urina conspexeris hypostasim circa sublimia supernatantem, aut in medio pendentem, morbi declinationẽ & remissionem eius portendit. Tunc igitur uinum aliâs prohibitum uetus propinari potest, præsertim dilutum aut aquosum, maximè his qui uinum potari sani consueuerunt, & in balneum ęger deducendus est.

*De melancholico delirio citra febrem, quod melancholia simpliciter uocatur. Cap. XXII.*

Μελαγχολία desipientia quędam est, sine febre, Dęmonio germana ex succo potissimum melancholico cerebrum occupante, uel eleuato ad ipsum uaporoso spiritu melancholico, cõtracta. Transmisso enim ad cerebrum humore melancholico, & exhalatione fuliginosa, tanquàm furno spiritus animalis emergit alteratus, & melãcholica mentem inuadunt symptωmata, & imaginatio eius rei quam species oculorum in tenebrosa caligine forinseca concepit. Quę res nunquàm aliâs nisi melancholicus humor uaporúe in capite ac cerebro comprehendatur, idq; bifariã contingit, uel quod aliunde fluat, uel quod ibi generetur quando flaua bilis, aut crassus acerque sanguis à calore interno, superassatur, interdum quidem quando in uenis uniuersi corporis sanguen melanchocum euadit, & ex consensu cerebrum quoq; ipsum simul læditur. Nonnunquam etiam ob inflammata circa uentriculũ præcordia, quę ὑποχόνδρια dicũtur, melancholia prouenit, superassatus quippe inde sanguis ater & melancholicus fit, & uaporosos, crassos, & fumosos spiritus sursum ad cerebrum transmittit, & in consortium subinde cerebrum rapit. Quæ melancholiæ species ueteribus Græcorum medicis φυσώδης καὶ ὑποχονδριακὴ, hoc est, flatuosa & hypochondriaca nominatur melancholia. Singulæ hæ species singula sua habent indicia. Communes autem omnium notæ sunt, timor, mœstitia, linguæ titubatio, odium hominum. Proinde Hippocrates Aphorismorum sexto, sententia uicesima tertia infit,

ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολλὴν χρόνον διατελέῃ μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. Hoc est, Si metus atque tristitia mentis, multum diuq́; in aliquo mortalium duret, bilis atræ signum est. Atque hæc quidem symptωmata interdum in hoc morbo eueniunt communiter. Cæterum contingere potest interdum melancholia ex alijs causis compluribus, in qua formido non superuenit necessario. Priuatim uerò atra bile uexati multiplicés singuli habent imaginationes. Nam quidam ipsorum mortem expauescunt, & alia quæ minimè timenda sunt, timent. Alij mori expetunt, adeò ut non raro sibi mortem cōciscāt. Cęterū ab atra bili rationalis animę principio occupato, nihil mirū si mœtus, mœstitiaq́ue ac mortis cogitationes inuadunt, quum uideamus etiam extrinsecus nihil æquè ac tenebras formidabile, idcirco ubi ueluti tenebræ quædam ac caligines rationalem animæ partem detineant, necesse est hominem perpetuo terrore uexari, tanquā terroris causam intra corpus circumferentem, atram uidelicet bilem aut uaporem melācholicum cerebrum occupantem. Atrę etenim bilis color tenebris similis rationis sedem obumbrans, formidinem efficit. Sunt præterea nonnullæ aliæ imaginationes melancholicorum benè multæ. Verbi gratia, Mortem, ut dixi, pariter summoperè exoptare, & ipsam tamen formidare. Se brutum arbitrari, & brutorum uocem imitari, Galenus enim narrat fuisse quēdam qui se gallum esse putauerit, eoq́ue cum gallū cātare audiret, ut hi alarum, sic ille brachiorum plausu, latera quatiens, gallorum crocitationem & cantum imitatus est. Alij sunt qui se uasa fictilia esse uideantur, & testas atq; idcirco obuiantibus, ne collidantur, cedunt. Alij loca obscura euitant, quidē exosa luce tenebras sectantur, quidam nigredinem horrent. Est qui, ut Galenus testatur, timuit ne Athlas qui cœlum sustinere dicitur, sub tanto pondere oppressus, ipsum à se excuteret, atq; ipse cum illo collideretur. Sunt præterea & aliæ multiplices melancholici delirij, pro diuersitate generis, imaginationes & accidentia. Cæterum omnium quæ singulis contingunt, causas explicare, eorum est, quæ fieri nequeunt, plurima enim non paruam habent dubitationem. Potest tamen à solerti & industrio medico multorum causa inueniri, ueluti quamobrem aliquis sibi fictile uas esse uideatur, id enim ob siccitatem contingit, nam frigidæ siccæq; naturæ melācholicus humor est, eadē similiter ratione cætera pleraq; talium symptωmata & imaginatiōes ad humoris melācholici diuersitatē referri possunt,

*Melancholici delirij imaginationes.*

*Galenus de locis affectis lib. 3. cap. 6.*

adq; consuetudinem & uictus rationem, qua tum ægrotantes tum sani utebantur singuli, aut quod sibi quisq; forti ac iugi imaginatione id genus imagines impresserit. Peculiaria porrò illorum indicia sunt, corporis habitus siccus, macer, niger, & undiq; hirsutus, atq; in totum melãcholicus, uel natura, uel acquisititia ratiõe (quod per sollicitudines sępe fit, aut uigilias, aut melãcholicorum eduliorum esum & similia.) Redditur autem corpus tum capite, tum aliàs undiq; hirsutum, ob uehementer calidam siccamq; temperiem, unde feruor qui humores biliosos adurit & melancholicam temperiem efficit, prouenit. Victus porrò qui suapte natura bilem atrã generat, tam quã quod maximè melancholicum uerè arguit. Cuius farinæ sunt caprina, bubula, leporina, uulpina, hircina, taurina, aprillaq; caro, & limaces, si frequens sit eorum esus, prętereà legumina cuncta quidẽ sed maximè lentes, & cætera huiusmodi, melancholicum sanguinem pariunt. Peculiaris etiam nota est, cõsueti alicuius profluuij suppressio, puta hęmorrhoidum, aut in mulieribus menstruorum. Per hæmorrhoides quippe cõprimis euacuatur sanguis melancholicus, Hæc quidem totum corpus sanguine melancholico redundare significant. Notæ autem quę istiusmodi melancholicum succũ in cerebro solo cumulatum portendunt, sunt commemoratorum signorũ defectus. Ratio turbata, cogitationes altæ, continua & inconniuens in terram intuitus, in quam oculos ueluti defigere solent, Nigra capitis coma, & uberior multò capillorum quàm in reliquo corpore prouentus. At qui ex uitio uentriculi, & cruditatis ergò malũ contraxerunt, hos plurimi flatus, & cuiuslibet cibi suspensiones circa hypochondria consequũtur, acidiq; ructus, uel cibo nullo acido assumpto, uentres desiccantur, Hypochondria grauantur, suspenduntur, multitudo insuper sputi humidi, æstus, uentriculi aliquando uehementes dolores, qui nonnullis ad dorsum usq; procedunt, comitantur, concoctis deinde cibis quiescunt, mox alijs ingestis, eadem reuertuntur symptωmata. Euomũt crudos cibos, & pituitam uel subamaram uel calidam uel acidam,

*Cibi melanchõlicum humorẽ generantes.*

### *Curatio melancholici delirij.*

CVrandi ratio à sanguinis detractione ordienda est, præsertim si totũ corpus sanguine melancholico abundauerit. Secanda autem uena est Humeraria quæ dicitur Cephalica, uel nigra, quæ media cubiti uena iam omnibus appellatur, quod scilicet communis sit Humerali & ei quæ

per

per axillam ad manum fertur, iecorariaque dicitur. Fiat aut copiosa humoris euacuatio, ita ut cum tenui succo crassior etiam expurgetur, semper pro uirium robore, largius. Quod si uenę cubiti fuerint abditæ & graciles omnino, tunc uena pertundetur subter aut supra malleolos, Saphena à quibusdam appellata, præcipuè in mulieribus, quò menstruæ purgationes remoratæ prouocentur & auellatur à supernis sanguis melancholicus. Necessaria autem omnino hoc in morbo sanguinis est detractio, neq; enim est ullum aliud uel salubrius uel præsentius auxilium. Per missionem nanq; sanguinis omnes humores, qui sunt in ambitu totius æquabiliter euacuantur, diuino Hippocrate in libro de alimentis testante. Materierum concursum seu confluxum & consensum esse unum, similiter & spirituum unum, & ex consortio cuncta membra inuicem condolere. Intellexit Hippocrates per concursum, siue consensum materierum, alimentum quod à iocinore uelu ti fonte & uenis cęteris partibus suppeditatur. Per spirituũ consensum aut conspirationem, siue confluxum dicere mauis, spiritum intellexit animalẽ siue uitalem qui in corde orsus, meat per arterias. Per consensum uerò siue cõdolentiam membrorũ mutuam, intelligit sensum qui à cerebro per neruos in singulas corporis partes diffunditur, & summum efficit consortium. A missione autem sanguinis, quę corpus iam totum expurgauit, uictus rati onem præscribas, quæ atram bilem minimè possit procreare, quarum rerum syluulam iam tradidimus. Ferculis igitur utendum inculpati succi, qui optimos humores generet, humidis & temperatis. E quorũ censu habentur, panis probè coctus, carnes hœdinæ, arietum iuuenum, caporum, gallinarum, pullorum, perdicum, phasianorum, pisces recentes saxatiles. Ex oleribus uerò, lactuca, intybus, endiuia, atriplex, cucurbita, malua, buglossum, beta, & luteum oui, & eiusmodi. Cauendum contrà ab omnibus cibis crassis & humorem atrebilarium generantibus. Cuiusmodi sunt, Lentes, brassica, caseus, caro camelina, asinina, canina, nam & his nonnulli uescuntur. Omne salsamentum tum piscium tum carnium. Aquatilium quoq; carnes magnam in eiusmodi sanguinis generatione uim obtinent, ut, grandia cete, uituli marini, thurmi & cetacea uno uerbo, omnia. In potu si calor absit uinum æger bibat, tenue, album nec admodum uetus, crassum uerò nigrum & antiquum deuitet. Quod si ardor insaniæ complicetur, uesicęq; recrementum compareat rubeum, oxymeli cum saccharo confectum propinabis. Tali uictu obseruato & sanguine abundè satis detracto, pharmaca

quæ

quæ per inferna humorem melancholicum purgant exhibere conuenit. Cōmunia quippe sunt, ex quacunq; causa huiusmodi oriatur delirium, uentrem soluentia præsidia, auspicandum tamen heic maxime à leuioribus & paulatim ad efficatiora deueniendū. Primo igitur studendum, ut recta tam contumacis succi concoctio fiat, cum syropis, de buglosso, de epithymo, de fumaria, & decocto hemionitidis, corticū radicis capparis, tamaricis, intybi, thymi, glycyrrhizę, & similium. Post hęc corpus purgetur primo, ut dixi, pharmacis leuioribus. Cuius cæteræ sunt, hiera Picra, epithymus, aloē, polypodium, folliculi Sene, myrobolani, scammonię momentum, & parum cucurbitæ syluestris, quæ semper pro uirium uniuscuiusq; laborantis robore & pro ætatis, temperamenti & aliorum modulo sunt cōponenda. Deinde si non in totum liberat hæc purgatio, utemur uictu humido & cæteris humectantibus & concoquentibus rebus. Recreatoq; corpore & concocto affligenti humore, denuò purgabimus ægrum cum decocto epithymi & agarici. Qui curandi modus potissime congruit his, qui humore conflictantur acri & bili adusta & temperamento sunt natura calido. Si autem infestans humor plurimum habuerit terrenæ essentię & crassior & frigidior fuerit, tum uentriculum uomitu purgabis. Qui sane commodissime prouocabitur potu aquæ tepidæ in qua elixata sint, anethum, sal, calaminthaa fluuialis, nux uomica, semen atriplicis, cancarzed uomitorium, & semen radiculæ quam dicunt raphanum, & propinabis potissimum raphani decoctum cum oxymelite ex aceto scyllitico confecto. Et si uires sustineant, multum admiscebimus ueratri candidi cum raphano in oxymelite, maceratum, uel ipsius dilutum. Purgato iam uentriculo catapotia quędam ex his quę libro de Pharmacorum compositione recensuimus, ad melancholicum humorem euacuandum facta, (Cuius farinæ sunt, Indi, de lapide Lazuli, de lapide Armeno, & eiusmodi) deglutiātur, singulis hebdomadibus semel, interpositis deinde aliquot diebus, dare licebit Tripherā cum Hiera Picra & epithymo, ad hunc modum pharmaco instruentes. *Cancarzed uomitorium.*

Accipito { Tripheræ magnę denarium pondo trium. Hieræ Picrę denarij pondo dimidij. Epithymi denarij pondo unius.

Commixtis omnibus fiat instar ecligmatis. A purgatione cūmtalibus pharmacis uenter & corpus reliquum cum medicinis humectātibus

 & calorificis,

& calorificis, puta, cum ſero lactis, aquaue caſei, cum ſale Indico, epithymo, myrobolanis cæruleis, Indos uocant, & ſaccharo. Quæ utique pharmaca corporibus imbecillis quibus non eſt tutum, præbere medicamentum ualentius, propinare expedit. Quod ſi malum ualde pertinax his euacuationibus non ceſſerit, & ſymptomata morbi magis ac magis ingraueſcunt, & ægri effrenes perinde atque Dæmonio perciti efferuntur, furiunt & periclitantur. Interpoſito decem dierum tempore, ęgrum quiete & uictu delicatiore cōgruoq́ recreabimus, deinde pharmaca ipſum aliquanto uehemētioribus aggrediemur. Proderit autem iis unicè purgatio quę per Hieram Picram Galeni fit, quoniam prærogatiuam quandam habet expurgandi materiam Rhetinæ cerebri membranæ impactam, neque anxietatem adfert, neque ſurſum regurgitat. Vtilis etiam eſt Hiera Ruphi, & Hieralogodium appellatum pharmacum. Exhibebuntur autem cum decocto epithymi, & myrobolanorum cœruleorum, & chebulorum, & empeliticorum, & radicum filiculæ, & folliculorum ſenę, & ſtœchados, & paſſularum exacinatarum, & ſalis Indici. Vbi uerò iam identidem per modica interualla, ęgrum moderatè commemoratis pharmacis euacuauerimus, & hominem paulatim ad ſe redire conſpicimus, id quod inde facile deprehenditur, ſi minus pauidus, & alacrior uideatur. Perge tamen hæc præſidia uentrem ſoluentia, ſolenniter animo confidente adhibere, præſtat enim pedetentim & quietè materiam contumacem ſubducere, & perſeuerāter inſtare, ſic enim malum iſtud expugnatur, & ad ſanitatem reuertuntur priſtinam. Nam ubi Hieram Picram ſemel atque iterum exhibueris, neque ſymptoma uel tantillum mitigari ſenties, ad ualentiora reuertendum eſt pharmaca. Nempe ad lapidem Lazuli, & ueratrum. Quod ueteribus medicis in uſu fuit quotidiano, potiſſimè in hoc pathemate nigrum, quod utique interdum exhibebant aqua decoctum, interdum uerò in puluiſculum pila redactum. Et quotiens aluum ſoluere geſtiebant potui iniiciebant, quò diutius moreretur in uentriculo & ſubduceret amplius. Quin & aliis pharmacis ſoluentibus ammiſcebant, quod iſtum renitentem humorem radicitus profligerent. Noſtrę autem ætatis medici cordatiores ab uſu eius abhorrēt, & quoad fieri poteſt abſtinent, propter immanem ipſius uiolētiam qua miſerrimè tractat, & uexat eos qui aſſumpſerūt.

Inuicem

In uicem itaq; ipſius lapidem Lazuli commendāt & exhibent. Studebimus autem totis uiribus, cor laborantis reficere, uires inſtaurare, & formidinē qua detinentur arcere. Cordis itaq; conſtitutionem & naturam ab euacu atione diligenter conſiderare oportet. Quod ſi ipſum aliquanto calidius iuſto deprehenderimus, eiſdem utemur pręſidijs, quæ palpitationi cordis ex calida cauſa obortæ, dedicata ſunt, quarum ſyluam ex capite de dolore cordis expete. Si uerò frigidiuſculum magis id ipſum uiderimus, theriacæ bonæ ad inſtar unius aurei cum diluto arnogloſſi propinabimus. Vtendum præterea antidoto διὰ μόσχι dulcis, & diamoſchi amari cum ſtillaticio liquore Citraginis quam Græci μελισσόφυλλον, uulgò meliſſam nominant. Proderit eiuſdē herbæ, ſi ad manum ſit eius copia, eſus, exhibeatur autem larga manu & ſæpius. Quod ſi hoc morbo implicitos uigiliæ uexant, irrigabimus, fouebimusq; caput ægrotantis adſperginibus (quos ἐμβροχὰς dicunt) ijſdem ferè quarum proximo capite, in Manię curatione mentionem fecimus. Si uerò malum ualētius & efficatius quidpiam exigere uidebitur, irrigationes ex pedibus & capitibus caprarum conficiantur. Lac item uel humanum uel caprillum capiti tepidum pluuiæ inſtar ex alto inſtillabitur, uel, quod ſalubrius eſt, ex mammis mulgendo ſtatim ipſius capiti lac tepidum irrorabimus. Quod ſi nec his remedijs quicquam promouerimus, & morbus non comprimitur, ſpem tamen abijcere noli, ſed contrà audentior ito, & pharmaca iam ſæpius commemorata & adhibita confidenter repete, (memor iſtius Aphoriſmi Hippocratis: Quum omnia ſecundum rationem feceris & non ſecundum rationem ſuccedit, ne commutes, neq; ad aliud tranſcendas, ſi manet quod primò comparuit.) Quoniā huius delirij parens ſiccus & frigidus humor eſt, eoq; contumax & reſolutioni quā maximè reſiſtens, ſola improbitate tandem uincitur. Lib. 2. Aphor. 52.

### *De morbo Comitiali, quam Epilepſiam Græcè omnes uocitant, Punici uerò Alſarrha.* Cap. XXIII.

Ἐπιληψία nihil aliud eſt quàm conuulſio uniuerſarum corporis partium, non perpetua, ſed quæ ex temporum accidit interuallis, cum offenſa functionum membrorum principalium, hoc eſt, mentis & ſenſuum oblæſione. Vnde à Græcis nomenclaturam hanc obtinuit, quod

ſenſum atque mentem pariter apprehendat. Numerantur autem Epileпſiæ ſpecies ac differentiæ tres. Quarum prima eſt, quum malum hoc ex primogenia cerebri affectione prouenit. Altera, quum propter conſenſum oris uentriculi male affecti, oboritur, quando uidelicet cerebrum, hoc quod uentriculus ſurſum mittit, excutere molitur. Tertia Epilepſiæ differentia fit, quum à parte quapiam corporis, puta, manibus ſeu pedibus oritur malum, quando ſcilicet à partium aliqua ueluti quædam frigida aura ad cerebrum ipſum uſq;, uel ægro ipſo hoc ſentiente, aſcendit. Paulus uero Ægineta non contemnendæ autoritatis apud Græcos medicus, ab utero mulieris grauidæ hoc malum proueniſſe perhibet, his uerbis: ὤφθη δέποτε καὶ ἀπό τῆς ὑστέρας ἐπί τινος γυναικὸς, καθ᾽ ὃν ἔγκυος ἐγένετο χρόνον, μετὰ δὲ τὴν ἀπότεξιν ἀπεπαύετο. Hoc eſt, uiſus eſt quandoque prouenire in quadam muliere à locellis, eo quo utero geſtabat tempore, à partu uerò ædito ceſſauit. Gignitur autem Comitialis hic morbus Galeni Pergameni ſententia, quando (ipſo præſertim met affecto cerebro) craſſus, lentuſque pituitæ (id quod maxima ex parte accidit) uel atræ bilis humor ſpiritus meatum in cerebri ſpecubus obſtruit, neruorum principio ſe ipſum quatiente, quò id quod noxium eſt excutiat. Cæterum iuxta Ariſtotelis ſententiam Epilepſia non niſi ex craſſo, uentoſoque & uaporoſo ſpiritu, qui cerebri meatus uentriculorum obturat, & tenuem penetrare motumq; membris præbere prohibet. Hinc autem Comitialem induci, argumento eſt, quod ſubito fit & confeſtim ſoluitur, quoniam uapores flatulenti, ocyſſime mouentur. Præcedit & comitatur hanc ægritudinem perpetuò corporis animique ſtatus minimè uoluntarius, mœror, obliuio, capitis dolor, & grauitas, & plenitudo continua, debilitas uiſus, tarditas ſenſus, turbulentus ſomnus, pallor faciei, & linguæ inordinatus motus, quam quidam etiam mordent. Quum paroxyſmus inuaſerit, ægri concidunt, conuelluntur, circumaguntur, ſtertunt, & quandoque uociferantur. Quibus ab ore uentriculi malum proficiſcitur, hos palpitatio ipſius & turbatio quem ſaltum uocant Barbari, & eroſio, præſertim ex inedia & cibo tardius ſumpto. Sed peculiaris huius ægritudinis cuiuſcunque ſpeciei nota eſt, oris ſpuma. Quoniam ſpuma nihil aliud eſt, quàm cum flatuoſo ſpiritu, uentoſitateue permixta humiditas. Generatur autem ſpuma tripharíam.

*Paulus Aegineta.*

*Spuma quid.*

tripharíam. Aut ex motu uehementi, cuiuſmodi eſt illa, quæ in pelago, ex impetuoſo motu excitata, apparet, & in Comitiali hoc morbo ob diram motus neceſſitatem eliditur. Aut ex feruore forinſecus ſuperuenien-te, è quo cenſu eſt illa, quæ in lebete ſeu olla igni adpoſita conſpicitur. Aut ex calore pariter & motu quæ in caballis qui ſtrenuè mouentur & currunt. Hæ igitur tres ſunt occaſiones generationis ſpumæ. Cauſa autem materiei ipſius, ex qua mediante motu & calore ſpuma emergit, eſt ipſa humiditas. Sunt qui & alui retrimenta emittunt, præter uoluntatem, nec deſunt, qui genituram. Quibus autem ex aliarum corporis partium uitio malum oritur, hos manifeſti ructus comitantur, propterea quod humor quiſpiam affluens ſeſe hiſce inſinuat, & inde ad caput ſurſum effertur. Atque tum quidem incipiunt ea quæ maximè metuunt ac horrent, prędicere, & quomodo iamiam appetat malum, commemorare. Quemadmodum puer quo de Pergamenus Galenus libro de Patientibus locis, ni fallor tertio, & in commentario ad Traſybulum agit, qui acceſſiones ſuas prædicare ſcitè potuit. Eiuſdem etiam claſſis illud, quod idem Galenus eodem libro de locis affectis capite ſeptimo teſtatur, de puero, qui decimum tertium ætatis annum agebat. Quum enim is adoleſcens etiamdum, cum optimis eius tempeſtatis medicis conueniſſet ad congruam inueniendam medendi rationem, audiuit tum narrante puero, malum ipſum à crure initium capere, mox illinc recta aſcendere per fœmur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicem, donec ad cerebrum perueniret, quod quum primum tangeret, ipſum haud quaquam ſibi conſtare. Accidit autem illud internis meatibus obſtructis, tranſitum ſpirituum & humorum impedientibus. Quum autem ſpiritus animalis penetrare & tranſire nequit, regreditur ſanguis & mortem ſæpe inducit. Ex ea enim cauſa conculcatur, & humores frigidi ac ſicci ſurſum ad caput & cerebrum efferuntur. Quemadmodum ſubinde uſu uenire cernimus, his in quibus plurimum genituræ coaceruatur, & in quibus fœminis menſes retenti cumulantur. Nam inde quoque humores aut uapores caput tentant, & Comitialem affectum inferunt. Occupat inſuper hoc paſſionis genus maximè pueros, eoſque adhuc paruulos, & recens in lucem æditos, propterea quod humidiore cerebri temperamento ſint prædíti, & imbe-

*Varia Epilepsiæ cognomina.*

cilli admodum membrorum constitutione. Habet autem hoc morbi genus nomina compluria, quorum usurpatissimum ferè est, παιδικὸς, hoc est, puerilis & infantilis. Deinde adulescentes & iuuenes, minimè uerò senes & decrepitos. Et ἐπιληψία, eò quod cōuellit, sensum ac motum abscindit, ac mentē apprehendit. Et Diuinatio, propterea quod uaticinentur futura eo morbo affecti non aliter quàm Vates, & diuinaculi quos Græci ἐνθεαστικοὺς proprie nominant, & proinde Dæmoniacum quidpiam esse autumant, eoq́ue membris officit principalibus. Morbum etiam nonnulli Sacrum affectionem hanc nominant, quanquàm Hippocrati nihil neque diuinius neque sacratius cæteris morbis habere uideatur. Sunt qui eò cognomen additum esse Sacro putent, quod diuinitus immitti creditur. Nec desunt qui Diuinum ideò appellatum arbitrentur, quod diuinam, id est, rationalem animi partem uiolet. Herculeus etiam & Herculanus à quibusdam morbus appellatur Comitialis affectio. Ab Hercule nimirum magno & magnanimo, uel propter magnitudinem ipsius, uel quod, ut, ille inuictus, ita his quoque nulla medicorum ope superabilis sit, uel quod huic morbo obnoxius Hercules perhibeatur. Nonnulli Herculem in hunc morbum incidisse putant, uel propter immensos labores, uel immittente Iunone.

*Vide num hæc ad melancholiā pertineāt.*

*Curatio morbi Comitialis.*

*Cura infantium.*

SI Comitiali implicitus infans adhuc fuerit etiamdum lactens, non admodum medicamētorum præsidijs, subuenire studebimus. Nam ætate ad ualentiorem, biliosiorem, sicciorem q́ue uergente, & uictu moderatiore utente, sua sponte plerunque affectio finitur. Id quod Hippocrates testatur, qui sic Aphorismorum libro secundo, sententia quadragesima quarta scriptum reliquit. Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν ὡρέων, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι. Hoc est, Pueros Comitiali morbo uexatos, potissimum ætatis mutatio, & temporum anni, & locorum, & uictuum quoque liberat ac sanat. Proinde si non pubertatis, uel menstruorum tempore, uel dum puellæ

uterum

uterum ferunt ſolutus fuerit, ſæpe uſque ad mortis diem prorogatur. Quod Hippocrate quinto ſententiarum libro Aphoriſmorũ ſeptimo con firmat, inquiens: Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἴσχει, ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνηται, τουτέουσι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. Hoc eſt, Morbi Comitiales quibus ante pubertatem fiunt, quum pubeſcunt, tranſmutantur, quibus autem quinto & uigeſimo anno fiunt, cum ijs plerunque moriuntur. Quo circa uictus rationi plurimum ſtudebimus infantium & nutricum, & harum maxime, & proinde ſi lac tenuius & acrius fuerit quàm conueniat, ſummo ſtudio corrigere, hoc eſt, ad mediocritatem reducere nitemur. Numeroſis igitur tunc laboribus nutricem leuare, ſorbitionibus autem & carnibus ſuillis, defrutique & uini dulcis potu recreare conuenit. Si lac craſſius fuerit, itidem ad æqualitatem reducemus ac temperatum reddemus. Pituitam itaque uomitu oxymelite citato proritabimus. Exercitijs cibum præcedentibus, & à cibo non ſtatim præſtitis extenuabitur. Venerem fugiat, à uiri ſiquidem conſuetudine lac odoris gratiam in deterius mutat, & lac tenuius iuſto efficitur, menſes citantur, & utero concipiunt, unde lac imminuitur, & corrumpitur, neque ſatis alimenti ſufficit. Vtatur præterea nutrix ferculis boni ſucci, Vino tenui, albo, haud admodum ueteri. Iuuat oxymeli ex aceto ſcyllitico, ad extinguendum ſitim. Cauendum unicè ab oleribus præſertim, apio, quoniam apij inſita natura eſt, inducere paſſionem Comitialem. Caput autem infantis abſtergatur, confectione appellata, Seliche à Caſſia lignea quam recipit, cum aqua ſtillaticia maioranæ ſampſuchiue, & liquore ſtillaticio, ſeminum canabis, præſertim circa exordium cuiuslibet menſis, atque in paroxyſmo epileptico. In quem uſum proderit etiam caput oleo anethino, & irino oblinire. Quod ſi puer iam pridem ablactatus, eius ætatis fuerit quæ exercitationibus ſit idonea, & motui appoſita, & poſt pueriles etiam annos, preſcribatur moderatum exercitium ante cibum. Veſcatur pane è quàm bono fermẽto, maza inculpabili, aqua optima & ſale modico diligenter elaborato, & in clybano probè decocto. Quod ſi qui hoc malo laborat puer, naturæ perquàm calidæ fuerit, Mandabimus ut in cibis & ſeorſim etiam utatur coriandro

*Apium Epilepſiam facit.*

*Curatio adultorum.*

*Coriandrum.*

præparato recenti & humido, non tamen copioso cum lactuca. Quoniam ea coriandri uirtus & natura est, ut moderatus ipsius usus uapores caput tentantes reprimat, & deorsum auertat, copiosior tamen & continuus eius usus cauendus, quoniam mentem cum periculo tentat. Et sane in hoc morbi genere cautione opus est, utpote ex qua summa cõmoditas. Si autem quid aliud oleris, patiens hanc ægritudinem appetat, tum betam, fumariam, endiuiam, intybum, atque lactucam concedere possumus, & ex uolucrium genere, perdicem, pullum, auiculas paruas, montanas, turtures iuuenes, & recens natos. A quadrupedibus autem omnino, si fieri possit, abstinendum, præsertim à carne suilla, & bubula. Nisi eius appetentia extrema, teneantur ægri & usus & necessitas expetat, tunc ex interuallo, modicum eorum conceditur, puta, carnium aliquid pullorum, perdicum, & cæterorum animalium. Quod si autem cruditas superuenerit & pessima concoctio, & oris, aut totius uentriculi uitium, & stomachi inflatio, ferculis quotidianis, dum elixantur, piper, cinnamomum, anisum, & sinapi, admisceantur. Licet autem copia ipsius ad manum sit, necessario tamen est abstinendum, eò quod impleat caput uaporibus bene multis. Si autem qui hac passione conflictantur piscium desiderio teneantur, dabimus non excrementosos & saxatiles, non continuò quidem sed ex interuallo & rarius. A fructibns autem, in totum hoc morbo uexatis est fugiendum. Si autem immenso talium rerum, capiuntur desiderio hoc malo correpti, tunc talium usus in medio cœnæ, & ab olere sumpto concedendus est. Arceantur autem à fructibus aridis, præcipuè à nucibus & palmulis, quas dactylos uulgò cognominant. Vtantur uerò pistacijs & passulis. Fugere porrò oportet reliquas carnes omnes, pisces, & legumina. Vinum item præsertim uetus, crassum, & copiosum, quoniam creat ac commouet uapores plurimos, & caput ipsum infarcit, Capparis eius quoq; confert. Potus autẽ esto Medicatus succus (Arabes Rob dicunt, corroborat enim uentriculum, concoctionem adiuuat, si moderatus fuerit ipsius usus, conceditur & melicratum. Deuitandum etiam frequens lauacrũ præsertim à cibo. A balneo rursum uitabunt uini potũ, præcipuè meraci, haud enim facile quicquã inuenies Comitiali oppressis, tã noxiũ atq; uinũ, præsertim merũ. Neq; se frigori unq̃ credãt, statim à bal

*Palmulæ.*

neo,

neo, Sed operiantur donec calor discutiatur, & lenior euadat anhelitus, post hæc paulatim ad consuetam uiuendi rationem reuertantur adq; functiones suas solennes. Atq; utantur omnium maxime oxymelite quod aceto scyllitico apparatum sit. Verum si istud ad manum non sit, exhibeatur, in uicem ipsius, syropus de absynthio. Nam hic præ ceteris conducit uentriculo, excrementitiosq; humores in ipso collectos, impactosq; exacta euacuatione expurgat & profligit. Exercitia preterea prosunt, & frictiões, primo extremorum & tandem etiam capitis. Atq; hanc quidem aut similem uictus rationem in morbo Comitiali sedulo usurpemus, quæ incidat & extenuat. Pharmaca autem quorum usus comprimis probatur, singula suo deinceps ordine diligenter commemorabo. Ante omnia igitur & in accessione ægritudinis ore distento, digitus demittatur aut pinna oleo irino imbuta, uel cum Hiera Picra, pituitæ in stomacho compacte auferende gratia, quod tamē ne hoc quidem modo possunt, uomere egri, exhibebimus uomitorium iam antea non semel cōscriptum & usurpatum. Nempe decoctum anethi, salis, calaminthæ, nucis uomicæ, cancarzed, & seminis radiculæ. Odoramentis itidem sensus excitandi sunt, peuceda no, uidelicet, & ruta, & bitumine. Post accessionem conualescentibus re creatis, si plenitudo cum calore non desit, sanguinem primo, si nihil obstiterit aliud, ex uena cubiti detrahamus. Si sanguinis detractionem sustinere non possint, cucurbitulæ cruribus affigentur, ab hoc, refecto uirium robore euacuationem arte moliri expedit. Quod utique rite fiet, si quæ crassos humores extenuant & quæ glutinosos incidunt præmiserimus. Cuius ergo hyemis tempore hyssopi decoctum propinabimus, uix enim aliud magis præsentaneum. Et nouimus ipsi non paucos qui solo ipsius usu, ab epilepsia liberati integræ sanitati restituti sunt. Nam id humores uiscidos egregie incidit, neque ullas superfluitatum reliquias uel in uentriculo, uel in thorace facit reliqui, neque hærere uspiam sinit, partim enim ipsas per urinam, partim per aluum euacuat. Potest autem id seorsim, uel cum oxymelite ex aceto scyllitico præparato, exhiberi. Si uero super uacaneus humor tenuis fuerit, absynthij decoctum propinare expedit, quod cum aliâs, tum cum oxymelite scyllitico potissimum porrigitur.

*Vomitorium.*

*Hyssopi decoctum.*

*Decoctum absynthij.*

Proderunt

Proderunt ſimiliter & ex ijs ipſis Syropi, quibus ſane rebus, humoribus ex tenuatis & euacuationẽ pręparatis, purgantibus pharmacis utemur. Quo circa ſi in natura melancholico, atra bilis, medium iuſto amplius exceſſerit, concocto humore prius ſuperuacaneo, ea quę humorem hunc uacuare poſſunt exhibebimus. Verbi gratia: Decoctum epithymi & agarici exquiſiti, cum myrobolanis cæruleis, quos Indos dicunt, & cum myrobolanis chebulis, radice filiculæ, polypodioue, & fumaria herba, quã fumũ terrę iam uno ore omnes appellitãt. Adijcere itidem licet hierã Picrã, & turpetum, & ſtœchada. Sit autem talium uſus frequens, potiſſime ſi tempera mentum laborantis ſit calidum. Quod ſi qui hoc morbo conflictatur temperaturam ſortitus eſt frigidam ac humidã, utpote ſuperãte in ipſo humore pituitoſo, Coctum iam prius & extenuatum humorem, Medicamentis pituitam purgãtibus euacuare oportet. Globuli itaque ſtomachici deglutiendi ſunt, quoniam ſumme proficiunt, & huic humori dedicati ſunt. Pilulæ item Galeni, cognomento Cochiæ, deq; agarico. Conferunt etiam mirum in modum, quę hoc modo contexuntur pharmaca.

Fumaria.

Accipe
- Medullæ cucurbitæ ſylueſtris, quam colocynthida dicunt, Stichadis, Caſtorij — Singulorum denarium.
- Hieræ Picræ denariûm pondo trium.
- Agarici optimi denariûm pondo duûm.
- Turpeti denarij pondo unius.

Conterantur in pila & per incerniculum incernantur, & redigantur in mazam catapotiorũ, unde uſu expetente dabis à denarij pondo unius uſque ad denarium pondo trium. His uidelicet quorum uires ſunt ualidæ & ſanis & iuuenibus. Exhibebitur inſuper magma cum utilitate Hieræ Picræ granorum pondo duodecim cum decocto epithymi Cretenſis & cum colocynthidis interioris farti tantundem. Quod ſi hoc medicamentum non ſuffecerit, Hiera Picra Galeni, & Hierologodium cum decocto Myrobolanorum Cæruleorum, & epithymi, & radicis filiculæ, quod polypodium dicitur, Paſſularum exacinatarum, & ſtichados, & ſalis Indici, propinanda ſunt. Poſt talium remediorum amminiſtrationem, conuenit uſus Gargariſmorum & Apophlegmatiſmorum (ſi neceſſarius eſſe uidebitur).

bitur) cum Hiera Picra mixta cum aceto ſcyllitico, cum hyſſopo, cum pyrethro, ſinapi, & corticibus radicum capparis, & origani. Ea etiam quæ per nares purgant medicamenta ſunt exhibenda. Quibus peractis, uomitus etiam prouocandus eſt, ueluti pro ſanitatis tutela, apotherapia & conſeruatione. Prolicere autem hunc Radiculę, & ferculorum ſalſorũ, & dulcium eſu oportet. Prodeſt ſimiliter & ebrietate concitata uomitio.

### De his qui à particula quadam morbum concipiunt.

CÆterum ubi ex particula quadam paſſio hæc produci percipitur, ſiue ea manus, ſiue pes fuerit, omne medendi ſtudium ad eam partem conuertatur. Et proinde quum pituitam & bilem atram euacuauerimus, localibus appellatis pharmacis utemur, & parti primogenia affectione laboranti emplaſtra quę calfaciendi, attrahendi, rarefaciendi, & tantam extenuandi facultatem habeant, ut tantum humoris eliciant, ut uideatur locus ipſe quaſi ſudore perfundi, ſuperinducemus. Id quod ſtrenuè præſtabit Aſſettaragi, lepidiumue, & ſimilia. Succedente dein tempore uomitorio medicamento utendum eſt. Purgatorio item uentris, Apophlegmatiſmo & gargariſmate. Exerceat ſe ęger poſt omnia cõmemorata in aliquo conuenienti & iucundo rei cuiuſcunq; amœnę ſtudio, atq; omnium maxime particula affecta. Hactenus ſanè de recẽtis morbi Comitiali curatiõe, nunc inueterati curam trademus. Proinde ſi hoc pathematis genus in uetuſtatem peruenerit, aquam bibere expedit, & ea adhibere inter medendum pharmaca quę natura extenuant, & ſtrenuè confortent. Cuiuſmodi eſt medicamentum purgans, quod conſtat ex ueratro nigro, quoniam id ſępius expurgat humores glutinoſos nunc per aluum, nunc per uomitum. Noui quippe complures quos Medici deploratos iudicauerunt, hoc modo liberatos & ſanitati reſtitutos, non ullo alio adhibito remediorum pręſidio. Poſt autem commemorata auxilia confectiones mundificantes, & aperientes locum habent. Eius generis ſunt antidotus Theriaces, Antidotus Mitridatis, Hiera Picra Ruphi, & confectio Hermetis. Ex eo etiam cenſu eſt, quę conferunt hoc pharmacum.

*Curatio morbi inueterati.*

| | | |
|---|---|---|
| Accipe | Seseleos (silerem montanum dicunt) Baccarum lauri | Singulorum aureos treis. |
| | Aristolochiæ rotundę Corticum radicis Capparis Radicis glycysidis, quam Pœoniam uocant | Cuiusq; aureos duos. |
| | Castorei Trochiscorum scyllę | Cuiuslibet aureum unum. |

Excipiantur singula melle non crudo & despumato, conficiatur antidotus in forma ecligmatis. Exhibebis singulis diebus aliquid huius ex aqua mulsa, aut oxymelite scyllitico. Cæterum pharmaca pluriphariā composita non sunt adeò comperta. Sed simplicia è quorum numero est pyrethrum, quod itidem melle exceptum, & quotidie cochlearij mensura exhibitum magno est præsidio. Radice uerò pœoniæ nihil est præsentius & salubrius pueris epilepticis, teste Galeno libro sexto de simplici medicina, ubi de herba Glycyside disputat. Vidi, inquiēs, puellum Comitiali morbo affectum, quandoq; octo totis mēsibus morbo liberum, ac postea forte fortuna quum quod à collo suspensum erat decidisset, protinus denuò conflictatum, cursumq; suspenso in locum illius alio, inculpatè postea egisse. Porrò, inquit, uisum est mihi satius esse rursum id collo detrahere, certioris experientiæ gratia, id quum fecissem, ac puer iterum esset conuulsus, magnā recentis radicis partem ex collo eius suspendimus, ac deinceps prorsus sanus euasit puer, nec postea eo morbo conflictatus est. Rationabile itaque erat, aut partes quaspiam à radice defluentes, ac deinde per inspirationem attractas, affectos ita locos curare, aut aërem à radice assiduè mutari & alterari, atque radicis eius uires ita recipere. Quo circa suffitus aut fumigatio ipsius ægri naribus admota, odor eam uirtutem exerit.

Radix Pœoniæ.

### De morbo Attonito, quem Græci ἀποπληξίαν. Arabes Alsecati indigitant, & eius speciebus. Cap. XXIIII.

Ἀποπληξία est ubi patiente communi neruorum principio, subito omnes corporis partes motum simul & sensum amiserunt, cum functionum à uoluntatis imperio prodeuntium & omnium membrorum principalium oblæsione. Si in altera modò parte obstructio fuerit ἡμιπληγία uocat. Oritur ægritudo hæc à pituitoso, hoc est, frigido, crasso, lentoq;

lentoq; humore, uentriculos cerebri principaliſſimos opplente & ſpiritũ animalem obſtruente aq; tranſitu ſuo impediente. Sciendum autem, quod talis humor in principaliſſimis cerebri ſpecubus hoc in morbo coarctatur & conſtringitur, æger nequaquam curari & ad integram ſanitatem reuerti poterit, ſed uel commoritur, uel terminatur in Paralyſim, hoc eſt, Reſolutionem alicuius particulæ. Quoniam ſi eſſet obſtructio in ſinubus (quos uentriculos dicunt) non principalibus, ſicuti in † Epilepſia accidit, natura repurgaret eos ocyus. Differũt itaq; inter ſe Epilepſia & Apoplexia in eo, quod hæc ob conſumatam tum omnium cerebri uaſorum & uentriculorum, tum membranarum ipſius repletionem atq; adeo obſtructionem procreatur, & proinde in totum amittunt ſenſum ac motum attoniti. Illa uero ex oppilatione ſolum quorũdam & comminuta, neruos tamen omnes quatiente, unde motus ſaltem corrumpitur, non perit omnino. Vtraq; autem mala, in cauſa & loco ad unguem conueniunt, quoniam ambo habent pituitam, hoc eſt, humorem frigidum, craſſum & tenacem, parentem, unam etiam regionem, cerebrum inquam, occupantẽ. Cæterũ magnitudine noxę diſcernunt, ſemp enim cauſę magnitudinẽ, etiã paſſionis magnitudo cõſequitur. Apoplexiæ quippe cauſam infert materia multa, eoq; malũ uehementius & curatu difficilius exiſtit. Hemiplagię, materia eſt pauca, eoq; debilis, imbecilla, minusq; curatu difficilis. Vtriuſq; autẽ & cuiuslibet cognitio ex ęgrotantis ſtatu & paſſionis amplitudine, deprehenditur, ſiquidem ſolerti facile conſtat, quod exilis noxa facilius malũ minusq; pertinax, Magna uero, difficilius, & contumatius inducit. Comitatur hanc ſeu inſeparabilis umbra hęſitatio uelutiq; ſtupiditas, cuiuſmodi ſanis etiam corporibus alto ſomno oppreſſis accidit. Difficilis autem, deplorata habetur, & mortem minatur celerem. Debilis uero, ſi omnia fiant quæ ſunt neceſſaria, curatur, ſed nunquam citra alicuius membri paralyſim, aut quamcunq; oblæſionem. Malum igitur iſtud uel nunquam, uel raro certe ſanatur. Haud enim temere Hippocrates dixit: λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν, ἀδύνατον, ἀσθενέα δ᾽ οὐ ῥηΐδιον. Hoc eſt, Siderationem quam apoplexiam dicunt, ualidam medicina nulla ſoluit, debilem non facile, Libro Aphoriſmorũ ſecũdo, ſententia quadrageſima ſecunda. Difficultatem uero debilitatemq; arguit ſpirationis uehementia. Quæ ubi plurimum naturæ modum exceſſerit, magnam, ubi parum ſaltem, paruam in cerebro noxam portendit.

† Hemiplagia

N Curatio

Curatio Apoplexiæ.

SYderatio autem, nam ita & Apoplexiam nuncupant Latini, quę curationem admittit, in quocunq; statu, ab initio statim suæ curationis, solutionem alui per clysterem uehementem & potentem desiderat, quo materiam affligentem à cerebro auertat, adq; infernas parteis reuellat. Conficies autem talem ex betonica, ruta, hyssopo, saluia, centaurio, agarico, & similib. Deinde ori ui distento digitum uel pennam oleo irino imbutam inse re, ad ea, quæ insunt, eijcienda & uomitum concitandum. Cuius ergò, digitus etiam aut pinna in Hierę Picræ antidoto madefacta immittitur, facilio rem quippe uomitũ inducit. Post uomitũ summa utilitate exhibebitur theriacę antidoti aureus. Vel cõfectionis Anacardinę quantũ uidebitur cum melicrato, uel cum decocto anisi & masthiches. Datur etiam ad lingendum mel despumatum, uel fauum. Capita autẽ ipsorum ferro candente suspen so, & capiti tantum non incũbente calfacienda sunt, uel imposit u gariophil lorum, aut maceris, aut nucis myristicæ, irriganda sunt eadem oleo anethino, & rutaceo. Et utat̃ hac curãdi formula & ratione usq; ad diem decimũ quartum. Postea propinabitur utiliter stillaticius liquor de radicibus, cui oleum Ricininum admixtum sit. Id enim huic morbo maximè conducit. Quemadmodum & Hiera Picra, & oleum de halicacabo, quã herbam uesicariã dicunt, si cum aqua de radicibus, potui, memorato modo in Sydera tione detur. Post hæc catapotia quæ humorem pituitosum frigidum & lentum expurgãt, tertio quoq; die deglutire expedit. Cuius farinę sunt, pilulæ de agarico, & Cochiæ. His igitur quę commemorata sunt pharmacis ac oleis, ritè ut docuimus exhibitis, & rectè peractis omnibus, cõmendatur magnificè Hieræ Picræ Galeni, & Hieralogodij, & Hieræ Picræ Archigenis, & Hieræ Ruphi, & antidoti Theodoriti usus. Ab his, Apophlegmatismorũ quoq; & gargarismorũ habẽda erit ratio, quæ ex his cõ stent medicinis quæ pituitam & saliuam eliciunt, è quo censu sunt, Hiera Picra cum aceto scyllitico confecta, & staphide syluestri, quæ est uua tamínia (Barbari staphisagriam corruptè nominant) & pyrethro, & corticibus radicum capparis, & sinapi, atq; id genus alijs. Probãtur & sternutamenta ex castoreo & ueratro. Cibus eorum esto liquidus, coctu facilis, digestioni obsequens, è quorum classe censentur, Decoctum ciceris, maximè si in eo dem pulli elixati sint. Pari etiam conducũt modo, cibi boni succi cum passe ribus & brassica decocti. Potus sit melicratum, syropus cum melle, & spe-

*Cibus.*

ciebus

ciebus congruis cõfectus. Vinum insuper aromaticũ, uetus, passum, cum melle puro conditũ. Vbi uero pathema remiserit, ęger in balneũ deducendus est. Atq; indidẽ caput cum oleo balsamino, & oleo de euphorbio obliniat. Eundẽ etiã usum oleũ anethinũ, & oleũ costinũ pręstabit, siue seorsim quodlibet per se, siue ammixto castorio & pyrethro leuigatis adplicetur.

### *De Resolutione alterius lateris, quã παράλυσιν & πάρεσιν Græci uocãt.* Cap. XXV.

QVandoquidẽ ex Apoplexia curata subinde Paralysis, hoc est, uel lęuæ uel dexterę Resolutio fit, post illam de hac statim haud importunæ differemus. Vbi notandũ quod artifex natura cerebrum in duas parteis priorem, scilicet, & posteriorẽ lineę instar rectę didu xit. Quo circa usu uenire symptoma aliquod, noxam lateri uni inferens, alterum inoffensum & in nulla naturali functione sua impeditũ ac plane incolumen relinquens. Eoq; bini oculi, geminæ nares, duo uasa cerebri, bini testes, & eius generis alia creata sunt, non cõmemoranda heic loci, siquidẽ non lõgiores logos facere institui. Quã ob rem si crassus & uiscidus humor quum anteriorẽ tum posteriorem cerebri sinum oppleuerit, & meatus obstruxerit, Apoplexiam, ut ostensum est, in his quæ cõmemorata sunt, producit. Qua sanata, humor ad alterũ duntaxat latus dextrũ aut sinistrũ quod scilicet debilius inuenerit, declinãs, παραπληγίαν siue παράλυσιν hoc est, Resolutionem inuehit. In qua affectione singulorũ eius lateris neruorũ uires eneruatæ conuelluntur, sensum ac motum admittunt neruis alterius lateris nulla noxa affectis. *Causæ.*

*Curatio Resolutionis.*

PEr exordia itaq; huius morbi medicamenta, quę humores molestãtes euacuare possunt, non sint uehementia nec uiolenta, quoniam humor est crudus, & morbus in principio. Sed potius irritanda aluus est clysteribus, ex malue, altheæ, saluiæ, bethonicę, ruta, chamęmeli, stichados, seminũ fœniculi decocto & similib. confectis, & hiera Picra cum melle rosaceo. Propinet quotidie pharmacũ quod calfaciat & extenuat, cuius classis est, theriacæ, & mithridati antidotus. Quarũ unaquęq; in decocto anethi, ammeos, anisi, masticħes, cardamomi, seu carui, & seminũ rutę propinet. Fiat id per hebdomadã continue, quousq; cõpareat humoris officientis concoctio. Quibus peractis aluus ducatur deuoratis catapotijs de Tapsia, Azaieret, & Arabicis, semper ammixto agarico. Pilulis item quæ citra angustiã uentrem subducunt & sine cura appellantur, ex turpeto, agarico, Hiera Pi

cra, & similibus, conferunt insuper pilulæ Ægyptiæ, pilulę fœtidę, & pilulæ Cochię. Purgato iam uniuerso corpore, Apophlegmatismis & Gargarismis utere, alternis uidelicet horis, gargarizatu potissimũ cũ pharmaco ex sinapi, cui admixta sint pyrethrũ, & cortices radicũ capparis, & Hiera Picra Archigenis diluta aceto scyllitico. Expedit etiã Staphis agrestis, & mastiche & pix Gręca seu Rhesina Britia, Colophoniam dicunt, & gummi cariophillorum. Qua curandi ratione per duas septimanas utendum est. Ab his, oleum ricinium, rosmarinum, & quod ualentius est costinum locum habent cum pharmacis quæ subijciuntur.

*Decoctum ad resolutionem perquàm conducibile.*

Sumantur
- Radicum: Apij, Fœniculi, Scyllę — Singulorum denarij decem
- Schœnosanthi, id est, iũci odorati; Pharmaci curcuben appellati — Vtriusq; denarij septem.
- Seminum: Fœniculi, Anisi, Apij; Centaurij minoris; Pyrethri incisi; Zingiberis triti — Cuiuslibet denarij tres.
- Ammeos; Costi; Aradraui — Cuiusq; semuncia.
- Virugi citriue contriti
- Nigellę denarij duo.
- Carui; Seminis rutæ; Lepidij Indici — Cuiuscunq; denarij quinq;.
- Castorij denarius unus.

Elixentur singula in aquæ libris septem usq; ad libram mediam, & colo diffundantur. Propinabis ægrotanti huius colaturæ quadrãtem cum oleo ricinino, oleo de halicacabo, & oleo Indo, cognomento Caluphar.

Ex usu præterea erit clyster potens alternis horis infusus, ex his quæ sequuntur hoc modo confectus.

Anethi

Accipe
- Anethi
- Chamæmeli
- Sampsuchi
- Sinapi
- Meliloti

Singulorũ manipulũ unum.

- Cnici unciam mediam.
- Seminum { Lini, Fœnogręci } Cuiusq; drach. duas.
- Furfuris unciam unam.
- Medullæ cucurbitę syluestris; Gręce colocynthida uocant; drachmam unam, & s.
- Centaurij minoris manipulum.
- Granorum Ricini tritorum unciam mediam.
- Ficuum sextantem.

Coquantur ad tertias in aqua fontana iustæ quantitatis.

Accipe
- Iuris decocti huius uncias quindecim.
- Mellis colo transfusi unciam unam.
- Muriæ gariue sesquiunciam. Vel
- Salis fossilis saxei, quem salem gemmę nominant, aureũ unũ.

Commixtis omnibus cõfice enema. Postremo Hiera etiam Picra cõmendatur, & Hieralogodium, & Hiera Theodoretus, & Antidotus Anacardina, si instar nucis Ponticę, hoc est, auellanæ, cum stillaticio liquore anethi, aut anisi, aut mastiches decocto propinentur. Porrò spondyles dorsi patientis lateris cum oleo spiceo, uel oleo costino perungantur, id quod multò fuerit salutarius si utrisq; in usu castoreum, uel euphorbium, uel pyrethrum leuigatum, uel singula, admisceas. Quod autem ad rationem uictus attinet, Versentur ægri in aëre calido & sicco. Sustineant inediam uel tenuissimo utantur uictu primis diebus, Verbi gratia, Ptisanæ succo, carnosa pulte iureue cum pullis, aqua hordei cum passeribus & brassica. Aqua cicerum cum oleo de nucibus & sinapi. Deinde etiam admittantur & cætera ualentiora boni succi & coctu facilia diuersorum generum edulia, auicularum præsertim montanarum, perdicum, ouorum sorbilium. Potus sit uinum uetus & melicratum, cum medicinis Candanicon appellatis, apparatum. Remittente autem morbo æger in balneum tum laconicũ tum etiam thermas deducendus est. Oportet etiam ita affectis uomitum præcipere, & illum identidem tantum, non qualibet hora ciere. Atque, ut

Tehodoricon.

ſummatim expediam, hoc malo correptos complurimum auxiliatur diæta calida & ſicca. Potus aquæ haud liberalis, & unguenta exiccandi facultate prędita.

### De Abolita memoria. Cap. XXVI.

Memoriæ abolitio maxima ex parte ob intemperiem frigidam & humidam, cerebrum humectantem accidit. Humectato quippe cerebro, formæ in eo neque figi neque pertinaciter hærere poſſunt, eoq; in obliuionem ſtatim ueniunt. Quemadmodum cęra liquidior, impreſſum ſignum neq; recipit, neque retinet. Rarius id ob ſiccitatem contingit, ueluti luto multo aridiori ſolet euenire, ut nullam imaginem impreſſam in ſę recipiat, atque conſeruet. Aboletur itaque memoria & ſuccedit obliuio, quandoque ex humiditate, quandoque ex ſiccitate, nonnunquam ex frigore. Si humida tantum intemperies poſteriorem cerebri partem pertinaciter obſidens, cauſa mali fuerit, torpores, in ſomnum delationes, longiores ſomni, grauitas capitis, & perennis à cerebro humoris defluxus, infeſtabunt. Sin ſola ſicca intemperies, uigiliæ frequentes, & ariditas linguæ, & palati, urgebunt. Si hoc malum non in poſteriore capitis parte ſolum, imò in media quoque parte accidit, non obliuio tantum ſuperueniet, ſed ignorãtia etiã & Amentia, Id quod uſu extremę ſenectuti uenit. Si uerò humiditati frigiditas quoque acceſſerit, cari & lethargi comitantur.

*Signa & cauſæ.*

*Curatio.* Curatio pro cauſarum uarietate mutatur. Si itaque ſola humiditate memorię noxa ſuperuenerit, ſumma curationis in exiccando cõſiſtit. Si ſiccitate tantum, in humectando atque ita deinceps ſemper in alterãdo. Si uerò à frigiditate & humiditate malum fuerit ortum, auſpicanda erit à diuerſione materiei à ſupernis ad infernas partes, curatio, per clyſterem acrem & potentem, cuius ſuperius non unum apparatum deſcripſimus. Victus uniuerſa ratio calfaciendi exiccandique uim obtineat. Æger in domo lucida multi luminis & temperati aëris moretur, nam id plurimum momenti & auxilij ad reſolutionem confert. Hiera inde Picra exhibenda cum caſtoreo (quę tantum id quod moleſtum eſt trahit,) Medulla inſuper cucurbitæ ſylueſtris, cum pyrethro. Deinde cum uehementioribus pharmacis euacuare conuenit, Cuius claſſis eſt, Antidotus ſeu confectio Theodoretus, & Hierologodium, & Hiera Picra Galeni, & Hiera Ruphi, poſt hæc cum Antidoto δι' ἀνακαρδίων, & ecligmate Anacardino. Opitulantur enim

*Theodoretus.*

tur enim in eiuſmodi ægritudinibus magnopere. Ab hoc, urigenta ſunt adhibenda. Obliniatur igitur caput cum oleo irino, uel liliaceo, & aceto in quo caſtoreum dilutum ſit. Et aphronitrum ſolum, uel nitrum, ut humiditatem exiccet pariter & reſoluat, & diſcutiat, ſuperinducat. Si hoc non ſufficiet, ualentius aliquod adhibendum eſt, Emplaſtrum uidelicet, ex ſinapi, ruta ſylueſtri, caſtorio, & euphorbio. Conducit non minus Emplaſtrum rubrificãs cui nomen eſt inditum Sinapiſmus, eò quod ex ſinapi conſtituitur, quo ueteres Medici utebantur potiſſimum ad membra quæ intenſo frigore erant perfrigerata, uel quæ flaccida & languida euaſerant, ad excitandum calorem ſuum naturalem, & commouendas uirtutes naturales & ad ſenſum quem amiſerant reparandum, & functiones ſuas inſtaurandas. De in caput decocto chamęmeli, meliloti, ſaluiæ, anethi, ſiſimbrij, calaminthę fluuiatilis ſiccæ, maioranæ, bethonicę, apiaſtri, melliſſaue, calami odorati, & gariophilorum, & ſimilium frequenter abſtergendũ eſt, & embrocharum modo ius illud inſtillandum. Ab hoc, apophlegmatiſmi, ſternutamenta, & reliqua quæ caput per os & nares purgant admouedna, quæ cum ſinapi & pyrethro, & ſtaphide ſylueſtri, & radice capparis, & alijs eiuſmodi confiunt. Poſtea rurſum Hiera cum oxymelite ſcyllitico præparata utendum. Naribus odoranda ſunt ea quæ cerebrum odore commouent. Græce dicuntur ὀσφραντὰ uti eſt, moſchus, nux myriſtica, quam moſchatam appellant, garyophilli, macer, ſampſuchus ſeu maiorana, roſmarinum, apiaſtrum, & ſpina Arabica. Quod ad uictum attinet, alimenta calida & exiccãtia conferunt. Ab infrigidantibus & humectantibus omnibus, cauendum. Iure ciceris & cremore hordei, & Iſphidabegi cum aceto, & ſale, & porris Nabatæis, hoc eſt, ex Orientali regione importatis. Pro potu ſumant uinũ uetus & odoratum, & melicratum. Si autem ex intemperie frigida & ſicca mentis noxa, & memoriæ iactura fiat, uniuerſus curationis ſcopus in calfaciendo & moderatè ſiccando conſiſtit, uictu præſertim calfactorio, & medicamentis calfacientibus tam extra quàm intra corpus admouendis, euacuationibus nempe congruis, & embrochis ex iure chamæmeli, ſertulæ campanę, lauendulę, uiolarum ſiccarum, & ſimilium in quo elixati ſint pedes caprilli. Inunctiones capiti adhibeantur ſubinde ex oleo calido irino, liliaceo, narciſſino, & uiolaceo, ex luteis uiolis apparato.

## De Conuulsione, qui Σπασμὸς Græcè uocatur. Cap. XXVII.

Σπασμὸς Græcè, conuulsio Latinè, est motus in quo nerui atq; musculi præter uoluntatem conuelluntur atq; in eundem affectum coguntur, in quem ab animali facultate, quum naturalem habitum, ac motum arbitrarium seruarent, ducebantur, idq; uel ob plenitatem, uel propter uacuitatem neruosorum corporum accidit. Neq; sanè id deprehensu fuerit difficile, modò nos, qui secundum arbitrium fit motus naturalis, non lateat. Singuli quippe musculi quum particulis, quas commouent, adglutinãtur, non nisi ad neruorum originem, hoc est, ad eius nerui à quo dependet principium, trahunt, atq; iste quidem motus est naturalis & arbitrarius. Siquidem omnis motus qui à uoluntate procedit, attractis musculis in eas quibus innascuntur partes, fieri uidetur, neq; possit fieri attractio nisi ad suam originem retrahatur musculus. Quum igitur musculi aut nerui adhærentes eis, cum motrice facultate, humore aliquo replentur, utris instar aut similium rerum modo distenduntur, ex distensione uerò dilatantur quidem secundum latum, sed longitudo contrahitur, & fit motus non arbitrarius, atque hæc quidem conuulsio ex plenitudine haud dubiè existit. Hippocrates uocat σπασμὸν κατὰ πλήρωσιν, quemadmodum aliam quæ exinanitione, hoc est, siccitate fit κατὰ κένωσιν. Sicuti enim uidemus lora & chordas extendi ubi multa humiditate madent, & cum uehementius exiccantur calore ignis, aut alio quocunque ardore corrugata corripiuntur. Ita & in corpore animantium neruosę partes conuulsione corripiuntur, cum humiditas musculorum aut neruorum aliqua caliditate exiccatur. Fit enim ut inde partes uiolentius exiccatę conuellantur, tendantur latitudine & contrahantur longitudine. Atque hic quidem proximus status non est subitarius, sed lentus & non nisi temporis spacio longiore interiecto, atque in temperamento natura calido. Superior aũt constitutio subitaria est, & languescunt in ea confestim membra & eneruantur, In temperatura hominis natura humidiore & in loco & regionibus humidis. Proinde quæ repente & à morbi statim exordio conuulsio corripit, ex Repletiõe fit, quæ post plurimos sudores, aut uomitum, aut alui deiectiones, aut sanguinis eruptiones, famem, laboresq; insanos sequitur, huius uacuitas & siccitas causa est.

### Curatio Conuulſionis.

CVratio cónuulſionis, quæ à plenitudine orta eſt, haud admodũ eſt difficilis. Modo exordiat̃, uel à ſanguinis miſſiõe, uel ab alui euacuatiõe (utraq; enim plenitatẽ tollũt) cum catapotijs uidelicet calfacientibus. Cuius farinæ ſunt, pharmaca, quorũ in capite de Reſolutione alterius lateris meminimus. Poſt hęc propinabimus oleum cicinum, quod Ricininum uocant, admixta aqua radicum, uel oleum Kelkelengi cum pharmaco, Antidotus Inda uocatis, cõmixto. Membrum autem cõuulſum inungatur, & abſtergatur cum oleo Spiceo, & Irino, ſeu liliaceo, aut alio quodã ex hoc genere. Conuulſio autem quæ ex uacuitate & ariditate accidit maximum ſane malum, uel curatu difficile, uel impoſſibile, & ſane, ut plurimũ, inſanabile, eſt, Cæterũ quæcũq; mali ſit diſpoſitio, quæcunq; etiam occaſio, inunctione opus eſt. Perliniantur itaq; partes conuulſæ oleo rutaceo, oleo Sycyonio, hoc eſt, de cucumere, ut uocant, aſinino, offeratur & oleum ricininum. Solio inſuper credantur tepentis decocti anethi, chamæmeli, meliloti, rutæ ſylueſtris, quę moly dicitur, & aliorum ex hoc genere compluriũ, *Moly.* Frictio etiam prodeſt lenis cũ oleo. Cõfert etiã emplaſtrũ adurẽs & rubrificãs ex Euphorbio inducere, cuius talis eſt deſcriptio, & cõfitiendi ratio.

#### Emplaſtrum ex Euphorbio ad conuulſionem.

Accipiat̃ { Olei oliuarum antiqui, ſeu de ueteribns oliuis libra una.
Cæræ rubeæ ſextans.
Euphorbij denarij octo. }

Diluatur & liqueſcat cæra cum oleo, Inſerat̃ puluis de euphorbio recẽti friato uncia una, cõmixtis omnibus reponat̃ ad uſum neceſſitatis. Victus porro ratio, qua æger accurate & ſedulo inſtaurandus & corroborandus eſt, in plenitate quidẽ, calida & ſicca facilisq; cõcoctu, & diſtributioni idonea, In ea uero quę ab euacuatione fit, uictus humidior requiritur. Potus autem uinum eſto tenue, & aquoſum, quod facile per omnes corporis parteis diſtribuitur, ſi febris deſit.

### De reſolutione ligamentorum uertebras ſeu dorſi oſſa colligantium, hoc eſt, Gibbo. Caput XXVIII.

GIbberoſi maxima ex parte infantes euadunt, & quanto quiſq; minor eſt natu, hoc uitio deformatus, tanto minore cum negocio, curabitur. Quũ igitur primũ ſuperabunt ſeptẽnium Gibberoſi non omnino reſtituunt̃, ſanitati tamẽ quoad eius fieri poteſt accedũt, artes quippe corporis ſicciores & ſolidiores euadũt. Prępcedũt uero hanc affectionẽ

febris

febris acuta contumax, Vigiliæ frequẽtes & uehemẽtes, iugis ploratus, natura ficcior, aut durior aluus, pallidus, aut luteus faciei calor, Siccescit os, utraque labia simul, atque amborum fissio, & nigredo linguę & extensio cutis. quæ utique solidior uel durior in ipsis apparet, & urina tenuis, Vbi igitur tales cõparuerint notæ, statim curationẽ ab irrigationibus & embrochis auspicari conuenit. Lac itaque asininũ, aut caprillũ, siue utrunque capiti priuatim & spondylibus dorsi instillabitur. Lanis insuper lacte asinino, & oleo uiolaceo imbutis caput cõtegatur, & lacte humano, fœminæ uidelicet puellam admodum recens natam lactantis, cui oleum nympheaceũ ammixtum sit, abstergatur. Vel sumito semina cucurbitę dulcis, & sesamum conditũ cum uiolis, & amygdalis dulcib. delibratis, & contere oleumque inde expressum lacti confundito, & naribus instillato. Quod si non iuuabit ista curãdi ratio, & malum cõtumaciter persistit, tum caput superfusione, quę embrochã uocant, tepida foueto, ex iure chamæmeli, uiolarum, sesami, lactucę, & nymphęæ, pręparata. Procedenti uero tempore solium inscendere conuenit, oleo sesamino calente plenũ. Humectanda insuper lingua lento marcore psyllij, & acinorũ cotoneorum muco. Oleo item uiolaceo, & succo malorum Punicorũ dulcium. Capiti ad hæc pręterea emplastri more induces farinam hordei, althęam, & uiolas siccas, oleo sesamino subacta. Propinare autem ita affectis conuenit, si non obstiterit ætas, & aluus constricta sit, decoctum ficuum, passularũ exacinatarũ, cum cassia fistulari, & oleo de amygdalis dulcibus. Nam uehementer abstergit & expurgat. Expedit etiam clyster lenis & clemens. Si uero aluus minime sicca, per se respõdeat, & febris constanter urgeat, hordei decoctũ in quo semina aut ramenta, aut portiones aliquæ cucurbitę elixata sint, potui detur. Sin nulla adsit febris, lactis asininæ triens cum oleo amygdalarũ dulcium & saccharo, magna cum utilitate bibuntur. Corpore prius ab omnibus excrementis expurgato, quod aliâs prauis humoribus est refertũ. Quod si febre soluta, siccitatis reliquię supersint, & conuulsionem in aliquot membris concitant, partem affectam cum adspergine aquę tepidę fouebimus. Materiamque in loco coaceruatam resoluemus, affluxum eius prohibebimus, neruos firmabimus, & dolorem sedabimus cum iure in quo fœnogræcum, semen lini, chamæmelum, melilotum, radices althææ, radices iridis, seu liliorum, & eiusdem generis cætera elixata sint. Porro hoc malo correptis caput lacte recenter mulcto affatim perfundatur, Si ex uberibus animalium capiti statim

calidum

calidum inmulgeatur præstantius erit. Ab hoc, illitus olei alicuius humectantis proderit. Conficiatur preterea emplastrum ex adipe suillo insulso, cera rubea, adipe anatino, medulla uaccina, & uitulina, iliati diluto, adipe ceruino & medulla crurium eiusdem animantis. Redigantur in compagem Emplastri ad hanc formam.

Sumantur
- Adipis porcinæ, partes tres.
- Ceræ rubeæ
- Adipis { Anatis, Cerui } — Singulorum partes duæ.
- Medullæ { Vaccæ, Cruris ceruini }
- Iliati liquefacti, pars una & dimidia.

Mixtis singulis, elixentur cum oleo narcissino ad compaginem usq; emplastri, siue unguenti. Quod particule affecte illitu inducatur, & iliati insulsum per aliquot dies superponatur. Post hec huius etiam pharmaci usus ueluti conducibilis commendatur.

Accipiat
- Amyli
- Adipis suille recentis
- Medullæ uaccinæ
- Iliati liquefacti

} Vniuscuiusq; par modus.

Amylum contritum per angustissimum cribrum incernatur, & cum ceteris liquefiat, quo cum locus affectus manu seu panno tantisper dum rubore suffundatur, accuratè abstergatur. Vel,

Sumantur
- Lentitiæ sem. lini non expressi.
- Mucosi lentoris sesami non expressi. } Vtriusq; partes duæ.
- Fœnogr. triti pars una.

Decoquantur paulatim clementi igne cum lacte asinino, adijce oleum sesaminum, & iliati liquefactum. Confice omnia diligenter & redige in cõpagẽ emplastri, est tepide nature, hoc est, moderatè calorificũ Emplastrũ.

### *De Resolutione musculorum mandibulariorum, Spasmóue cynico, quam Recentiores medici Torturã oris, Arabes Affrasin cognominãt.* Cap. XXIX.

Σπασμὸς κυνικὸς est musculorum mandibulariorum resolutio, in qua media faciei pars in obliquum torquetur. Eoque oris Torturam uulgò appellant. Oritur hoc malum ex humore frigido & humido, occupante & obstruente principium neruorum, qui sensum ac motum ad musculos mandibulæ deferunt. Eoque huic cum Resolutione neruorum, quam paulò ante tractauimus curatio ferè communis est. Nam & in hoc

pathemate, purgatio totius corporis, Apophlegmatismi, Gargarismi, sternutamenta, fotus, & similia conducunt & necessaria sunt. Purgatio totius corporis & capitis, maximè commodissimè fiet cum catapotijs humorem pituitosum euacuātibus, è quo genere sunt, Cochiæ, Azaieret, de Hiera, fœtida, & de agarico. Cum Hieris magnis è quo censu habentur Hiera logodiū, Hiera Archigenis, & Hiera Galeni. Euacuat etiam corpus uniuersum sanguinis missio, si hanc nihil impediat. Apophlegmatismi & Gargarismi cōfiant, ex radice pyrethri, pipere longo, zingibere, sinapi, rore Syriaco, Malis Punicis acidis, staphide syluestri, aut pharmacum ex hyssopo, thymo, origano, & calamintha campestri confectum, & Hiera Picra, uel Hiera sola aceto scyllitico apparata. Cęterum peculiaris Apophlegmatismus ex his, ad hanc formulam aduersus hoc malum conficitur.

| | | |
|---|---|---|
| Accipe | Radicis { Pyrethri, Zingiberis | Cuiuslibet denarium. |
| | Piperis longi, Sinapi | Vtriusq; denarium. |
| | Hyssopi, Origani, Seminum Staphidis syluestris, Mastiches | Singulorum denarium. |

Excipiantur rhesina terebinthina, & cæra sufficiente, Redige in pastillos manducatiles. Probatur autem talium usus, nonnisi ab euacuatione totius corporis. Post euacuationem expedit fotus, ex decocto origani, pyrethri, ruta, spina Arabica, folijs lauri, sinapi, chamæmeli, meliloto, maiorana, mellissa, & id genus alijs. Proderit autem ijs unicè pharmacū purgatoriū capitis huic pathemati cōsecrato auribus instillare, ex decocto radicis iridis seu lilij, uel stillaticio liquore, iureue sampsuchi, aut aqua sem. canabi, siue mellissę. Nōnulli aūt exhibent etiam fel perdicis, cū succo lilij, seu iridis uiridis. Alij cōficiunt caputpurgium ex felle gruis, cum aqua herbę auriculæ muris. Quidam commendant uomitorium, quod ab Arabibus Gilbehenech uocatur. Quod si his ritè peractis, malum cessauerit, bene est, sin minus, rursum caputpurgio utemur. Si ne tum quidem malum discutitur, & æger temperamenti est frigidi, ac tempus hybernum, admiscebimus oleum ricininum, cum aqua de radicibus, & Hiera Picra. Frequēs laudatur usus frictionis gingiuarum & dentium, ac labiorum intrinsecus in latere ré

soluto

foluto fiue conuulfio. Mandent infuper iugiter nucem mofchatam, aut myrobolanos, mandibula lefa poft hęc, cum oleo balfamino, aut coftino, aut balanino, aut gallia perungatur. Prifci uerò medici in hac paffione & in paralyfi mandabant caput totum patientis, & tempora, & fupercilia, & fpōdyles dorfi affectę partis aceto acerrimo, albi uini uehementis, tepido, in quo hyffopus & calamintha elixata fint, abftergere, quoad nō in fumma cute tantum natet, fed in altum mergatur corporis, & refoluat, & extenuet, & incidat humores craffos & glutinofos, qui affligunt. Porrò autem quum malum prorogatur fternutamenta contexentur & elicientur pharmacis acribus. Cuius farinę eft, ciclaminon, piper, condifi, & id genus alijs. Eft uerò ex eo cenfu quod fubijcitur, quum ad fpafmum cynicum, tum ad refolutionem, fiue paralyfim.

*Sternutamentum ad Spafmum cynicum & paralyfim, & cæteris capitis morbos frigidos, re & ufu exploratum.*

Accipe
- Radicis pyrethri aureos duos.
- Struthij, condifi uulgò dicunt, aureos treis.
- Oleandri per triduum fumigati aureos totidem.
- Origani, Carui, Ariftolochię longæ, Sanguinis Draconis — Singulorum aureũ dimidiũ.
- Fructus Balfami fefquiaureum.

Redigatur in puluifculum & traijciatur per incerniculum excufforium linteum, & flatu naribus utrifq; indatur.

*Aliud fternutamentum Spafmo Cynico, Refolutioni, Apoplexiæ, & Comitiali, & abolitioni memoriæ, & ad mundificandum cerebrum perquàm conducibile.*

Recipe
- Condifi Struthij, officinæ uocant, denariũm pondo feptem.
- Piperis albi & nigri, Caftorei — Cuiuslibet denar. dimidius.
- Rutæ fylueftris denarij duo.
- Aloës fefquidenarius.
- Sinapis denarij duo & dimidius.
- Nigellę denarij duo.

Conterantur & per lineum excussorium incernantur, cuius momentum naribus calamo inspirare competit.

*Sternutamentum aliud ad Spasmum cynicum.*

Sumito { Castorei, Medullæ colocynthidos, Piperi candidi } Singulorum aureum. Struthij aureos duos.

Leuigentur & per excussorium cribrentur, & flatu naribus inseratur. Proderit eadem cum aqua sampsuchi excipere, & in globulos ingentes, redigere. Conficiatur inde caputpurgium cum aqua auriculę muris.

## De Stupore. Cap. XXX.

*Causæ.* STupor malum est, quum ex obstaculo quopiam sentiendi facultas à cerebro in neruos penetrare non potest. Neq; usu id unquàm uenit, nisi quum humor aut abscessus inflammatioúe sinus ac meatus obstruit. Vel, quum neruorum conniuentibus, & constrictis meatulis impediũtur trãsitus. Si igitur obturatis meatibus prępeditur penetratio, non penetrabit animalis spiritus, haud quippe aliter à penetratione, quàm radij solis in aëre, pulueribus, caligine, fumoq; impediuntur, perinde atq; etiam aqua imperuia ipsis minimeq; translucida cœno lutoq; euadit. Accidit uerò id solum quando essentia ipsius crassior euadit. Crassities autem eius ex algore duntaxat, quæ densitatem necessario creat, prouenit: Vel quod ex alicuius rei occasione solidior sępe ac durior & angustior redditur, Verbi gratia, quum ligamento luxato & osse sua statione commoto, in arctum cogitur: Vel quando inflammatio obturat, aut humoribus crassis & uiscidis nutritur. Quod uerò ad curationem huius pathematis spectat, quando frigidus & glutinosus humor præpollet, Indicatio curationis statim à contrario sumitur, pharmacis itaq; cõfestim calfacientibus, resoluentibus & extenuantibus pugnandum, præparatisq; iam ad eductionem humoribus, euacuabimus eos quàmprimum cum pilulis de Tapsia, cum pilulis fœtidis, pilulis Cochijs, atque id genus cæteris. Peracta iam euacuatione debita propinabimus aquam de radicibus, cum oleo Ricinino, & oleo Phisalidis, halicacabiúe, seu, ut Arabicè dicunt de Alkeelengi.

*Curatio.*

Atque

Atque hæc quidem eiuſmodi torpedinis malo conueniunt. Deduci inſuper in balneum atq; abſtergi ſtupore correpti debent. Obliniq; indidem parteis ſtupore perculſas affatim, cum oleo Sycyonio, oleo de euphorbio, oleo coſtino, cum caſtoreo, & pyrethro contrito, ut ueluti à ſomno excitentur, oportet. Quod ſi quæ mali ueſtigia his actis relicta uidebuntur, adeò ut denuo purgandum operę ducamus precium, exhibeatur Hiera Picra Galeni, & Hieralogodium.

## De Tremore. Cap. XXXI.

TRemor qui Græcis τρόμος dicitur malum eſt, quod ob neruorum imbecillitatem accidit, uel, ut inquiunt alij, quod ex imbecillitate uirtutis deferentis membra prouenit, neque id perpetuò, ſed quum uis neruorum mouere partem aliquam molitur, & in medio conatu ſuccumbit, accidere conſueuit, unde membrum debilitatum, functionem non exequitur. Ex duplici autem cauſa potiſſimum perficitur, ex animæ uidelicet, aut corporis offenſa. Animę autē, hoc eſt, animalis potentiæ, noxa eſt, ira, furor, anxietas, pauor, & alia eiuſdem generis. Quarū ſingulæ profectò complures ſortiuntur occaſiones, neq; ullum exigui momenti negocium in talibus ſymptωmatis deprehenſum, paulò acerbius uexat. Peculiarium uerò cauſarum una eſt, quæ magna ex parte affectionem iſtam efficit, atque ea, qua de agimus eſt, formido ſiue metus, perinde atq; etiam motus, & laconicum calidius, ſiue Herculanū, ut dicitur, balneum, quum modum magis excedunt, Quod uidere eſt, in his, qui cōſpecto lupo uocem ędere non poſſunt, & qui in ſublimi per præcipitiū, arctiſſimam ſemitam, (utrinq; profundiſſimum baratrum contuentes) tranſeunt. Vel ſubito imperatore aut rege uiſo, uel quum quid pauidis eſt cum talibus agendum, metu obticeſcunt ac trepidant. Corporis uerò noxæ ſunt, quæ uires conuellunt ac deijciunt, eoq; tremorem inducunt & efficiunt, puta, frigidius naturæ temperamentum citra materiam, quod ætas decrepita palàm teſtatur. Frigidæ potio, & in eadem natatio, uini multi meratioris uſus (nā is primo calfacit, deinde perfrigerat,) & pauor, frigidi præterea craſſi & lenti humoris habundantia, & ſanè ei hoc faciunt per accidens, quoniā obſtructionem prius quàm tremorem inferunt. Oppilatio quippe inde illata, facultatem mouendi prohibet, quin & neruos occupaſſe à quibuſdā eſt obſeruatum, eoq; faciunt tremorem per accidens. Atque iſti quidem

*Oblæſiones animales.*

*Oblæſiones corporales.*

ſucci craſſi & glutinoſi neruis adeò pertinaciter inhærent, ut nequeant uix ullis uiribus eradicari, ſed momentum ex eis in muſculos fluit ac neruos & non poteſt extendere illos, quare accidit humor, aut non mordicus inpacti neruis adhærent, ſed ualet hos uirtus motus uehementia extirpare, & fiunt inde motus ſtupidi & languidi. Quia ob acrimoniam motus uirium, ex neruis in muſculos expellitur finitimos, & motionem promouet. Currente igitur humore ſecundo ad locum, uirtuti motum abſcindit, donec denuo reuertatur & mundificat ea.

### Curatio tremoris.

QVod ad curationē attinet tremor, qui ex ob læſione animalis potentiæ fit communi methodo curabitur, Si ſtudebimus adimere cauſam, qua ablata tolletur effectus. Ea autem quę ex offenſa corporea euenit trepidatio, Si à frigidis & craſſis humoribus acciderit, euacuationem, ſanationis ſcopum obtinet. Cuius ergô globulos ſoluentes, extenuantes & expurgãtes propinabimus, Ex qua farina ſunt globuli azaieret, hoc eſt, de Tapſia, globuli fœtidi, globuli de caſtoreo, quarum deſcriptiones ex libris de Compoſitione pharmacorum hauri, poſt hæc uſus oleorum, ricinini & Alkeelengi conducit, Vtrunque enim ex uſu eſt, ſi in uino alternis horis ſumatur. Caſtoreum uel ſolum inſuper cum oppopanaco ex melicrato utiliter præbetur. Si res & uſus Hieras magnas exigere uidebitur, Hieram Archigenis, & Hieralogodium porrigemus. Membra porrò tremula oleo rutaceo, & oleo de euphorbio, oleo coſtino, & oleo Sicyonio, oblini præſenti commoditate conuenit. Qui ex uini largiori potione tremunt, ijs uinum circumcidendum eſt, quoad in totum morbo fuerint liberati. Bibant Hydromeli, cum decoctis conuenientibus. Cerebrum poſtremo corroborabimus accuratè cum oleo roſaceo, & aceto: Oleo item myrteo, de ſalicibus, & floribus palmæ

HAbet originem Saltus ex flatibus crassis & uaporosis, quæ particulam ingressi occupant, & huiusmodi tam turbulentam palpitationem inuehunt. Quanquàm sint, qui malum hoc ex crassis humoribus potius oriri testẽtur. Propterea quod ista turbatio, quem Saltum uocant, qui Barbaram sectantur medicinam, ex flatulentis & uaporosis spiritibus uehementer frigidis & in constitutione hominis frigida pituitosa, temporibus anni frigidis, & in regionibus frigidis, & pituitam procreantibus plurima ex parte euenit. Quod autem ad huius morbi curandi rationem pertinet, habet sanè cum tremore quem præcedenti capite tractauimus communes & eosdem fermè curationis scopos. Proinde summa sanationis eius mali, huc planè ad saltus curationem accersenda est. Hactenus itaque affectionem cerebri, & membranarum ipsius, & neruorum qui inde oriuntur medendi rationem summatim perstrinximus.

IANI DAMASCENI TERTII LIBRI FINIS.

## PERIOCHA VOLVMINIS QVARTI.

IN hoc uolumine uniuersi operis quarto, Primũ, de passionibus ac uitijs oculorum, genarum & palpebrarũ disputatio est, Mox de aurium etiam, narium, linguæ, dentium, columellæ, isthmi, & fauciũ affectionibus pluripharijs agitur, Post hæc de speciebus catarrhi, & multiplicibus pulmonis, pleurę, atq; totius thoracis afflictionibus, Postremo de cordis ægritudinibus tractatio est.

## ELENCHVS EORVM QVAE IN QVARTO LIBRO COMPLECTVNTVR.

# IANI DAMASCE NI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, De Medendi ratione Lib. IIII. ALBANO TORINO Vitodurenſi Paraphraſte.

### De Lippitudine ſiue Ophthalmia. Cap. I.

Oφθαλμία Græcis, Lippitudo Latinis, nihil aliud eſt, quàm pelliculæ, uel membranæ Agnatæ, quam Barbari Cõiunctiuam nominant, inflammatio. Eſt uerò exterior oculi mẽbrana os capitis & caluariam ambiens. Quam Agnatam dixerunt, propterea quod alijs quæ oculũ ipſum conſtituunt tunicis, forinſecus agnata ſit, ligamentũ exiſtens toti oculo ad circumſita oſſa, & ob id omnia quę circum circa oculos ſita ſunt uſq; ad malas quandoq; in uehementi lippitudine ſimul attolluntur. Fit ſæpe ob plenitu- *Cauſæ.* dinem totius corporis, ob quã Agnata etiam humoribus deferta tẽditur, uel ob humorũ acrimoniã, uel propter craſſorum humorũ, aut uaporum intenſionem. Sunt autem Ophthalmiæ tres ſpecies, quarum primam Arabes Tarkiniſin nimirũ ex alluſiõe Græca. Gręci τάραξιν, hoc eſt, Lucis per- *τάραξις.* turbationem nominant. Ea eſt humiditas oculi, ſimulq; cum rubore calor, ex foris aliqua occaſiõe adueniente factus, puta, Sole, fumo, puluere, & his ſimilibus, celerrimè hæc ſpecies ſoluitur, ſubmota quæ eam fecit cauſa. Altera uehementior prima & permanentior, ὀφθαλμία à Gręcis uerò nomi- *ὀφθαλμία.* natur. Ea bifariam accidit, à cauſa manifeſta extrinſecus occurrente, nempe ex aliqua cauſarum primæ ſpeciei, & ea eſt difficilior: aut ex cauſa interna quando aliquid materiei in membranam Agnatam confluit, haud aliter atq; in alijs etiam corporis partibus ſubinde accidit. Huius ſanè cauſa eſt, potiſſima membri, hoc eſt, oculi imbecillitas, quod adfluentem materiam nihil repugnans ſuſcipit, & robur ac potentia membri expellẽtes, hoc eſt, cerebri. Dirimitur autem hęc differentia à ſuperiore hoc ſolo diſcrimine, quod prior curatu facilior eſt, & ſublata, quæ eam fecit, cauſa, facile tollit. Tertia ſpecies adhuc immanior eſt, atq; adeò fortis inflammatio, ut utraq; palpebra in tantum peruertatur, ut uix oculos operiant, & album oculi ſupra nigrum, ita extollitur, ut id in pluribus locis corij modò aperiat. Gręci hanc

hancuno ore χυμωσὶν nuncupant. Arabes, Alguadarnesi, uel Alguadarnegi, cognominant. Comitantur hanc eadem, quę reliquas membrorum cæterorum inflammationes symptωmata, Verbi gratia, Inflatio, dolor ingēs, durities renitens, rubedo, tensio, in ipsis oculis, infartiūtur sanguine uenæ, palpebrę inuersę difficulter mouentur, Albugo, nigrum excedit.

*Curatio Lippitudinis, seu Ophthalmiæ.*

QVod ad huius pathematis curationē attinet, In principio statim animaduertendum, quod oculus particula est corporis, quę oblęsionibus ex quacunq; leui occasione comprimis est obnoxia, eoq; omnia pharmaca huiusmodi affectionem curantia, sub communem quidem omniū inflammationum curationem cadere, sed assumere tamen necessario quippiam pro partis ipsius natura, quę excellentem mollitiem, & ad hoc ut lædatur aptitudinē, super omnem totius corporis cutem nacta est, propter sensus subtilitatem & substātię raritatem. Quocirca omnia maxime cauendū, ne circa curationis primordia statim pharmacis defatigetur hoc malo oppressus. Sed ordiri hanc a missione sanguinis maxime conuenit. Venam autem secare oportet cubiti exteriorem (quam iam, sexcenties diximus, appellari nunc Humeralem, nunc Cephalicam) ex parte uidelicet, † lateris affecti, hoc est, ex eodem latere in quo est affligēs oculi cruciatus, uel qualiscunq; offensa. Si uero necessitas requirere uideatur, reseruabimus eam in die secundo, Neq; id alio magis nomine fit, quam ut humorum, qui ad oculos feruntur impetus deorsum, & ad alias corporis partes ignobiliores, trahamus & reuellemus ex ipsis. Id quod potissime faciundum est, quum ex plenitudine totius corporis fuerit concocta inflammatio. Si uero ex rodentibus, aut crassis humoribus lippitudo fuerit oborta, quę affligentes humores uacuare & purgare possunt, medicamenta propināda sunt, quę certe pro redundantium & noxiorum humorum uarietatem immutanda ueniunt. Aliâs uidelicet, decoctum dabitur, duarum specierum myrobolanorum, & prunorum, & oxyphœnicωμ (Tamarindos uocant( & uuarū passarum exacinatarum, & herbę fumarię (quam fumum terrę dicunt) cum Hiera Picra, & turpeto, quod uulgo turbith nuncupant. Debet autem hoc decoctum sæpius sumi, & identidem repeti usque dum exacta fere fiat infestantis humoris euacuatio. Quod si calor urgeat cum humore caput, non erit aliud præsentius pharmacum quam dilutum aloëticum, cuius superiore libro commemorata est compositio, & præparatio. Sed præstantius

† quæ è directo est

præſtantius erit ſi dilutum δι' ἀλόης cum aqua cœleſti, aut intybi, ſeu endiuiæ, aut ſolani ſumatur. Vbi uero acres humores fuerint, uel euacuati, uel domiti & malum fuerit placatius, ex re & uſu fuerint catapotia δι' ἀλόης, hoc eſt, quæ contexuntur ex aloë, & pilulas Cochias, deglutire. Poſt hęc autem facta ſufficienti purgatione pharmaca repulſoria non exaſperantia, hoc eſt, non uehementem ſortita adſtrictionem, ſed quę tum propria ſua ſubſtantia ſunt moderatiora, tum lenitiui liquoris admixtione adhuc magis talia fiunt, ipſis oculis ſunt adhibenda, & inſtillanda. Ex lenientibus autē liquoribus in principio ſtatim expedit, candidus oui liquor per totam noctem ſiue diem, ſi fieri commode poſſit impoſitum. Nam id egregie dolorē placat & quietem ægrotanti conciliat, & ſi æger ob influentiū humorum acredinem acrius uexetur, ſedabit illius acrimoniam & abſterget ipſum humorem affligentem. Lenit etiam ſatis pulchre & fœnogręci decoctum, & ad hæc amplius ipſum lac, præſertim muliebre, quum in oculum lippientem per ſe, uel cum collyrio albo, in quo ſane medicum prouidū eſſe oportet, ut iuuenculæ ſimulq; boni ſucci fœminę exiſtat, uberibus ipſius in cotem in qua collyrium teritur expreſſis, quo calidum adhuc oculis infundatur. Cęterum hoc in intenſiſſimis cruciatibus & maximis inflāmationibus facere cogimur, aliqui, ut plurimum oui candidū cum accōmodatis pharmacis ſufficit. Quod ſi infeſtans materia, etiamdum fuerit in fluxu, tum oculis cataplaſmatis ſiue emplaſtri modo inducamus folia ſolani, polygonum, aut uirgam paſtoris, arnogloſſum, intybum, endiuiam, portulacam, folia ramni, folia uitis recentia, cum folijs cotonei, & piris uiridibus, unumquodq; horum per ſe, uel ammixta farina hordeacea cum oleo roſaceo. Cōferunt & prędictarum herbarum liquores, ſtillatitij cum oui albore & aceto. Quibus etiam interdum ammiſcere conuenit bolum Armeniam, thus, ſantala rubea, & id genus. Proderit autem impēdio ſi tale emplaſtrum, aut cataplaſma ſubinde mutabitur, renouabitur & facies idētidem abluit cum aqua roſacea, aut aqua frigidiſſima cum modico aceto permixta. Cōducit inſuper aqua cœleſtis, & decoctū papaueris, atq;, ut paucis expediam, medicamenta quę adſtringunt, & humoris fluxum prohibent, inter initia proſunt. Quapropter quū declinationem ægritudo comitatur, iſtis remedijs reſolutoria uirtute prædita ſunt ammiſcenda pharmaca, e quo cenſu habentur candidus oui liquor cui ammixtum ſit oleum roſaceum, compoſitoq; cataplaſmate ſiue emplaſtro oculis imponatur. Admouenda preterea

ſunt coriandrum

ſunt coriandum humidum, farina hordeacea, melilotum, aſparagi, chamæmeli, uiola ſicca, balauſtia, & eiuſmodi. Si porrò pertinax inflãmatio palpebras occuparit, oculorum marginibus ſiue ambitui undiq; illinenda ſunt lytium Indum, redactum in linimentum, glautium, aloë, ſantala rubea, acatia, gummi, opium, & auellana Indica cum decocto, aut ſtillaticio liquore polygonij, uirgęue paſtoris, uel aqua ſolani. Quod ſi dolor & ictus acres & uehementes fuerint, linimenta cum ſucco mandragorę, ſiue lactucæ diluto utemur, pręſertim circa morbi principium & declinationem, concocta ſcilicet, materia, atq; id quidem eo tẽpore quo quis deuorarit pulueres auidè. Redigemus autem in tenuiſſimũ pollinem cum glutine pedum & tergorũ animalium, lacte humano macerato, uel cum lacte aſinino cui commixtum ſit, amylũ & ſaccharũ. Poſtremo paucis aliquot interiectis diebus, ubi morbus iam reſedit & mitior factus eſt, conſumpta ferè materia ſub finem ægritudinis, cõficiamus ex iſto pharmaco paſpalam permixto cum his glautio & croci momento, quoniã iſta remedia diſſipant & reſoluunt, humorũ reliquias in membro relictas & redundantes. Euadit autẽ ex his lutei coloris puluiſculus. Oportet aũt hanc cõpoſitionẽ perquã diligẽter cõſiderare, & ſingulorum efficatiam accuratius diſcutere, Nam ſi eam magis aſtringere quàm ex uſu eſſe uideatur, deprehendas, tunc amplius cum candido oui liquore & lacte extenuabis, Sin minus adſtrictoria fuerit deprehenſa confectio, & concocta, & digeſta eſt pleraq; materies, tunc craſſior reddatur, & ſtiptica magis. Atque hęc ſanè & huiuſmodi collyria Monohemera, hoc eſt, unius diei, appellata ſunt. Adeò enim hæc non parũ ſępe magnas inflãmationes mitigauerũt, ut in ueſperam quidẽ homo in balneo uteretur, poſtero die ad inſtaurationẽ peruenit, & proinde Monohemoron, id eſt, ſolo die uno mitigans ac liberans nomen obtinuit. Stupefacientia non ſunt niſi dira doloris urgeat neceſſitas, adhibenda.

### *De Hæmalopis & Hypoſphagmatis, hoc eſt, cruentatis oculis & ſugillatis.* Cap. II.

Αἱμάλοπας καὶ ὑπόσφαγμα καὶ ὑπόπυον, Gręci hoc uitium nuncupant, Latini Sugillationẽ & Sugillata, Neotherici quidẽ maculas, oculi indigitant. Eſt autem nihil aliud quàm ſanguinea effuſio, quũ intra ſuperagnatam oculi membranã, Coniunctiua uocatam, & Corneã ſanguis congregatur. Ea eſt uenarum ruptura ex ictu plurimum contingens, ex qua in oculi extima parte ueluti ſanguinis puncta apparent.

*Curatio*

Curatio Sugillationis.

AD istiusmodi igitur plagas oculis illatas & ad obsorientes ex eis cruentas suffusiones, statim ab initio tum ad inflãmationem, tum ad dolorem compescendum, facit palumbinus sanguis, aut columbinus instillatus, ex teneris præcipue pulli alis seu pennis expressus, Instillari autem oculis ille sanguis e pennis expressus etiamdum calidus. Alij autem columbini loco sanguinem assiseni animalis, quod quidem spõgiam marinam animalculum interpretantur, instillandum censent, aut turturis, immittantq; illum guttatim uel per se solum calidũ, uel boli aliquid Armenię admiscent, uel aliquantulum lemniæ terræ, seu marmoris, aut spodij in uiridi luto reperti, nonnulli auripigmentum rubeum, quod ἀρσενικὸν & terram signatã, aut glebam Æthiopicam in hunc usum præparant. Prodest etiam candidum oui eodem modo in oculum sugillatum instillatum, atq; amplius pura lana exceptum & superne impositum. Confert etiam oui assi luteum cum uino impositum, aut melilotum elixatum cum uino pari modo. Auxiliatur & lac muliebre calidum, per se, aut cum momento thuris illitum. Iam uero complures usu & experientia explorati sunt & commendant Collyriũ cognomento Dinarion, sugillationibus instillatum, ueluti comprimis condu cibile. Atque hæc quidem de curatione hyposphagmatis ex plaga, Ad sugillatos autem oculos, ex ruptura uenarum, confert plurimum Collyrium album, tripherum, id est, delicatum. Quod in hunc modum a Galeno libro de Compositione Pharmacorum secundum locos quarto describit.

Accipe Cadmiæ lotæ denariûm pondo sedecim. Cerusæ denariûm pondo octo. Amyli denariûm pondo quatuor. Gummi, Tragachantæ, singulorum denariûm pondo quatuor. Opij denariûm pondo duûm. Excipe aqua cœlesti, utere cum ouo. Vsus etiam probatur in tali sugillatione Collyrij Dioclei & Allabari, siue Plumbacei.

De Vngue siue Pterygio. Cap. III.

VNguis quod πτερύγιον quasi Alam diceres Græci uocant, Barbaram sectantes linguam ungulam, neruosa quędam est agnatę mẽbranæ excrescentia, quę a maiore quidem cantho, ut plurimum orta usq; ad coronam seu irim oculi progreditur, quæ ita interdum auget, ut pupillam operiat, & speciei officit. Prouenit magna ex parte ex cõtinuo crassi ac uiscosi humoris defluxu. Cęterum quod ad ipsius curationẽ pertinet, magna & diuturna indurataq; Pterygia manum sępe ac ferrum deside

Curatio.

rant &

rant & ægri admodũ amoliuntur. Possumus tamen eadem pharmacis acri bus & abstergentibus serio aggredi. Quã facultatem obtinent, æs ustum, sal ammoniacus, pumex, chalcitis cremata, atramẽtum sutorium, testa se- piæ, & radix iridis, seu lilij, & complura eius generis. Mirifice etiam cõdu cit Collyriũ Basilicũ, hoc est, Regiũ, eo quod ad Cæsarem spectat appel- latum, exquisitũ, acre, & † Euemeri. Præstat autem semper ea quę crassos & lentos humores extenuant & incidunt, deinde ea quę eosdem purgent & euacuent propinare, quorum syluam ex prędictis facile deprehendes. † Rufeuini.

### De Venarum in oculo turgida repletione ex sanguine crasso, quod Sebel cognominant. Cap. IIII.

SEbel est uenarum ocularium repletio ex sanguine crasso proueni- ens, in qua uterculi instar inflantur, turgent & extra modum crasse- scunt cum rubore. Fit ea uenarum fartura magna ex parte cum ma teria & prurigine. Eius itaq; curandi ratio, ab euacuatione auspicanda est, quę tum sanguinis detractione, tum alui deiectione, fit, Secanda uero cubi- ti uena, præcipue autem Humeraria, uel Media. Pharmaca autem quę ca put expurgant in primis expediunt, Cuius generis sunt; Catapotia Aza- ieret, Masticħes, aurea & cõsimilia. Facta euacuatione adhibenda sunt o- culis medelæ lenientes & mitigantes, Cuius farinæ sunt pharmaca quæ crassitiem inflammationis extenuant, incidunt, & plenitatem euacuant. Abstinendum autem a medicamentis acrioribus, quoniam malum istud facillime exacerbatur, Imo inter principia statim priusque in uetustatem ægritudo peruenerit. Tenuissimus puluisculus in pollinẽ & paspalam fria tus cum Collyrio Rubeo, & Collyrio Viridi. Atq; ut summatim huius pa thematis curandi methodum perstringam, principio statim ubi nondum malum in longum protractum fuerit, Simplicia & Composita pharmaca, quorum usus aduersus Lippitudinem, psorophthalmiam, & reliqua oculo rum uitia quæ extenuationem & euacuationem requirunt, pro- batur, huic passioni adhibeantur. Vbi enim malum istud aliquandiu durauerit, nihil præsen tius collectione.

### De Scabie & prurigine palpebrarum quam ψωροφθαλμίαν Græci uocant. Cap. V.

*Sunt appellationes harum specierum corruptißimæ è Græco ut uidetur.*

FIt in palpebris ac genis oculorū sępe pruriginosa quædam scabies, quam Galenus ψωριῶντα βλέφαρα καὶ κνησμώδεις κάνθους, hoc est, prurientes palpebras & pruriginosos hircos, seu canthos nuncupat. Cuius differentiæ habentur quatuor: Quarum prima appellatur Dyssutis, hoc est, prurigo, siue pruritus: Altera Tuicutis & eius intētio est, Asperitudo, siue asperitas, quū exasperantur intrinsecus, Græci τραχώμα hanc passionem uocant. Tertia dicitur Arabicis Sucufuris, Si asperitas in tantum crescat, ut tendi uideatur, σύκωσις à Græcis uocatur, Ficosa palpebra à Latinis appellatur, quę si antiquatur, & callum obducit. Quarta pruriginis species emergit, quæ à Barbaræ medicinæ sectatoribus Tulusuis corruptam mirum uoce, ut in cæteris singularum specierum nomenclaturis, à Græcis τύλωσις nūcupatur, cuius generis est, exiccatio, uel soliditas, quia refert pilos uehementi sua soliditate. Prima igitur non generatur in eo quod apparet de cantho interius & comitantur eam pruritus & rubedo. In secunda amplior pruritus quàm in prima infestat, & sequitur hanc dolor pariter & grauitas, & utriusq; proprietas est oculum iuxtà humectare, Tertia ualentior & uehementior est, quàm secunda, eò quod asperitas increscat in ea, usq; adeò ut in concharum altitudine tensio uideatur, & fissurę ficubus similes. Quarta reliquis est difficilior & immanior species.

#### Curatio.

SCopi curationis primarum duarum specierum communes sunt, utreq; siquidem acrioribus & uehementioribus pharmacis & abstergētibus curantur. E qua classe sunt, Collyrium uiride, Collyrium Rubeum & acutum. Cæterum si quādo cum pruriginosa scabie Lippitudo conueniat, permiscebimus tum in curatione utriusq; mali remedia, tam scabiem quā ophthalmiam respicientes. Si scabies cum ulceribus pariter & pruritu, & acredine infestarit, inter medendum, medelis mitigantia, & lenientia ammiscebimus pharmaca; quæ pruritum & ulcera tollāt. Si antiquatur uitium adeò ut harum specierum limites transgrediatur; sic ut palpebra ficosa reddatur & Callosa, tum genę canthiue saccharo fricentur, aut ferro, quidam fricāt scabiem pumice, aut sulphure, Kifur.

De Area

### De Area genarum, siue profluuio palpebrarum, Græci Πτίλωσιν καὶ μύδλωσιν, Arabici Silac nominant. Cap. VI.

ACcidunt & palpebrarum pilis sua uitia & dedecora, aut enim deflu unt, & à Græcis μαδάρωσισ, uel μίλφωσις, uel μύδωσις uocatur affe ctio. Recentiores casum pilorum nominant, aut præter ordinẽ naturalem augentur, de quibus proximo capite dicetur. Profluuij autem pilorum geminæ sunt species. Nam concidunt aliquãdo propter humiditatem immodicam qua pori nimiũ dilatantur, & pilos retinere non possunt, & quandoq; ex Alopecia hoc morbi accidit. Quin & ob crassitudinem canthorum & genarum pili sæpe non proueniunt, cum areæ rubore & dolore. Quod uero ad singularum specierum curandi rationem spectat, Primę speciei curationis scopus, in capitis accurata purgatione primum, deinde sub finem in linimentis ex medicaminibus acrioribus contextis, consistit. *Curatio.* Ad alterius speciei curationem, inter initia statim usus pharmacorum placantium, & lenientiũ probatur. Post hæc Paspala, hoc est, tenuissimus puluisculus, siue pollen, (quod Alcohol Barbaram medicinã sectantes appellant) ex lapide Armenio, uel Bolo Armenia in cote leuigata magno fructu adhibebitur. *Paspala.* Quod medicamentum aridum inductum, præ cæteris omnibus in pilorum defluuio ex humore calido eueniente congruit, quoniam dum calidum humorem emendat, particula ad suam naturalem constitutionem reuertitur, atque inde pilorum, hoc est, palpebrarum prouentus, uberior emergit, largius alimentum, & ob astrictionem etiam robur & firmitas amplior accedit. Glabras insuper & rubras palpebras, siue genas emendat, muscerda & fimus caprillus crematus pari pondere, cineris calami duplum, cum melle Attico illita.

### De pilis inutiliter in palpebris supernascentibus & pungentibus, quod malum Græci Trichiasin uocant. Cap. VII.

Δυσριχίασις, hoc est, inepta & inutilis palpebrarum prouentus (quam Galenus τριχιῶντα βλέφαρα nominat) ex humorum putridorum copia in capite & oculo aceruata prouenit. Quo circa eius curatio à capitis sollicita purgatione iurè & necessariò auspicatur. Deinde fiat oculis confe cratus tenuissimus puluisculus quem paspalam nuncupamus, ex medicinis acribus, & extergentibus, è quo censu Basilicum, collyrium rubeum a- *Paspala.*

 cutum, &

cutum, & collyrium uiride existunt. Egregiè facit hoc pharmacum: Fellis & sanguinis herinacei terrestris pares partes, fellis chamæleonis tantundē, castorei parū ad formulā squamularū pisciū reducito, & pilis radicitus euulsis, utitor, squamulam unam oris saliua matutina dilutam illinendo, locumq; ad dimidium horæ obligando. Dolitant equidem ex medicamenti huius usu, sed pili amplius non enascuntur. Si cupias annecti palpebris, agglutinabis cum aloë, aut sarcocolla, aut gummi, aut dragachanta, aut gutta ammoniaca, aut thure cum candido oui liquore diluto. Medici quidam genam circa pilorum radices perforant, intromissaq; per exili acuncula pilos inserunt genisq; infigunt tantisper dum producentur, & iusta statione æquentur. Vbi uerò delachrymationes complures de more huius ægritudinis affuerint, conficiatur accuratè paspala ex confectiōe Russenæ, & collyrio folij Indi. Conducit præterea mirificè collyrium è duplici myrobolanorum genere concinnatum, & collyrium Rubeum acre, quorum singulorum descriptionē in libro de Cōpositione pharmacorū comperies.

## De Pediculatione palpebrarum, siue Phthiriasi. Cap. VIII.

PEdiculi quoque in palpebris sæpe ex caliditate naturali, & putrida humiditate nascuntur. Natura quippe eam humiditatem in pilos palpebrarum excernit. Ad eius itaque uitij curationem caput summo studio à talibus humoribus expurgetur, propinatis globulis δι' ἀλόης, & cognomento Cochijs, apophlegmatismis & gargarizatu cum Hiera Picra. Postquam caput & reliquum corpus purgante pharmaco fuerit à putrescente humore leuatum & pulchrè repurgatum, abstergatur locus è pediculis cum aqua marina, uel aqua non insulsa strenuè. Deinde linimentum istud pediculosis palpebris probè inducatur. Quod constat ex aluminis iameni, & staphidis syluestris utriusq; parte una, aloës, & nitri, spumęue ipsius singulorum parte media. Quę singula trita & per incerniculū traiecta, aceto scyllitico excipiantur in usum. Vel redigamus in aridum medicamentum ac paspalam staphida syluestrem, & nitrum aphronitrumúe diligenter in cotes friata, pro oculis.

De suffusione

## De suffusione, quam Græci ὑπόχυμα. uulgò Aquam, aut Cataractam nominant. Cap. IX.

ACcidit quandoq; inter membranam secundinam & Chrystalloidē humorem post pupillæ foramen Suffusio, quæ à Græcis ὑπόχυμα, ab Arabicis Asuchume appellatur, quæ sanè nihil aliud est, quàm crassus & lentus aliquis humor, in aqueo humore oculi pupillaue congelatus, prohibens obiecta uisus ad humorē chrystallinū contingere. Hæc autem ægritudo quando radicibus actis in uetustatem peruenit, cognitionis est facilis. In principio autem, non nisi per notas & significationes cognoscitur, cuiusmodi sunt, quod infirmo uidentur quasi culices uel alia tenuia corpuscula ante oculos perperam obuersari, aut instar aliquid pilorū, aut aliquid ex radijs solis. Quum autem malum inueteratum fuerit, acies oculorum ex toto destruitur, quoniam humoris obstaculo, uisus non potest pupillam ingredi. Non autem sunt aquæ dispositiones omnes æquales, quia earum alia est lympida, tenuis, & bona, & hęc idonea est, ut perforando abscindatur. Alia est salsa, turbida, crassa, & hæc perforando non abscinditur. Cæterū profutura sit abscisio, cum perforatione an non, inde sciemus, dum alterum ex oculis uelamus, & conuertimus nos ad oculum sanum, & uidemus quod iam dilatatur foramen pupillæ eius, scire licet, quod quādo perforando abscinditur aqua, quæ est in eo, species ceu postliminio reuertetur. Et si non dilatatur pupillæ foramen, tunc uisoria facultas non redibit, quoniam dum oculus opertus non dilatatur, significat oppilationem nerui uisorij. Et quando sollicitè studemus subuenire aquosæ huic dispositioni, quę perforando abscinditur, adhibebimus in primis euacuationem corporis totius & capitis, propinando globulos de aloë, deinde pilulas de Hiera Picra, postea cognomento Cochias. Et si indigebit æger pharmacis acrioribus, propinabimus ei confestim Hieram Galeni, præcipuè quando materia infestans est contumax, & corpus tollerans, & in quo pilulæ non expediunt. Post hæc mundificabimus caput cum Apophlegmatismis & Gargarismis de Hiera cōfectis. His actis, reuertemur ad oculū, & redigemus in paspalam, aridum medicamentū, Collyrium rubeum & lene. Cōfert etiam plurimum collyrium de fellibus, ex quolibet scilicet animalis felle, tum ex uolatilibus, tum aliorum, quod sanè melle & succo fœniculi acceptum, magnificè iuuat. Et scito quod fellium natura tenuium est partium & extenuatoria, & fella uolatilium sunt ualentiora, & postea reliquorum animalium. Quod

*Signa.* *Fellium na*

um. Quod si necessitas exigit, curabis cum cautela & custodia.

*De nocturna cœcitate, seu nyctalopis, quod malum Punici Sebitur, & Subuerati, & Subrucati nuncupant.* *Cap.* X.

Νυκταλωπία, hoc est, nocturna cœcitudo, uitium est eorum qui interdiu quidem uident, occidente uerò sole minus, sed noctu omnino nihil, quo malo impliciti νυκτάλωπες Gręcis, nuscitiosi Latinis sunt appellati. Accidit propter capitis imbecillitatem, præsertim propter animalis, nempe, uisorij spiritus, membranarumq; oculi, & cæterorũ humorum tum copiam tum crassitudinem. Perinde atq; usu uenire qui longius dissita acutius, quàm oculis admota cernunt, quemadmodum euenit, silicernijs & senio confectis.

*Curatio nocturnæ cœcitudinis.*

CVratio ægri boni uidelicet habitus, & aliud nihil obstante, à sanguinis missione auspicanda. Incidendæ uerò in cubito exterior quæ humeraria & cephalica dicitur, & in hirquis oculorum, uenę. Ab hoc, stomachus, præsertim humore uitioso redundans, idoneo medicamento purgetur, & per clysterem aluus inaniatur. Post totius corporis euacuationem, conuenientibus apophlegmatismis, quæ masticatoria hodie Barbara uoce nominantur, pituitam è capite per os ducere oportet, ac per nares materiam attrahere, sternutationesq; concitare. Præter uerò cætera quæ cõmemorata sunt pharmaca, unicè confert paspala ex rebus extenuandi, & abstergendi uirtute præditis, quæ utiq; ad huius pathematis curationem usu & experimento sunt explorata. Cuius farinę sunt, piper longum, piper album, terra modica rubea, accipiatur autem singulorum pars una, Conterantur singula, per excussorium cribrẽtur & redigãtur in paspalam. Vsus huius sit frequens. Est porrò aliud etiam haud minus conducibile medicamentum, experientia non semel, in hoc morbo comprobatum, Iecur hircinum in cuspide torrefiat, & achores, hoc est, sanies, seu aquosi humores, qui inde destillant, colligãtur, & fiat inde collyrium seorsim, & cum pipere albo leuigato, & per angustissimum incerniculum transmisso. Torrefacto igitur iocinore, præcipe ægroto, ut oculis inconniuentibus & apertis declinet se super epar tostum, ut uaporosum qui inde effertur nidorẽ ac spiritũ hauriat, quibus accuratè trãsactis cũ sale comedat iecur torrefactũ, quoniã ita comestũ plurimũ cõferre & ad miraculũ usq; maius quã credi possit, dicit. Alij idẽ iecur elixantes, apertis oculis uaporẽ hinc eleuatũ excipiũt.

*De ulceribus*

## De ulceribus oculorum. Cap. XI.

Fiunt ulcera oculorum nunc in membrana Coniunctiua, nunc in Ceratoide, nũc etiam in palpebris, & in canthis, interim à causa externa, interim interna. Numerantur autem talium ulcusculorũ quę oculos infestare possunt particulares differẽtię, siue species à medicis septem, quarũ quatuor per erosionẽ in summa superficie tunicę corniformis, (quę κερατόειδες à Gręcis appellatur,) tres uerò in imo & profundo eiusdẽ membranę, fiunt. Prima itaq; differentia eius, quæ summam cornee membranę superficiem obsidet, est quæ ex humiditate Corneæ fit, quũ ueluti per nebulam ac fumum uisio fit, & quid athomorũ instar ob oculos uersatur, magnam hęc species Iridis, seu Nigrioris, partem occupat. Altera Diaphœnon appellat, in qua uisio tanquã per caliginem & uaporẽ fit, priore profundior, albior & minor. Tertia ἄργεμον à Gręcis dicitur, à Punicis & qui eorum doctrinã sectantur Achymon, fit hoc ulcusculi genus in Iridis circulo, exteriorem etiam locum occupans, ita ut intra Iridem albus color, extra, hoc est, in agnata membranula rubor appareat. Nam quęcunq; ulcera Iridem occupant, in Iridis circulo existunt, quę extra Iridem, tunicam agnatam obsidẽt, & in Iride albi, extra uerò rubei coloris sunt, perinde atq; ea quę in Cornea sunt, omnia ad albedinem uergunt. Quarta πρόπτωσις, disruptio est & corrosio Cornee. Trium autem quę diximus fieri in profundo corniformis, prima βόθρυον nuncupat, quasi fossulã dixeris, quod cauum, arctum, & purum sit ulcúsculũ. Secunda κοίλωμα à Gręcis, ab Arabibus Lilimie, cauum quidem, sed altero latius, minusq; profundum. Tertia, ἐπίκαυμα uocatur à Gręcorum medicis, Arabici Ausume & Alkisume nominant ulcus, id est, sordidum, impurum, & crustosum, ex ruptura natum, æquale illi quę extrinsecus in profundo existit. Magna uerò ex parte, ex humore oculo ab erosione intro nea impacto oritur.

*Adus corruptè hæc species dicitur.*
*Diaphœnon itidem corruptum.*
*ἄργεμον. Achymon.*
*πρόπτωσις.*

### Curatio ulcerum oculorum.

Quod uerò ad curationem omne genus ulcerũ in oculis natorũ attinet, Sciendũ quod eandem quidẽ secundũ genus curationem requirũt, q̃ alia ulcera, sed ob partis naturã q̃ lenissima adhibẽda sunt remedia. Reqrũt aũt cũcta ferè siue in agnata, siue in cornea, siue in palpebris, siue in

*Oculares medelas lenes esse oportet.*

angulis, siue in quacunque oculi parte fuerint, pharmaca quæ abstergunt, ut absterforia sua facultate, materiam superfluam, quæ consolidationem impedit, extergant, neque prius ab eorum usu desistendum est. Vnicus enim curationis scopus est, ut ulcus mundum seruetur. Corpore ergo pleno existē te, & materia acriore etiam dum ad oculum tendente, (id quod unice inter initia perpendendum est,) ab euacuatione tum corporis totius, tum capitis proprie curationem auspicabimur, & reliquam euacuationem præcedat detractio sanguinis, quoniam per hanc opis complurimum, perinde atque cęteris etiam ægritudinibus ex repletione natis, accedit. Fiat autem sanguinis detractio à uenæ humeralis eiusdem lateris sectione. Facta autem cōuenienti phlebotomia, purgātibus medicamentis utemur, potissime uero decocto duorum myrobolanorum, & Hiera Picra. Prodest etiam cum clysteribus aluum eluere atque humorum defluxum ad inferiora auertere. Quod si ulceri cruciatus accedat, sint localia uocata remedia, non solum omnino mordacitatis expertia, sed quę uehemētissimos dolores mitigare possunt, è quorum numero, candidus oui liquor, qui tenuis admodum in oculum cum collyrio albo subinde instillabitur, quoniā albor oui & tenuium, & subtilium est partium & lenit & placat plurimum. In quem etiam usum lac mulieris iuuenculæ, puellam lactantis, ex mamma statim mulgendo calidum oculis instillare, conuenit. Admiscent hisce quidam succos aliquos mitigātes, ueluti madragoræ, & polygoni. Conducit præterea magnifice, ut ea quoque adhibeantur, quæ extergēdi, & exiccandi facultatem natura obtineant. Cuius sane generis habetur, melicratum ualde aquosum, hoc est, aqua mulsa ex multo copiosiore solito aqua confecta, & lenticia fœnogræci quā Barbari mucilaginem uocant. Quod si sanies contumax non promanarit, superinijciemus quæ extrahant remedia, è quorum numero sunt, mirrha, melilotum, & mucosus lentor seminis lini. Vbi ulcus utcunque purgatum declinare cœperit, lentis talium rerū marcoribus abstinebis, & ea quę glutinandi & incarnādi, & ad planiciē reducēdi uim obtinent admouebis, è quorū censu est, æs ustū, thus, cerusa, amylū, ammoniacū, & terra signata, seu marmor ex luto uiridi, & eiusmodi, quæ leuigata ac fœnogræci cremore excepta, redigantur in collyria. Ex his porrò quæ magnifice faciunt, præstantius est collyriū Alubari, quod de plumbo interpretātur aliqui, quum dilutum lacte humano, in laborantem oculum instillatur. Vlcere iam abunde repurgato materia & omni sanie profligata, pharmaco astrictoria facultate

tate prædita non acria, & quæ ad cicatricem ducunt, sunt admouenda. Ab stinendum tamen usq; ab ijs quę mordicus arripiunt, præcipuè si quid iam ex membrana secundina prominere cœperit, quoniam procidentiæ uueæ tunicę neceſſario medicamentis aſtringentibus, & ad cicatricem ducentibus occurritur, cuiuſmodi ſunt, collyria ex pompholyge elota, plumbo uſto, croco, ſquama æris, gummiq;, aqua cœleſti exceptis, digeſta. Et hęc de oculorum affectibus, ad aures accedam.

*De aurium affectibus & dolore earundem.* Cap. XII.

AVrium affectio aliqua ex ſola intemperie, quacunq; occaſione inducta, aliqua ex obſtructione, Alia ex flatulentis & uentoſis ſpiritibus obturatis & incluſis, craſſisque ac lentis humoribus tranſitum non habentibus accidit. Fit & auris dolor ob inflammationem, quæ interim in ſumma cute circa auditorium meatum, interim in profundo exiſtit, quando uidelicet auditorius neruus inflammationem experitur. Quin & ex ulcere quoq; ſiue abſceſſu auditorium meatum occupante, oritur. In pleriſq; uerò ſenſus immenſa teneritas aurium dolorem efficit. Mordaces denique ac ſeroſi humores in corpore aurium generati, & extrinſecus illapſi dolorem ſępe concitant. Aurium dolor, qui inflammationi, ſiue abſceſſui fertur acceptus, ex pulſatili dolore, cum calore, diſtentiōe, grauitate, & ex cōſpicua inflammatione cognoſcitur, quin etiam quod talem dolorē febricula frequenter comitat̄. Eum aūt qui obſtructioni fert̄ acceptus, (quę fit quū humoribus craſſis & tenacib. exitus non pateſcit) teſtantur, capitis ipſiusq; auditus grauitas, uictus ratio, quę pręceſſit frigida & humida. Qui uerò ex intēperie auditorij meatus dolor exorit̄, ex cauſis antecedentib. & euidentib. & ex ęgri querimonia facile deprehendit̄. Quod uidelicet aſſerat ęgrotus, ſe intra aurē, cum dolore inflāmationem ſentire, & qđ pręceſſit uictus ratio, quę calidos humores generat, ætas præterea calidior, tempus anni, locus in quo degit laborans, & ſimilia pręedictis aſtipulant̄, calidā intemperiem auriū dolorē facere cenſeto. Si uerò algorē in aure affecta ſe percipere aitum dolorem ſentire ægrotus phibeat, pręceſſitq; uictus ratio frigida & reliquę etiam cauſę, ætas, tempus, regio, & eiuſmodi tali conſtitutioni reſpondent, tūc dolorem ex praua intēperie frigida oriri ducito. Quod ſi doloris cauſa & uitium ipſum, auriculam, ita ut oculis hauriri poſſit, poſſideat, ſigna nulla requiruntur, quoniam malum uiſui ſe ſtatim ultro manifeſtat. Si contrà malum ſe uiſorio ſenſui abſcondeat, tunc neceſſum eſt, ut ex notis

ut ex notis & ſolerti indagatione & induſtria luſtremus & cauſam rimemur, in hunc fermè modum. Si olfecerimus affectum functionibus officere, ſic ut uideat ęgrotanti ſe murmura ſuſurros, ſonores, ſibilos, & tinnitus accipere, præter manifeſtam occaſionem afficientem, tunc neruum auditorium affligi auguremur. Quod ſi aurium dolor cum aliqua faciei particula communicat, tum cauſam efficientem ex cerebro originem trahere cenſeto. Grauitas porrò & difficultas audiendi, & obſtructio meatus aurium præſens, oppilationem ex abſceſſu, uel ſoliditate, aut ſuperaddita carne teſtatur, creſcit enim ſæpe in auribus caro, Græci ὑπερσαρκῶντα nominant. Obſtruuntur preterea aures gry ſæpius auriculari & pure, quod quum exit πυοῤῥοοῦντα Græci uocant. Haud raro etiam aqua auditorium meatum obturat, eaq; uel medicata, uel ex frigidis balneis, in quibus aliqui ob delicias libenter lauāt, ac natant. Interdū etiam lapillus incidens, uel planta quępiam, aut ſimile corpuſculum cuneoli modo porum auditilem obſepit. Stipatur idem aliquando meatus uermiculis irrepentibus. Gręci Σκωληκιῶντα, Romani uermiculoſas aures uocitant, nec prohibet idem à ſimilibus aliis animalculis contigere. Eſt quādo dolorem conciliat obſtipatio nerui à cerebro tendentis, quum uidelicet, craſſi & glutinoſi humoris affluxu, aut flatulento ſpiritu craſſo conſtipantur. Eſt præterea & infantibus quidam peculiaris aurium cruciatus.

### *Curatio dolorum omne genus aurium.*

AVrium dolores communem & eandem in uniuerſum fermè curādi rationem requirunt. Totius nempe corporis euacuationem per ſanguinis detractionem, & per pharmacum purgatoriū, obſtructionem liberans, & humorem præpollentem euacuans, & uictus ad hæc rationem iuxta cauſæ diuerſitatem accuratè conſtitutam, quæ humorem redundātem ac uitioſum corrigat. Rationem detrahendi ſanguinis in his affectionibus, ex capitibus ſuperioribus capitis ægritudinibus dicatis ſtudioſi petāt. Purgabimus itaq; caput cum medicamentis quæ pituitam è capite per os ducunt, & maſticatoria dicuntur, & cum gargariſmis in hoc preparatis. Et ſi uſus & neceſſitas poſtulare uidebit, propinabimus ægrotanti Hieras quaſpiam magnas, ſiue Galeni, ſiue Archigenis, ſiue Iuſti, ſiue Ruphi, aut Hieralogodium, iuxtà enim ferè omnes cerebro conferunt. Præterea ſternutamentorum quoque his in malis locus erit, quæ conſtant ex rebus acribus, puta,

bus, puta, Struthio, ſampſucho, pipere, caſtoreo, & elleboro albo. Præſertim ſi aures humoribus craſſis, & uiſcoſis, flatibus item uentoſis non tenuibus oppilatæ ſunt. Si cum eiuſmodi obſtructione dolor urgeat, tũc res & uſus pharmaca, quæ citra uehementem mordicationem ſindant, diducant, & expurgent, ſumme exigunt, ex quorum claſſe, nitrum ipſum, uel aphronitrum, exiſtit, quum melle & aceti momẽto exceptum, auribus ſtillatim inditur. Ex cathalogo præterea eorum quæ plurimum in eiuſmodi conſtitutione conducũt, eſt, fel caprillum, ſi oleo quopiam calorifico dilutum in aurem ita habentem inſtilletur. Vtilis etiam fuerit aqua cucurbitæ ſylueſtris, quam κολοκύνθιδα iam omnes Græce nominant, in aurem affectam calida guttatim infuſa. Conferunt pari modo auribus indita, oleum raphaninum, & oleum de amygdalis amaris, & oleum in quo allium, aut porrum, cepaue elixata ſint. Vnice facit ad eundem dolorem auris ex oppilatione conciliatum Succus ſeminis canabis (quod Aſſedenegi uocant Punici) expreſſus atq; ceparum, aut porri cremor. Quod ſi obſtructio quidem infeſtarit, ſed citra dolorem ingentem, tum aduerſus hanc pharmacis acribus, & cum uehementi morſu incidentibus, & mundificantibus, pugnã dum eſt, e quorum numero eſt dracunculus, quam δρακοντίαν Græci nominant, & herba ſabina, & id genus cõpluria. Si uero obſtructio, citra omnẽ quidem dolorem, ſed cum audiendi grauitate perdifficili euenerit, exhibẽbimus paſtillos cum ueratro iſto modo apparatos. *Aſſedenegi.*

*Paſtilli ad ſubſurros, ſiue grauiter & difficulter audientes, & ſurdaſtros appellatos.*

Accipe Veratri candidi aureos duos, Nitri aureos ſedecim, Croci aureos treis. Conterito ſingula & excipe cum melle ac digere in paſtillos, quos in aceto dilutos auri ſurdæ inſtillabis. Plurimum etiam conducit radix ellebori nigri, quando cum nitro Armeno in aceto trita melle excipitur, & in auriculam obtuſam deſtillatur. Fel taurinum ſimiliter cum betæ ſucco, & diluto abſynthij calido prodeſt.

*Curatio doloris aurium ex frigiditate.*

SI cauſa doloris aurium ex intemperie frigida oboritur, quod ex laborantis quærimonia pateſcit, quoniam de nullo neque ardore, neque inflammatione, ſed de ſolo algore in aure concepto quæritur, & tenſionis ſenſum percipit, calidis rebus applicatis delectatur, frigidis offenditur. Calfacientibus itaque præſidijs neceſſario utemur, utpote, quibus ſolis celerrime curabitur æger. Nempe, oleo ſpicato, oleo rutaceo, laurino,

ceo, laurino, irino, liliaceo, narcifcino, chamæmelino, anethino, nardino, de euphorbio, acanthino, aut petroleo albo, aut oleo ricinino, aut galbano eliquato tepido cum oleo de uiolis luteis, & id genus cæteris. Mirifice insuper facit ad ita affectas aures, oleum de fcorpionibus, quando auriculę infunditur, uel quãdo lana eo imbuta in aurẽ conijcitur. Quod si uirulentum quiddam ex auribus effluere uidebitur, oleo canabino nihil erit præstantius.

*Curatio doloris aurium ex calore contracti.*

SI uero ex intemperie calida dolor excitatus fuerit, cãdidus oui liquor instillandus, aut etiam fuperinducendus tepidus eft. Vel lac puellam lactantis fœminæ, cum aliquo collyrio anodyno, puta, Albo, oculorum doloribus proprie confecrato. Quod fi dolor urgeat immenfus grauis, & intollerabilis ferme, qui periculum minatur, neceffarium eft etiam ijs, quę leuiter fenfum ftupefaciunt, uti. Mifceatur itaq; aliquid opij diluti cum oleis quibufdam humectãtibus & infrigidantibus, & fundatur in aurem, uel alijs liquoribus, qui ipfi per fe frequenter aurium cruciatibus & inflammationibus congruunt, Verbi gratia, lacti muliebri, aut oui candido. Sunt qui opio, rofaceum, & uiolaceum confundunt oleum. Aut diluamus paucul͂u Philonis antidoti cum albore oui liquido & tenui, calfactumq; mediocriter auriculæ ad fedandum dolorem inftillabimus. Iam & oleum rofaceũ per fe, & cum aceti momento idem præftabit. Oleũ item de falicibus, de nymphæa. Nonnulli fuccis ad hoc frigorificis, nempe Solani, & coriandri humidi utuntur.

*Curatio doloris aurium ex abfceffu.*

QVod fi abfceffum aliquẽ (quod ἀπόστημα Græce uocant) calidũ cum doloribus aures experiũtur, Si is foris exiftit, haud multum negocij prębebit, & facile & ocyffime curabitur, fin intrinfecus fuerit, curatu erit ualde difficilis, tum ob membri effentiam, tum ob cerebri uicinitatem, & ueluti germanitatem proximam, & fi dum in fuppurationẽ uerti cœperit, (dumq; pus & fanies collecta fuerint,) uiolentia doloris, & omnis difficultas diminuatur, iuxta illud Hippocratis: Pus quum gignitur plus afficit quàm factum. Si uero nulla fuerit neq; faniei, neq; puris collectio, & fuppuratio nulla, erit exigua in medicamentorum præfidijs falutis fpes. Vbi autem abfceffus ipfum auricularem feu auditorium meatum occuparit, & feruentis intenfiq; tum caloris, tum inflãmationis fuerit, & ætas, & uirium robur

robur non obstiterint, statim sanguis ex Humerali uena eiusdē lateris mittendus est, Quod si quid uenam pertundere prohibeat, cucurbitulis affixis, sanguinem incunctanter detrahemus. Quo facto, mox euacuationem purgatorio medicamento moliemur, præcipuè cum decocto duorum myrobolanorum, & Hiera Picra. Post hæc Topica, localia appellata remedia adhibebimus. Succum itaque ramenti cucurbitæ in auriculam guttatim fundemus, uel solum, uel ammixto oleo rosaceo. Commendatur etiam Collyrium Glaucinum Memiche appellatum Punica lingua, cum momento opij, quæ leuigata auri cum lacte muliebri instillantur. At si apostema calidum quidem citra feruentem inflammationem fuerit, abunde faciet, oleum rosaceum per se, uel cum momēto aceti instillatū. Quin & ipsum Collyrium Glaucinum seorsim aceto leuigatum, in auriculam tepidum fœ peinstillandum. Pari ad unguem modo cuncta quæ cum glaucio & croco conficiuntur, prosunt. Si uerò abscessus remittatur, & mitior euadat, nec urgeat febris, neque inflammatio acris, neque anni tempus, neque ætas, neque regio uehementi calore obruta sunt, tunc exiguam portionem ungenti Basiliconis appellati acceptam, liquefaciamus, Hyberno tempore, cum oleo spicato, Æstiuo uerò tempore, cum rosaceo. Neque immittamus ungentum in aurem nisi tepidum, Liquet enim luce clarius, quod quicquid auribus adhibetur, mediocriter calidum esse oportet. Opportunitas autē adhibendi, erit, quum auris afflicta tractabilis, suauis & nihil tangenti renitens uidebitur. Atque hoc est, quod perpetuò in omnibus pharmacis, quę auribus applicanda sunt, obseruandum est. Frigidum quippe huic membro infestissimum, & ualde pestiferum. Porro si abscessus oculis conspici, in aperto situs, possit, emplastrum ex hordeacea farina elixata cum succo medicato, quem Arabes Rob dicūt, contextum inducatur. Est uerò succus medicatus, qui primus defecatur & solis ignisúe æstu sic densatur, ut diutilè à corruptione reponi in usum possit. Expedit etiam illud emplastrū: *Succus medicatus quid.* Lomētum fabaceum, chamæmelū, uiolæ siccæ, farina hordeacea, althæa, melilotum redigantur in emplastrum cum aqua & oleo uiolaceo secundum artem. Aut sumatur aqua stillaticia solani cum oleo sesamino, elixentur obiter, inspersaq; farina triticea, conficiatur emplastrum.

*Pharmacum aliud auriculare apostemata maturans & resoluens.*

ACcipe Stillaticium liquoris brassicę, & olei liliacei, siue irini, quantū uidebitur, decoquantur unà paululum igni clemente, deinde lomentum fabarum utrisq; adijciatur, rudicula agitentur & permiscentur ad compaginem quę ad induci possit, adplicetur more ungenti, siue malagmatis. Quod si abscessus ad suppurationem ac saniem peruenire cœperit, & ulcus euadat, applicabimus ante omnia glaucium lęuigatum cum lacte muliebri elixatum. Aut sarcocollam excipe cum melle & recipe in linimentum retortum, lanaue carpinata, & adhibe. Vngentū præterea Basilicon, oleo rosaceo liquefactum in aurem utiliter instillatur. Aut accipiatur thus, myrrha, aluminis parum, & mel, diluantur cum modico aceto, & auriculæ guttatim infundantur. Proderit non minus aloë, siue cum aceto, siue cum oleo diluta, pari modo adhibita. Quod si fluat aut emanarit sanies copiosa, & graueolens cum sanguine aquoso, Excrementum ferri leuigetur in aceto, & in solis uel ignis calore densetur, & in aurem saniosam fundatur. Vbi uero malum iam māsuetius euaserit, ex usu fuerit pharmacum, ex ęrugine æris confectum, & in auriculam destillatum. Sed conficiendi eius medicamenti ratio sic habet: Æruginis æris, quod Arabum Medici nūc Zinzar, nunc ziniar appellant, mellis & aceti par modus, ad mellis usq; crassitudinem elixentur, atq; ita auriculę indatur & applicetur cōfectura. Sunt uero qui hoc pharmacum alio modo præparant. Præsentissimum etiam remedium, contra eiusmodi aurium ulcera, fœtidam & aquosam saniem distillantia dicitur esse, quod subijciam.

*Pharmacum Aegyptium appellatum ad saniosa aurium ulcerata optimum.*

AEgyptium cognomento pharmacum accipit mellis unciam, aceti acerrimi denarios sex, ęruginis ęris denarios duos. Apparat aūt hoc modo: Mel æreo uasi inijciatur, spuma subinde tollitur, acetum insuper infunditur, & usque ad crassitudinem strigmenticiā decoquantur, mox ærugo æris trita inseritur, fiat confectura, unde dum usus exigit, in carpto linamento adplicabis, uel diluatur in aceto, & distilletur in aurem.

*De audiendi difficultate & surditate.*

ΔΥσηκοΐα καὶ βαρυκοΐα, hoc est, Difficultas audiendi & grauis auditus, siue surditas, quod malum Græci κώφωσιν dicunt, quibus in primo statim ortu, quibusdā postea quàm nati sunt accidit. Si ex ortu comitatur, & in uetustatem

& in uetustatē peruenerit surditas, & neruus auditorius fuerit læsus, curationem nullam admittet. Si post generationē superuenerit, & antiquata fuerit, difficilis erit curatu, uel omnino insanabilis. Si nō fuerit absoluta sed diuturna tamen & ipsa difficillime curatur, aut immedicabilis existit. Si recens sit, & ex biloso humore, sursum uergente, calfaciente & inflammante nascitur, facile curationem recipit. Si uero ex crudis crassisq; humoribus auditorium meatum obstruentibus prognata fuerit, non quidem omnis abijcienda salutis spes est, tanquam deploratum & immedicabile esset malū, sed diuturnum fore & difficillimum curatu censebis.

*Curatio surditatis & grauis auditionis.*

SI ob biliosum humorem sursum uergentem & uapore caput tentātem, nascat surditas, uel grauis auditio, uacuationibus per medicamēta bilem ducentia ex facili curabit. Atq; talis quidem interdum etiam naturalis fit euacuatio, qua nonnulli sua sponte liberantur à morbo, bile inferius descendente. Quod Hippocrates Aphorismorū libro quarto, sententia uicesima octaua, etiam ijs uerbis confirmat: ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα κωφώσιος ἐπιγενομένης, παύονται, καὶ οἷς κωφώσις χολωδέων ἐπιγενομένων, παύεται. Hoc est, Si ijs qui biliosa deijciūt, surditas superueniat, biliosa oletula tollit. Si uero surditas prius fuerit, si biliosa supuenerit deiectio, surditas cessat. Euacuatur autem quandoq; biliosus humor, pharmacis purgantibus & urinam prolicientibus, cuius cæræ sunt, Hiera Picra, pilulæ δι' ἀλόης, scāmonia, interius fartum cucurbitæ syluestris, mel aëreum, & mastiche. Ab euacuatione consumata, per pharmacum facta, uictus cōfert ratio temperata & humectans. Flaua nanq; bilis, humor est siccus, eoq; humectatione indiget & abstersione cum aqua potabili. Arceantur autem ægri ab omnibus quę biliosum humorē pariunt. Si uero ex crudis, crassis, lentisq; humoribus, auditorijs meatibus impactis, prognata fuerit surditas, & audiendi difficultas, præsentissima erit curatio, primum cum pharmacis, quæ extenuant, findunt & diducunt, Vt sunt, oxymeli, syropus oxalidis, seu acidus, acetum scylliticum, & alia id genus. Deinde cum euacuantibus, Verbigratia, Hiera Picra, & catapotijs Cochijs, alijsq; similibus. Corpore uniuerso purgato, pituita apophlegmatismis, gargarismis cum Hiera & sternutamentis ex capite elicienda est, utendum interim & uictus ratione extenuante. Caput pretereasiccandū & modis omnibus corroborandū. Balneis itē naturalibus uel aqua marina, uel alioqui salsa lauandū. In ipsam uero aurem

*Flaua bilis.*

inijciēda medicamēta, quę findūt, incidūtq; crassos & uiscidos humores,
qualia sunt, Castoreū cum oleo anethino auriculę infusum, & rutæ succus
cum melle, aut fel caprillū cum galbano, & cętera id genus, quę lentos hu
mores potenter extenuant, scindunt & diducunt. Fotus quoq; ex talibus
cū spongijs fieri ex usu est.

*De aurium sonoribus ac murmure.*

SOnitus quidā in auribus ac murmura sępe fiunt, quē Græci ἦχον καὶ συ-
ριγμόν, Vulgò uerò, tinnitū recentiores uocāt, sæpius ex imbecillitate
partiū auditoriarū, generant, ubi scilicet ex morbis iam conualescentibus
incidit, humore neruorū auris absumpto. Interdū ob exquisitā sensus audi
endi subtilitatē. Gignitur etiam ex causis forinsecus lacessentibus, προκατα-
κτικοῖς à Grecis nuncupatis, frigore, ęstu, ictuq; capitis, plerunq; ex flatibus
uentosis & crassis humoribus impactis, & in radice nerui auditorij resolu-
tis. Tuū autem fuerit inter præsentes cōstitutiones discernere, per uictus
rationē quæ antecessit, & eam quæ in pręsentiarū existit dispositio. Quoni
am si æger crapulosus ac gulosus fuerit, & cruditate aliquādo laborarit, &
cibis inflandi uim habentibus usus sit, tum sonitum aurium, uel spiritui flatu
lento, qui exitum non habet, uel crassis ac glutinosis humoribus acceptū
referas. Nam si ex certis interuallis ingruant, quieuerintq; sonitus, euiden-
tissimū argumentū est, quod flatulētus spiritus qui transitū non habet, ma
lum producit. Si una uice, & confertim, irruant continuè, in eodem tenore
sonitus persistāt, ad humores crudos qui sursum ad caput eleuant referēdi
sunt. Sonores ac sibilos auriū ex alijs causis ordientes facilè deprehen-
dent omnes. Quod si propter iudicatoriū, quod expectat, eueniant, tunc
*Curatio si ab audiendi acrimonia.* nulla omnino medela adhibenda est. At si propter sensus audiendi subtilita
tem & acrimoniā, sonitus auriū accidant, tum ijs quæ sensum obtundunt,
ac hebetiorē reddunt utendū est. Opij igit pauca aliquot grana, cum tan-
tundem castoreo tēperabis, & utraq; aceto leuigabis, tepidumq; factū in au
rem instillabis. Laudat plurimū oleū quoq; rosaceū, & à Galeno succus mā
*Si à morbis.* dragoræ & papaueris. Si autē post morbū, conualescentes malū infestaue-
rit, absynthij decocto aures foueri debēt, deinde oleū rosaceū instillandū.
Aut radiculæ succus cum rosaceo infundendus. Si his parum proficimus
perdurante sonitu, ad ualentiora progrediendum. Veratrum itaque ni-
*Si à flatulentis spiritibus.* grum ex aceto decoctum adhibeto. Si uerò ob flatulētos & uentosos spiri
tus interclusos, qui prosilire magno nixu contendūt & perarctū luctātur,
sonores & sibili fiūt, tum ea quæ findūt, aperiūt, flatus discutiūt, ac dissipāt,
sunt usurpanda. Leuigabis ergo in oleo amaracino, euphorbiū, uel idem in
oleo

oleo cyprino,siue de alchanna,conterito,calfacito,& in aurem tinnientem instilato,aut castoreū,oleo rutaceo tritum & tepefactum pari modo guttatim infundito.Si ab humoribus crudis,crassis, ac lentis auditorio meatui impactis,& coartatis aurium sonitus nascatur,purgato prius capite cum pilulis cochijs,& similibus,pręmissis tamen potionibus quæ incidendi & extenuandi uim habent.Deinde in aurem subinde instillandum nitrum aceto tritum,melle exceptum & calfactum. Aut ueratrum album, castoreum & crocum pari pondere trita,aceto & oleo sisamino diluta,calfactaq; in aurem distillentur. Magnificè porrò hoc medicamentum quum ad audiendi grauitatem,tum ad sonores & susurros auriū confert, quod sequitur.

*Medicamentum auriculare ad grauem auditionem & sonitum aurium.*

SVmatur Veratri candidi aureus unus,Castorei oboli tres,nitri cataritquatuor & semis,Commixtis & leuigatis omnibus probè, utere cum aceto cum res exigit, perinde atq; ceteris auricularibus remedijs.

*Medicamentum ad idem aliud.*

STruthij,quod officinæ condisi nuncupant, & croci singulorum aureus,nitri aurei tres, terantur,& redigantur in pastillos. In usu diluantur uino,& usurpentur.

*Medicamentum aliud ad dolorem aurium.*

TErebinthinæ colo trāsfusæ uncia una,olei de uiolis luteis,unciæ tres, olei amygdalini, de amygdalis nempe amaris uncia dimidia, elixetur usq; ad liquefactionem terebinthina, misceatur cum oleo & reponantur in usum uase uitreo.Distillentur in aurem quotidie in aurora ac uesperi tres guttæ.

*Medicamentum aliud ad dolorem & sonitum.*

ACcipe mellis lubne,hoc est,Styracis unciam dimidiam, adfunde olei de uiolis luteis unciam unam,calfacito ad ignem,& repone in uase uitreo,quum res & usus requirit,distilletur in aurem.Sed quo uetustius & uetulum magis existit,tanto præstantius.

*Medicamentum aliud ad dolorem aurium.*

SVmatur fel taurinum,& oleum de uiolis luteis pari mensura, ferueant clementi igne ad tempus lentè & suauiter,quo ad fel absumatur & oleum restet. Deinde colo trāsfundatur & in uase uitreo reponatur,& quum necessitas est,gutta eius una in aurem distilletur.

*De eruptione sanguinis ex aure.*

QVando erumpit ex aure sanguis Græci αἱμαῤῥοοῦντα ὦτα nuncupant. Quod ubi decretorij ratiõe fit, non erit supprimendũ, quoniam exit sanguis uitiatus & malus, nisi modum immodice excedat, tum sane sistenda erit, perinde atq; dicet eruptio. Si uero aliã ob causam sanguis ab aure prorũpat, Verbi gratia, propter ulcus, aut ictum, aut uenę rupturã, tum oportet confestim occurrere, & profluuium instillatis rebus sistentibus compescere. Licinio item pharmacis sanguinem cohibentibus imbuto, cuius farinæ est, decoctum gallarum, & ramni cum aceto, & succo polygoni, seu uirgæ aut peræ pastoris, & arnoglossi, & collyrium de glaucio, aut acatia, aut id genus alia. Quod si metus sit, ne congeletur & concrescat sanguis, tunc succum porri aceto permixtum in aurem destillabis, tantisper dum sanguis exiccetur, ita quidem ne auditorium meatum lædat & corrumpat, aut madefactum in eodem pharmaco linamentum tortile inijcito.

*De sordibus auribus impactis.*

SOrdes sępe & saniosi & serosi humores in aurium corpore generant, quod Græci πυῤῥοοῦντα ὦτα καὶ ἰχωῤῥοοῦντα nominant, aduersus quod malum agendum est rebus quæ sordes expurgent, quod pulchre efficies cordumeno nitroq; tritis, & cum caricis sine acinis, exceptis & conditis, e quibus faciendum est linamentũ tortile oblongum, auribus inferendum, & semper alternis diebus extrahendum, uel tertio quoq; die. Aut nitrum cõterito in aurem inspirato, acetum insuper guttatim infundito, mox aqua calida cui nitrum admixtum sit abstergito. Deinde squamam æris, & tantundem auripigmenti rubei, melle exceptum, & aceto dilutum instillabis, & tempore haud ita multo interiecto, aqua calida, aut melicrato abluito.

*De uermiculis qui in auribus nascuntur, seu aliás irreperunt.*

SI uermiculi aures infestarint, Gręci σκωληκιῶντα uocant, interimantur succo capparis, infuso uidelicet eo stillatim cũ aceto in aurem. Succus etiam corticis radicis mori instillatus unice iuuat, & uermes interficit. Idẽ pręstabit aqua stillatitia, siue decoctũ foliorũ Persici, & elleborus albus aceto & uino leuigatus, & aurib. infusus. Cõmendat etiã succus abrotani, & succus calaminthę fluuiatilis. Magnifice prętere a scãmonea in aceto leuigata, & in aurem uermicosam instillata prodest. Quin & asseæ, melissęq; succo pereunt uermiculi. Absynthiũ præterea & Radicula quem Græce raphanũ dicunt, & capparis, & nitrũ, seu aphronitrum, & aristolochia longa trita, & in aurem inspirata lũbricu los interficiunt. Quę utiq; pharmaca

auribus

auribus flatu,seu alio quocunque modo indita, cetera quecunque animalcula perimit & elicit.

De auriū paßione ex aqua & qualibet re exigua quæ se in auditoriū meatū insinuauit.

QVibusdā accidit in balneis & natationibus frigidis,aliȷs in thermis,in quibus nonnulli uoluptatibus indulgentes frequenter lauant, ut uel frigida uel medicata auriculā ingrediatur, quibusdā aliud quiddā minimū in aurem cadit,quarū utiq; curatio fere communis est. Verū ad aquam uel copiosam etiā euocandā,nihil prestantius est, quā oris suctio, quæ similiter per harundinē,aut qualēcunq; cannalē exugi & extrahi potest. Excutiet etiam aquā facile,si quis alteri pedi innixus, capite parūper in affectā aurem decliui,saliat. Cæterū à suctione statim oleum quod sit tenuiū partiū,uerbi causa,amygdalinū,& auellaninū infundere expedit,eluuntur enim hoc pacto,mox etiam extergere molli lanæ cōuenit. Adeps anserinus plurimum confert. Vbi uero calculus quispiā aut quid ipsius instar in meatum auricularem inciderit, Mucronem exilis specilli lana inuolutum & in gummi, aut glutino,aut pice,aut simili materiei facile adherenti madefactum,immitte, atq; ita facile extrahes. Atqui si cum tentula arripere queas, non inconsultū fuerit,& eius auxilio uti. Si uero his actis, parū profecerimus,neq; quod molestabat,extraxerimus,errhinis utemur appositis, & sternutamētis,ore nēpe ac naribus obstructis,positaq; manu super aurē affectā,inclinatoq; capite in eiusdē auris latus, Sic em̄ flatus uiolenti motu per aurē prorūpens, quācunq; rem illapsam facile excutiet. Quod si ne tum quidē res illapsa excutiet, oleū instillabis auricule præcallidū,fieri nanq; hoc pacto potest,ut cum humore effluenti,corpusculum inhærens oleo liquefactum,& luxatū ac liberum, promanat. Cæterum quotiens ista ratione extrahendi uteris, exactissima cautione opus est,ne abscessus aliquis superueniat,& conuulsione corripiatur affectus.

De dolore auris ex flatu uentoso & crasso.

SI crassis flatib. uētosis exitū non habētibus auris afficiāt. Vaporibus de cocti chamæmelorū,foliorū lauri,meliloti,anethi, calaminthe,origani,sampsuchi,maioranæue,libanotidis,& bethonice,succurres,si eo in fictili fidelia feruefacto & inclinato super hoc aure,per infusoriolū & exilē cannalē,uaporem ægrotus hauriat,cooperta undiq; & cannali & capite,necubi spiritus ille decocti uaporosus exhalet. Quo fotu diligēter facto,oleū raphaninū,siue amygdalinū, aut simile quoddā excalfactū oleū auribus instilletur. Vnice confert ad talē etiam affectū pharmacū illud,quod subȷciā.

*Pharmacum auriculare ad uentoſos flatus aurium.*

SI craſſi flatulenti uapores in auricularibus meatibus infixi dolorem excitent, fiat elixatio hyſſopi, aut maioranæ in oleo liliaceo, ſiue irino, caſtoreiq; aureo inſperſo, momēto eius in aurem afflictam ſtillatim infundito. Aliud: Succus rutę ſylueſtris, melle exceptus auri infundatur. Aut Amomum contritum & melle exceptum iu aurem tepidum infundas. Quod ſi ſonitus atq; ſuſurri aurium etiam infeſtarint, tum ſemidenarij pondo gariophyllorū marium, cum † octo granis moſchi cum ſtillaticio liquore ſampſuchi, & uino permiſcebimus, leuigabimus & diluemus, deinde portiunculam eius ſubinde inſtillemus.

† *Aliâs ſex.*

*De aurium dolore infantium.*

NOtandum quod infantium dolores aurium populariter & maxima ex parte humoribus debentur, & ſolet illi crebrius accidere, quod adultis rarius poſt morbum contingit. Quod autem ad curationem infantium attinet, dolor qui ipſis in auribus accidit, maiorana & ruta ſæpe curatur. Si eadem in oleo roſaceo decocta, in aurem radio ſeulana purgatam & abſterſam, ſtillabimus. Aliud: Sumat uir aliquis impaſtus ieiuno ſtomacho origanum cum momento ſalis ſaxei in os, atque manducet dētibus probè, atq; ita præmanſum in aurem infantis inſpuat. Lac etiam muliebre, in quo ſalis momentum dilutum ſit ſummè proficit, ſi afflictis puerorum auribus ſcitè infundetur.

*De morbis ac uitijs narium.* Cap. XIII.

ORiuntur affectus quidam ſubinde in ipſis etiam olfactus organis, qui odorandi functionem corrumpunt atque oblędunt. Idq; aliâs propter affectionem prioris ſpecus cerebri, aliâs ob morbū quēpiam ſeu uitium aliquod quę nares ipſas infeſtant. Vbi uerò uitium in ſinu anteriore cerebri conſtiterit, aut ob prauam ſanè eius loci intēperiem accidit, aut ob humorum uitiatorū, qui ei loco aceruata impingūtur, cōtingit. Affectuum porrò qui naribus obueniunt, alij quidem odorandi uirtutem ex toto tollunt, cuiuſmodi eſt quę oſſibus utriſq; narium euenire ſolet obturatio, humoribus craſſis & glutinoſis duo foramina, quę ad palatū tēdunt, obſtruentib. unde omnis ferè offenſa, ne dicā abſolutè, omnis, oboritur. Id quod uel cœco, ut dicit̃, facile conſpicuū eſt. Si caro in eis cōcreſcit σάρκωμα ἢ πολύπουν uocant Gręci, & eſt abſceſſus, multos ueluti pedes inſtar animalis polypi, habēs, creſcit em̄ in utriſq; ſępe nariū foraminibus pręter naturā caruncula, & ſanè niſi in tantā molē pręter naturā tollat̃, ut foramina nariū obſtruat.

obstruat,nihil officiet olfactui. Ex his quę odorādi facultatē ex toto demoliuntur,itidem sunt ulcera putrida & fœtida,quę in utrisq; naribus propter humorū acrium affluxū,emergunt(Græci ὄζαινας dicunt)quū seorsim per se,tum symptomatū ergò,quæ talia ulcera iugiter comitant. Nam si in utrisq; carūcula præter naturā usq; ad oppilatiouē nariū increscat, & putrefactio itidem in utrisq; ,usq; adeò ut meatum odoribus qui sunt forinsecus attrahēdi,præcludat & transitu difficillimū reddat, odorādi sensum utraq; necessario impediunt,corrūpunt,atq; in totum quandoq; demoliunt. Quū igitur sensus ille ex toto fuerit abolitus,de uocis organo sciscitari oportet, unà ne cum odorandi sensu,uocis etiam instrumentū adeò oblęsum fuerit, ut æger uerba per nares non sine dedecore faciat, tūc corruptio est inodoratu solo, quoniā eius oblæsio,ex offensa anterioris uentriculi cerebri ortum habet. Scituq; omnino dignū, ut quā ob causam eidem cerebri specus quos uentriculos dicunt,lędant. Id quod ex cōmunib. notis praue tēperaturę cerebri facile liquet,uerbi gratia,si ab intēperie sit calida,caput erit calidum & febrienti similis, facies rubore suffusa inflammationem refert, & à rerum calidarū admotu lædit,gelidis delectat. Tum itaq; affectionē istā ad calidā intemperiem referendā coniectato. Si uerò his contraria cōpareant signa,tū ex distemperamento frigido malū oriri ducito. Si est cum pluri morū excrementorū euacuatione ponderis alicuius instar grauedo, tunc uentriculi anterioris cerebri non,nisi praua intēperatura materiosa calida lædunt,pręsertim si anterior patientis pars rubore suffundat cum inflāmatione. Si uerò præter superfluitatū euacuationē,adsit onerosa quædā grauitas,considerandū erit,num excrementa quę eijciunt sint concreta,coagulata,crassa & cruda,non liquida & tenuia,tum ægritudinē ex materia frigida originem trahere reputandū est. Qui uerò morbi & uitia nariū foraminaita,ut oculis conspici bene possint,occupant,haud difficulter cognoscunt,item si profluuiū sanguinis nariū decretorij ratione fiat,suis notis facile deprehenditur. Et si eruptio sit sanguinis ex plethoria eiusdem potissimè humoris,aut propter acrimoniam ipsius hoc quoque sui significationibus ostenditur. Id quod ipsi capite huius libri uicesimo sexto de eijectione sanguinis per sputum commemorabimus.

*Curatio affectuum qui in naribus eueniunt.*

QVando olfactus propter malam prioris cerebri specus intemperiem corrumpitur,curationis uniuersa indicatio pendet à contrario intēperiei. Si uerò uitiū humorib. inibi coaceruatis debet, tūc ab euacuatione humoris

humoris uitiati auſpicanda eſt curatio. Expurgetur itaq; à principio ſtatim uniuerſum corpus pharmacis humori redundanti, aut uitiato conſecratis. A totius corporis accurata euacuatiõe localibus uocatis auxilijs utemur, quæ humorem uidelicet prępollentem per os euacuent. Nempe apophlegmatiſmis, gargarizationibus ex pharmacis ad hoc factis conſtantibus. Si uerò odoratus uitium ad obturationem duorum oſſium fixorũ propter humores craſſos, uiſcoſosq; impactos, quemadmodum uiſus clarè aſſequitur, tum curationem à medicamentis, quæ humores craſſos extenuant & uiſcidos incidunt ac findũt, auſpicabimur, cuius factionis ſunt, quorũ mentionẽ fecimus in capite undeuiceſimo de Catarrho & Coryza inſcripto, niſi quod oportet hęc quæ naribus adhibent̃ uehementiora eſſe, quàm ea quæ catarrho & coryzę. E quorum numero erit urina Camelina, quę ſicca naribus inſpiratur. Eſt quando ex eadem caput purgatur & abſtergitur, quum aquæ ſtillaticiæ auriculæ muris, aut ſtillaticio liquori betæ confunditur. Ad mala autem cætera quæ naſum ſæpe affligunt, & odoratũ corrumpunt, Verbi gratia, ulcus, cognomento phymus graueolens, aut fœtidus, & hæmorrhoides, hoc eſt, ſanguinis eruptio, utemur pharmacis quę ſequuntur, & ad hunc modum præparantur.

*Pharmaca ad ulcera putrida nariũ & Sarcoma, hoc eſt, ſuperadnatam ipſis carnem.*

NOtandum primò quod ulcera putrida ac ſordida narium requirunt pharmaca quę exiccant, & fœtorẽ expurgent, è quarum claſſe habetur liquidus humor ricininus qui ex cico uiridi exprimitur. Aut leuigetur in pollinem cici exiccatũ, & naribus ita affectis inſpiretur. Aut ueratrum candidum cum æquali modo naſturtij leuigatum in puluiſculum, & per infcerniculum traiectum flatu naribus indatur. Sed præſentioris & efficatioris auxilij habetur, quod commemorabo. Elotis utriſq; naribus uino, iſtud medicamentum inſpiretur, quod accipit, myrrhę tritæ, aut aluminis Iameni, ſeu ſiſſilis denariũ põdo duũ. Et auripigmẽti, & myrrhæ utriuſq; denarij pondo quatuor, gallarũ combuſtarũ, æris cõbuſti, ſingulorum denarij põdo unius. Cõmixtis omnibus & contritis, & cribratis, modo iam prędicto utemur, ut uidelicet narib. prius odorato uino elotis inſpiremus. Sin uerò res & neceſſitas multò ualentius aliquod remediũ poſtulare uidebit̃, ne uerearis antidotis anodynis & ſtupefacientibus, Barbari Opiata dicunt, uti, præſertim

præsertim eo quod à uirtute & præsenti præsidio Alcelidicon appellatur, cuius utiq; descriptionem in libro de Pharmacorũ compositiõe reperies, uel istud pharmacũ quod accipit, chalcitidis, calchanthi, æruginis æris, atramenti metallici (Græci μελαντηρίαν uocant) aut soreos, aluminis lameni singulorum par modus, leuigetur & per cribrum incernetur, & cum licinio applicetur, uel aridum flatu inferetur.

*Pharmacum ad Polypos & Sarcoma.*

POlypo, hoc est, tuberculo in naribus & Sarcomati, hoc est, carunculę agnatæ subuenit, medicamentum quod habet, squamulæ æris aureos octo, atramenti sutorij aureos sex, ueratri nigri aureos duos, auripigmenti rubei aureos quatuor. Redigantur in puluerem & flatu naribus impellantur. Aut confice & dilue eadem in uino, Quo deinde carptum linamentum imbutũ naribus infere. Confert & atramentum sutorium, seorsim cum aceto dilutum & adhibitum.

*Aliud Pharmacum ad Ozænas narium.*

SVmito misyos, atramenti sutorij cuiuslibet aureos septem, myrrhæ aureos septem, chalcitidis aureos sex, aluminis lameni, gallarum, squamulę ęris, aristolochię rotundę, singulorũ aureos quatuor, thuris aureum unũ, aceti librã & uncias octo. Decoquant omnia in uase æreo usq; ad mellis consistentiam, & quum opus est, ex carptis linamentis utitor.

*Aliud utile.*

ÆRuginis similiter & æris squamæ paria pondera in aridum medicamentum redacta, conferunt.

*Aliud pharmacum ad tubercula seu ulcera quæ in naso nascuntur.*

ACcipe Cerussæ libram unam, spumæ argenti quadrantem, plumbi cremati, seu scoriæ plumbi tantundem, singula probè lota macerabis & leuigabis in uino & oleo, & quum necessitas est utere.

*Ad sanguinis eruptionem è naribus.*

ERuptio sanguinis narium si criseos ergò fiat non est sistenda, nisi modum plus satis excedat, & uiriũ robur conuellat, & deijciat mortemq; minitetur, tũ enim cõfestim cõpescendus est. Vbi uerò non Decretorij ratione sanguen è naribus erupuerit, sed propter abundantiã magis sanguinis, uel ob acrimoniam ipsius, aut aliam quancunq; causam his nõ absimilẽ, tunc illico curationem ab ijs, quę sanguinis profluuium compescunt auspicari conuenit. Ex quorum sanè numero existunt liquor stillatitius salicum, *Sylua sistentiũ fluxum.*

Succus

Succus hypociſtidis, & Barba hirci & caphura, uulgò dicunt camphora, Aqua ſiue ſuccus cucumeris amari, cui admixta ſit camphora, Succus ſeu ſtillaticius liquor ocymi ſimiliter cum caphura, Succus item arnogloſſi, id eſt, linguæ agninæ, ſiue arietinæ cum terra ſignata & caphura. Succus prę terea polygoni, & peræ paſtoriæ, tellus Armenia & caphura. Capite uerò purgato, in ſingulas nares, ſingula linteola intorta, ſeu lineamenta carpta in ramni plurimi decocto tincta, cui gallæ non perforatæ in farinam tritę, crematę, & aceto extinctę adiectę ſint. Poſt hęc, alumine Iameno, ſeu ſiſſili & lana cremata, rurſumq́ terra ſignata, & alumine, & ſucco Barbæ hirci, & caphura, utemur. Quę naribus inſpirata ſanguini narium effluxio nē coërcebimus. Vnicè porrò cōducit chalcitis leuigata, aceto macerata, linamento tortili excepta naribus immiſſa. Pari etiā modo gallę contritę & adhibitę proſunt. Lycium item Indum crematum, uel onidis, hoc eſt, fimi aſinini, cinerem inſpirato, aut ſuccum ipſius elicitum inſtillato, prępa retur autem hoc modo: Stercus aſini rore aceti aſpergatur, calfiat & exprimatur, & naribus guttatim infundatur. Aut molaris lapidis ardentis aceto extincti uaporem odorandum & hauriendum naribus admoueto. Aut hoc unguine obſtruente facultate prędito utitor: Mannę thuris partem unam, aloës ſemiſſem, candido oui liquore excipito, & per linteolum con tortum, eodem liquore imbutum utriſque naribus infarcito. Quin & illud quod ſubijciam ſanguinis narium fluxiones ſtrenuè compeſcit.

*Vngentum ſiſtens.*

*Pharmacum ſanguinis profluuium ex naribus prorumpens egregie compeſcens.*

Accipe calchanti, telę aranee, miſyos, aut ſoryos portiões ęquales, contere, in linamentum tortile inducta, naribus inſinuantur. Quod ſi his cum ſtudio adhibitis, nihil agimus, fluxusq́ ſanguinis perſiſtit, tūc ſpon gias aqua frigida imbutas medię frōti inter ſupercilia, & ſyncipiti, hoc eſt, cōmiſſurę coronali adplicato. Emplaſtrū porrò ex rebus frigidis & conſti pātibus tēporibus utriſq; & capiti accōmodare ex uſu eſt. Cuiuſmodi ſunt, turones ſalicis, ramnus, uitis, pira, cotonea cum roſis uiridibus, ſi fuerint ad manum, cōfecta, aceto acerrimo ſufficiente, & farina hordeacea pauca, & aliquantulo althęę ammixtis. Proderit etiam mediam frontem inter ſuper cilia, bolo Armenia, & ſucco barbę hircinę cum aceto: Farinamq́ lēticulę, & punicę ſylueſtris florem (βαλαύστιον uocant Gręci) cum caphurę momēto & opij paululo aceto excepta, illinire. Si his actis, profluuium ſanguinis non ſupprimitur, cucurbitulā cum inciſione ſcapulis adglutinato. Sic enim

ſanguine

ſanguine in contrariam partem reuulſo & detracto, ſiſtetur ſanguinis narium eruptio. Cucurbitulę præterea ambobus cruribus & malleolis affixæ magnificè iuuant. Si res & uſus exigere uidebitur, nec quicquã obſiſtit, detrahatur ſanguis ex cubito eiusdem lateris, cuius naris ſanguinem magis profundit, ex tali nanq; detractione narium uaſa inaniuntur. Pari quoq; ratione cucurbitulæ magnæ abdomini uentris adglutinatæ, proſunt. Si naris modò una profluuio tentatur, ſytiæ eidem ſolummodo lateri affigentur. Quod ſi ex utriſq; naribus fiat profluuiũ, utriſq; etiam abdominis lateribus ſecundum hypochondria cucurbitulæ imponentur, Verbi gratia, ſi ex dextra nare profluit ſanguis, ſuper iocinore, ſi ex ſiniſtra, ſuper liene, ſi ab utraq; nare, ſuper utraq; inſigendæ ſunt. Diceret heic quiſpiam, quã ob rem ſanguine ex ſiniſtra nare profluente, ſpleni cucurbitulæ adplicantur, Et ex nare dextra manante ſanguine, iocinori, cum neutrum cum naribus cõſortium ſit: Reſpõdemus, quod cucurbitulæ non aliam ob cauſam hypochondrijs eiuſdem lateris in quo ſanguis ex naribus defluit, quam ob loci raritatem, ad quam facilior fit attractio, & pronior defluxio. Iocinoris autem lienisq; regiones rariores texturæ loca ſunt, eoq; ad eadem, quã ad cæteras partes procliuior deriuatio. Fit etiam ſanguinis ex nariũ uaſibus ſimilis reuulſio, manuum ac pedum deligatura & frictione ualida, dum enim extremorum uenæ ſanguine implentur, ſupernarum partium uaſa inaniuntur, & ceſſat inde narium ſanguinis defluuium.

*De affectibus linguæ & curatione.* Cap. XIIII.

AFficitur interdum lingua, ſua ipſius eſſentia læſa, interdum ſapore & guſtandi ſenſu corrupto. Verum eſſe quod dico, noueritis, qui ex Anatomicarum ſectionum uolumine didicerit, neruos ad faciem exporrectos non niſi ab anteriori cerebri ſede deduci, qui autem ad collum & reliquas partes capiti ſubiectas ferũtur, à poſteriore cerebri ſede, ipſaq; dorſali medulla exoriri, qđ ideò maxime accidit, qđ quatuor ſenſus in capite conſiſtunt, (tactus ſenſu per totũ corpus æquè diffuſo.) Senſus eñ organa neruo molli indigent, uti & ea quæ moueri debent, duro. Vnde etiamſi, neruos ad capitis partes deductos motui non præeſſe, quia duritie deſtituuntur & ab anteriore parte originem ducunt, illis interim qui motui pręſunt, uti iam antea diximus, ex poſteriore cerebri ſede & dorſali medulla initium trahẽtibus. Vnde etiam ab ea cerebri parte ſeptimi neruorũ paris origo pendet, quod linguæ muſculis offertur, illorumq; uoluntario

motu præeſt,& quemadmodũ noxę motuũ linguæ, non niſi ſeptimi paris uitio ſuboriunt, ita quoq; linguę ſenſus, non niſi ex tertio paris affectu lęditur, quod Anatomici in mollium neruorum numero recenſent. Huius paris nerui in linguę tunicam diuiduntur, totiq; ſenſum cõmunicant, perinde ac palato, gingiuis & gurgulionis extremo aliquid eiuſdem ſenſus guſtus largitur. Verum obiecerit forte aliquis quur tertium neruorum par, ſimul cum ſenſu etiam motum linguę non tribuit? Cui facilis paratur reſponſio, ex neruorum mollitie, quum ſcilicet, uti & ante dictum eſt, ſenſus mollibus neruis, motus autem duris indiget, & proinde facile colligitur neruos tertij paris linguæ inſertos, hanc mouere non poſſe. Præcipue quũ ipſius motus ſint uarij & fortes, quemadmodum loquentes, mandentes & deglutientes facile experimur. Quæ quum ita ſe habeant, operæprecium fuit, ex ſeptimo & ultimo neruorum cerebri pari, linguæ neruos impartiri, quoniam hij ſunt & duriores & ualidiores. Tertium autem par molle eſt, ut ſenſui melius comparetur, ac ocyus quæ linguæ adhibentur, guſtus ſenſu dignoſcant, qui ſe ex nerui mollitie & duritie habet. Morborũ itaque linguæ dignotio illi non eſt ardua, cui paulò ante dicta, de oculorum & auditus organi uitijs memoriæ non exciderint, lingua enim emollitur ſeu reſoluitur & conuellitur non ſecus, quàm reliqua membra, deinde ipſius muſculorum intemperies, motus ipſius non ſecus prohibet quàm aliarum partium quæ muſculis mouentur affectus. Morbi autem linguæ inſtrumẽtales, aut ex ipſius muſculorum aut neruorum qui illi inſerũtur, aut aliarum conſtituentium partium mala conformatione, conſiſtunt. Dicitur autem morbus inſtrumentalis, quoniam membrum inſtrumentale primario afficit. Tumores autem ipſius ſunt calidi, ut inflammatio ex ſanguine & eryſipelas uel Herpes exedens ex bile, aut ſcyrrhi ex ſucco melancholico, aut œdemata ex pituita, præter ipſius ulcera, quę ex bile prognata Arabibus alchola nominantur.

*Galenus palato quartũ par neruorum inſcribit.*

*Obiectio.*

*Curatio morborum & uitiorum linguæ.*

VBi linguam occuparit inflammatio, ſiue abſceſſus calidus, ſi totum corpus appareat plethoricum, hoc eſt, quatuor humoribus proportione adauctis, refertum. Curandi ratio à ſanguinis miſſione auſpicetur. Incidenda autem uena eſt, humeraria in exteriore cubiti parte. Si malum autem

autem fuerit malignius, quàm ut commemorata sufficiat detractio, binas sub lingua uenas, si necessitas postulat, confidenti animo pertundes. A uenæ incisione per inferna purgante pharmaco, affligentis humoris redundantia euacuetur. Quod si his actis, malum non cesserit, neque quietius euaserit, Apophlegmatismis & Gargarizatu ex his rebus ita confectis, utitor. Accipe succum solani, uel peræ, uel uirgæ pastoriæ, uel polygoni, uel coriandri humidi, uel similium, quod satis est, fiat decoctum & Gargarizatus. Si ne his quidem tollatur & quiescat inflammatio, & expurgetur abscessus, Confice gargarismum ex lenticulæ decocto, rosarumq́; siccarum, glycyrrhizæ item & corticum malorum Punicorum iure & aqua hordeacea, utere. Cæterum si abscessus siue inflammatio fuerit herpes exedens durior, tunc nihil profuerit sanguinis per uenam detractio, sed soluentia adhibeantur remedia. Deinde fiat gargarizatus cum lacte asinino, uel lacte caprillo calido, uel melicrato, uel decocto glycyrrhizæ, & fœnogræci, & caricæ. Si uerò abscessus fuerit mollis & materia ipsius concocta, tunc catapotia cognomento Cochias quàmprimum deglutienda propina bis sex, Hiera quoque Picra, usque dum pituita, & reliqua expurgentur ex capite retrimenta, præbetur. Ab hac purgatione statim Hieras magnas porrige. Nempe Hieram Galeni, Hieralogodium, & Hieram Archigenis. Si uerò necessum uidebitur, propinabis oleum Ricininũ cum stillatitio liquore de radicibus incunctanter, uel medicamentum Indicum. Arabes Falaath uocant. Gargarismi deinde assiduè porrecti conferunt. Post euacuationem, cum Hiera Picra, Galeni facta, cum Sinapi & Staphyde syluestri, & zingibere, & origano, & cortice radicum capparis, & pyrethro, & id genus, alia.

### *De ulcere igneo in superficie oris ex acrium humorum fluxione prognato, Græci Ἄφθας uocant.* Cap. XV.

Ἄφθαι Græcis, in oris superficie ulcera, ignei coloris sunt, quę à Barbaris & recentioribus medicis Alcola & Calaba nominãtur. Quæ nunc alba, nunc rubra, nunc nigra, aliàs crustosa sunt.

Si Aphtha in lingua aut reliquo ore fiat, curatio ipsius, si per ætatem licebit, & nihil aliud impediat, à sanguinis detractione ordienda est. Primũ

autē uena exterior cubiti, Humeraria & Cephalica appellata, deinde quæ ſublingua ſunt, incidantur. Si uero hanc quippiam prohibeat, uel ætas obſtiterit, tum eius loco cucurbitulæ, ſcapulis, & alijs locis conuenientibus, cum ſcarificatione affigentur. Poſt hæc humoris uitioſi & moleſtantis purgationem moliri oportet, cum decocto maximè myrobolanorum duorum, & ſimilium. Corpore autem à redundantibus iam humoribus euacuato, Medicamenta quibus aſtringendi & reprimendi facultas ineſt, in ore continenda ſunt, cuiuſmodi ſunt, accida, puta, Succus medicatus, Rob dicunt Arabici, de moris ſylueſtribus, uel decoctum rhois obſoniorum, aut ſutorij, aut myrtus, aut folia oliuarum humida, aut aqua ramni fructus, aut decoctum lenticularum, aut balauſtiorum, aut aqua roſacea per ſe, aut ſpuma argenti, (λιθάργυρον Græcè uocant) aceto decocta, aut ſemen tamaricis aceto elixatum. Aut folia arboris cypri, ſeu ramni, aqua roſacea decocta, aut ſuccus malorum Punicorum, aut decoctum gallarum integrarum, quales ſunt immaturæ, quæ utique maiorem & uehementiorem habent aſtringendi facultatem, quàm perforatæ, quæ non crudæ, ſed abſolutam maturitatem conſequutæ ſunt. Admouebis autem ac porriges laboranti gallas cum ſidio, hoc eſt, corticemalogranatorum. Simplicia hæc quidem ac moderata ad Aphtas remedia ſunt. Compoſita ex ijſdem efficatiora hoc modo conſiunt.

*Galla crudæ.*

### *Pharmacum ad Aphthas compoſitum conferens.*

Accipe ſeminum roſarum, rhus coriariorum, amydi, ſeminum portulacæ, lentium excorticatarum, ſpodij, ſantalorum alborum, foliorum arboris cypri, ſeu ramni, florum malorum Punicorum ſylueſtrium, βαλαύστια uocant Græci, ſingulorum paria pondera, conterito & per incerniculum traijcito, admixtaquè caphura, præbeto. Atque iſta quidem remedia frigida, ad refrigerandum, mundificandum, & ad confortandum, & ad reſoluendam præſentem quæ adfluxit materiam, in ore ſunt retinenda, & hoc quidem magis corpore prius euacuato.

Pharmacum

### Pharmacum ad Aphthas aliud.

ACcipe collyrij de glaucio, ſpodij, arnogloſſi ſicci, capitum roſarum, myrobolanorum luteorum, balauſtiorum, foliorum oliuę ſiccorum, ſeminum tamaricis uniuſcuiuſq; partes æquales. Conterantur & cribrentur, admixtoq; alumine fiſſili Iamenoúe, utitor.

### Pharmacum aliud ad Aphthas albas.

ACcipe hirundinarię (quod iam omnes Chelidoniū Gręce nomināt) myrobolanorum luteorum, ſpodij, balauſtiorum, & cardamomi cuiuslibet parem modum. Redigātur in puluerē & traijciantur per cribrum, & adhibeantur.

### Aliud pharmacum ad Aphthas nigras & putreſcentes.

SI Aphthæ in ore cruſtę modo nigreſcant & putredinem experiantur, oppitulabitur medicamentum, quod habet: Foliorum oliuarum ſiccorum, foliorum ramni, acaciæ ſingulorum denarios uiginti, aluminis rubei, chalcitidis, & uitrioli, uniuſcuiuſq; ſemunciam, Radicis lilij ſeu iridis denarios quinq;, hordei ſemunciam, croci denarium unum, trita & cribrata, admouentur.

### Aliud ad oris Herpetem exedentem pharmacum.

SVmantur paſtilli de auripigmēto confecti (quod Chalidiacon uocāt) denarij ſex, ſalis ammoniaci, radicum lilij, iridisúe ſingulorum denarius unus. Redigantur in puluerem & admoueantur.

### Aliud Pharmacum ad Aphthas oris nigras & putreſcentes.

SVmito auripigmenti & pyrethri uniuſcuiuſq; partes conſimiles. Redige in puluiſculum, & conſice in uſum, & dum res exigit, prædictis affectionibus adhibe.

### Aliud pharmacum ad Herpetem exedentem, & ad ſanguinem ex ore promanantem.

ACcipiantur paſtilli de auripigmento contexti, & ceruſſæ, Suriticon dicunt Arabes, uniuſcuiuſq; portionem unam. Contundantur ſingula, & in leuorem trita ori infricētur, deinde eluatur os cum aceto myrtino, aut aceto uinoſo, in quo ſemen tamaricis elixatum eſt.

### Super dentium numero, figura, uſu, morbis & curatione. Cap. XVI.

TRiceni bini mortalibus dentes attribuuntur, quorum in ſuperiore mandibula ſedecim, & in inferiore totidem, eadem forma & ordine conſiſtunt. Quaterni ergo primores, qui anteriorem uidelicet maxillę partem occupant, lati ſunt, ex eodem fonte, radice item eadem prosilientes. Nuncupantur autem Græce Temnici, id eſt, inciſorij, eo quod uſus eorum *Dentes inciſorij.*

usus eorum peculiaris, ut cibos molles incidāt, ac pro constitutionis modu lo findant. Vtrinq; aūt ab utroq; latere bini sunt, quorum capita acuta, radices uero eorum sunt latę, & radices singuli singulas findunt, & appellant' à Græcis κυνόδοντες, hoc est, canini. Quorū usus utiq; est, mandere & cōfringere escas duriores. Sortiunt' autem nomēclaturam hanc à similitudine, quam habent' à caninis dentibus, quoniam dentes omnes canini uocati, ad canum instar dentium acuti existūt. Propterea quod dentibus acutioribus præditi sunt, eò quod ossibus plerunq; uescantur, aut saltem rodant, eoq; acutioribus dentibus indigeant. Quinq; porrò ab utrisq; lateribus latiores, molares, à molendo, siue mola dicuntur. Maxillariū illorum (nam etiam sic appellantur molares) aliqui binis, ternis, quaternisue nitunt' radicibus, potissime superiores, inferiores uerò geminis saltem suffultiūt radicibus. Fundunt aūt superiores plures quā inferiores ramos, siue, ut diximus radices, quoniā superiores ueluti suspensi pendent, Inferiores in fundamento firmiore positi quasi fixius suffulti nitūtur. Bini autem postremi ac ultimi dentes, qui serius gignunt', & ob id Sophronisteres & Cranteres appellant', in plerisq; mortalibus radices agunt, superiores quidē quaternas, inferiores uerò ternas. Vsus ipsorū maximus est, ut cibos probius cōficiant, & molę instar atterāt ac frangāt, atq; ob id quidē molares quoq; nūcupati sunt, qui non sunt in eodē numero, quo incisorij, aut canini. Natura enim pro usus ratione dentiū numerū constituit. Quia etenim sæpiuscule dentibus aliquid incidendū est, quàm cōfringendū. Incisoriorum numerus, caninorum duplò excedit. Et rursum, molariū numerus longe incisoriorū numerū superat, quia sępius & maiore interuallo, cibi emoliendi, quā primis dentium aciebus, mucronibusq; findendi, & amputandi sunt. Hactenus de dentium numero, discrimine, usu, & figura abunde sit. Est quod reuertemur tandem, unde digressi sumus, ad sermonē de affectionibus ac uitijs dentiū. Atque ex ijsdem plerunq; cognitio euidenter apparet omnibus. Quemadmodum quum perforati sunt, nam acuta pituita sæpe excauantur, aut denigrati, aut detriti, (nam id quoq; dentibus interdū accidit) aut neq; frigida, neq; calida sustinent, sed ab utrisq; lędunt', uel ab altero solo dolor eis aliquis cōtingit. Aliæ uerò non manifeste apparent in ipsis affectiones, ueluti cruciatus dentiū in se ipsis, quum ipse uidelicet æger se sensu percipere asserit, circa corpus dentis dolorē in profundo obortum (quidā enim contradicunt, perhibentes, quum os sit dens, cum non sentire & citra dolorem affici) uel

*Dētes canini.*

*Dētes molares.*

ex inflãmatione gingiuæ dolor. Vel cruciatus eorundẽ, propter affectos radicum suarum, quibus stabiliuntur, neruos. Pleriq; enim hominum, quando mali causa in istis neruis consistit, imaginatur & credũt, dolorem ipsius dentis existere, atq; in ipsissimo dente contineri. Cæterum liquet id facile, ex ipso iam dente per forcipem euulso. Nam si quid reliquiarum doloris post euulsionem permanserit, dolorem in neruo existere, non in dente significat. Comminuitur autem dentium cruciatus molari extracto, quoniam gingiuarum inflammatio non tantum tunc protuberat, ut propter nimiam tensionem dolore pulsatili uexetur. Dentis enim uicinia, maioris tensionis in inflãmatione causa erat, Iam uero inflammationis tumori amplior locus, in dentis alueolo conceditur. Quanquam & dentis extractio, etiam in hoc utilis fit, ut ad nerui inflammationem medicamenta commodius applicari queant. Dente enim seruato, difficillima nerui ad dentium radicem exporrecti, inflammatiõis est curatio. Quoniã neruus non solum gingiuarum tumore reconditur, uerum etiam per peculiare foramen, secundum dentium radicem interiore magis ex sede deducitur, osse perinde inuolutus ac candelæ elychnium in seuo.

*De dentibus denigratis, liuentibus & uirescentibus.*

QVod si quando dentes nigrescunt, & per uniuersam eorum substantiam liuore seu uiridi colore suffundantur, nihil fuerit mirum, si quid inflammationis instar superueniat. Quorundã medicorum opinio est, dentes quouis ætatis tempore tantum enutriri & in longitudine augeri, quantum conficiendis cibis indies atteruntur, quod exemplo erutorũ & remanentium dentium colligunt. Videmus enim dentem e regione eruti dentis positum, extra aliorum dentium seriem crescere. Si quando igitur fiat dentes propter uitiatam nutritionem non augeri, necessum est ipsis duos contrarios affectus accidere. Necessario comitantur eos duo mala inter se diuersa, uel ex alimentorum penuria, unde macrescunt, aut ex copia ipsius, unde euenit cõtrarium. Penuriam quippe nutrimentorum siccitas amplior excipit. Et si quando alimento spoliati non nutriuntur, macilenti plane & extenuati euadunt.

*De dentium abscessu & macie.*

EX copia uero nutrimẽti, prouenit affectio, similis ei, quę in partibus carnosis appellat abscessus, siue inflãmatio. Eoq; scopus curatiõis ipsius cõmunis est ei, quo cũ abscessus curant in reliquo corpore. Atq; is nihil aliud est q̃ excremẽtosę & affluentis materiei euacuatio, quę partim quidẽ

 resoluitur

refoluitur,partim profligitur. Macies autem & exilitas quę alimēti inopiam fectantur,curationem nullam recipiunt, fed neceffitate coacti mobiles euadunt,& excidunt,propterea quod radices ipforū emollitæ funt. Neq; diferta ratio eft,quod atterantur dentes, fed quod commiffuræ dentiū laxatę etiam cōminuuntur. Malum itaq; illud fenio confectis & capularibus fubinde ob ficcitatē accidit,nerui quippe arefacti dentes retinere non poffunt. Pluripharia̅ autem macor ille fuperuenit. Quibufdā enim pręcedit, quofdā fegnius comitatur, Alios maior,alios minor macritudo urget. Cæterū affectus qui abfceffui propius accedit atq; adeò etiam fimilis eft,cuiusmodi adulefcentes maximè & iuuenes corripit, eadem omnino methodo qua fenum,in id genus affectionib. fuccurritur. Confortatione nempe carnis gingiuarum quæ radices dentium firmat ac retinet, quam Arabici Algamur peculiariter nominant.

*Macoris dentiū diuerfitas.*

*De dentibus exefis feu perforatis.*

DEntes porrò acrimonia humorū(ut dictū eft)præfertim mordaci pituita influente,fubinde exedunt. Vnde clariffimè uel cæcis appareat omnem eius mali curationē,in praui humoris in dentes decūbentis euacuatione confiftere,per expurgationē uidelicet totius corporis. Nam ubi humor ille reliquo corpore fuerit comminutus, minore etiam affluxu dentes tentabit. A totius autem corporis euacuatione, topica fiat etiam euacuatio cum pharmacis, quę ex medicinis ficcandi uirtute præditis conftant, quarū fyluam benè longam pręfertim neceffariarū rerum, ex fermone paulo poft fuccedente hauries. Et fi humoris magna fuerit copia, tunc follicitudo toti capiti adhibenda eft, ut euacuetur quàm fieri poteft exquifitiffimè. Nam fi grauitas caput quoq;,præter dētium cruciatū,moleftant,non tam uniuerfum femel corpus quàm ipfum quoq; caput probè euacuandum eft, quoniam prauus humor totum corpus occupauit. Quum autem dentes franguntur,ob mollitiem utiq; fuam franguntur & mobiles fiunt. Curationis itaq; indicatio fuerit in his fita, quæ aftringūt & laxas gingiuas firmāt, atq; ftabiliunt. Cuiufmodi fuerit decoctum plantaginis, mentæ, corticum acatię, rofarum rubearum, corticū nucum cupreffi, rhois utriufq;, feminis myrti, malicorij, gallarū, Coquant autem in uino nigro adftringēte, & eo iure colluitur os crebrius. Denigratos porrò dentes liuoreue, aut rubigine laborātes, eadē medendi ratione qua exefi curant, Euacuatiōe fcilicet & exiccatione, fimiliter enim ex folis humoribus uitiofis prouenit, qui ad

dentium

dentium radices confluunt. Proinde non aliam in huius uitij curationem, quā in dentium excauatione & foraminibus usi sumus, usurpemus. Vbi aūt dentium cruciatus in ipsa dentiū substantia constiterit, aut in singulis singulorū neruis, tum sane remedijs opus quàm ualidissimis habemus, siue refrigerium, siue resolutionē, aut dissipationem res ipsa desiderat, proinde pleraꝗ aduersus eiusmodi morbos pharmaca cum acerrimo aceto conficimus. Si uerò dolor carnem, quę radices dentium contegit, exercuerit, ex abscessu qui hanc partē obsedit, curationē ipsius hoc pacto moliri expedit.

### *De dolore gingiuarum calido.*

QVando uel ex capite in gingiuas acris quispiā humor decumbit, uel ex stomacho sursum in easdē effertur, tunc summū studium duabus his partibus est adhibendū, ne dolor ingrauescat magis, dum gingiuarum pariter & dentiū curam habemus, attrahendo uidelicet maiorē superfluitatum materiam. Quo circa dum coniecerimus dolorem ad sanguinis redundantiam esse referendū, curationem eius statim à detractione sanguinis auspicemur, sumpto ab incisione humeralis uenæ, ab omnibus Cephalicæ appellatę, exordio. Deinde ubi necessitas uidebitur ampliorem detractionē exigere, etiam uenas sub lingua sitas incunctanter aperi, sub finem nempe ægrimonię, & quum morbus in longū tempus protrahitur. Detrahes aūt sanguinis una uice quā eius fieri potest plurimum. Si quid uerò relictū fuerit in loco affecto, quem exquisitissimè exoneratū uolebas, ne à detrahendo desistes tantisper dum, quantū necessitas exigere uidebitur fuerit detractum. Post sufficientem sanguinis missionē præpollentem, ac uitiosum humorem pharmaco purgatorio quàm exquisitissimè euacuabis, Summo curationis studio circa uentriculum adhibito, ut exactius medicamēto Hiera Picra & aloē purget. Ab hac euacuatione, caput etiam ipsum accuratius emundare apophlegmatismis & gargarismis ab omni superflua & uitiosa materia affluente, cōuenit. Vbi uerò usi fuerimus iam diligenter omnibus, quę res & necessitas postulare uidebat, pharmacis, ad gingiuas ipsas commodè diuertemur, comitati pharmacis, quę refrenādi, reprimēdi, extinguēdi, astringēdi ac firmādi deniꝗ laxas gingiuas, & mobiles dētes uires habeāt, quotiēs uidel. sanguinis aliquē affluxū, aut qd aliud simile expiunt. Ex his aūt quę adstringūt & influxū uitiosorū humorū abscindūt, est myrtꝰ, sidiū, acatia & eiusmodi. Myrtus nanꝗ humida, trita, uino acerbulo & subaltringēte roris modò instillata, ꝑ colū trāsfusa, si in ore diutile teneat & uolutet *Astringentia.*

peraccommodum

peraccōmodum prēstiterit huic, quo de agimus affectioni prēsidium. Pari præterea modo expediunt eidem incōmodo, folia oliuarū uiridia ac humida, quando similem admodum præparantur & applicantur. Quin & decoctum, succusue, aut stillatitius liquor Solani, aut perē pastoriæ, aut uirgē pastoris, ius aquaue stillatitia cum aceto de granis myrti permixta, aut aqua rosacea ex rosis uiridibus, aut cum Rhu utroq;, aut cum decocto seminis tamaricis, aut cum sidio. Myrtus proderit præterea & folia oliuarum, & rosarum siccarum, & gallæ cum decocto balaustiorum. Eiusdem uno uerbo classis sunt, Lentes excorticatæ, Succus foliorum ramni & Alienbut quod Arabicis ramni est species, Succus semperuiui, aut decoctū schœnosanthi cum granis syluestribus, quæ sunt grana Alkikilati & calyces glandium. Acetum item in qua cortices nucum cupressi sint elixati, & folia eiusdē, & saluia, & acatia. Quum uero nihil aliud quam inflammationem extinguere, citra præparamentum, aut expulsationem aut incisionem materiei fluentis est animus, Cōuenientissimū & saluberimū fuerit oleum de cotoneis, aut oleū mastichinū, aut oleum ex oliuis crudis & immaturis, quod Grece omnes hodie, Omphacinū nominant. Teneant autē & uoluentur in ore. Quod si in gingiua sedata inflāmatione, pustulæ & defœdatiōes, quas Arabes Bothor cognominant oriantur, aut qualiscunq; exulceratio, Subuenire cōfestim studebimus cum medicamēto Calidiaco, hoc est, pastillis de arsenico, sic ut cum ipso in aceto diluto colluat os. Quod si istud acetum fuerit cum seminibus myrthi confectū, erit id sane præsentissimū & cōuenientissimum, nam hoc egregie caput, materiam infestantem extrahendo, repurgat. Magnifice insuper facit Assuruiticha uocata confectio, si opportune adhibeatur.

*Assuruiticha mixtura quo ipsi usi sumus ad cruciatum dentium maxillarium, Herpetem exedentem, & gingiuarum inflammationem.*

Sumito
- Malicorij, hoc est, corticum malorū Punicorū drach. triginta.
- Balaustij, id est, florum Punici syluestris.
- Gallarum
- Aluminis Iameni
- Pyrethri. Vniuscuiusq; drachmas quindecim.
- Rhois utriusq; drachmas quindecim.
- Salis Indici drachmas quinq;.

Summa specierum ex quibus constat confectura est septem. Quæ mixta & contrita adhibentur.

*Pharmacum ad dentes perforatos, mobiles molares, & oris exulcerationem. Laxas Gingiuas constringit, dentes mobiles firmat ac stabilit, si isto uteris pharmaco.*

| | | |
|---|---|---|
| Accipiat | Myrobolanorũ luteorũ, quos Citrinos dicunt.<br>Gallarum uiridium.<br>Sidij, id est, corticum malorum granatorum acidorum<br>Rosarum siccarum.<br>Confecturę ex gallijs & passulis, quã Ramech uocant Arabes. Cuius compositionẽ ex libro de Comp. Pharm. pete.<br>Rhois sutorij<br>Seminum Tamaricis.<br>Malorum Punicorũ syluestriũ. | Cuiusq; par modus. |

Ingredientium in summa sunt octo, quæ trita & cribrata in usum accommodentur.

*Aliud pharmacum ad idem conferens.*

EXpedit quod sequitur medicamentũ ad corrosionem oris, & cruentam materiam erumpentem ex gingiuis, atq; ad dentes deniq;, quod habet: Aluminis concremati & aceto extincti partẽ unã, salis cõmunis parteis duas, Rhois tantundem, leuigentur hęc cuncta & in usum adhibeant.

*Pharmacum gingiuas laxas firmans ac constringens, dentesq; stabiliens.*

| | | |
|---|---|---|
| Accipe | Balaustiorum.<br>Corticum malorũ granatorũ. | Singulorum aureos sex. |
| | Auripigmenti rubei & lutei.<br>Aluminis Iameni ac fissilis. | Cuiuslibet aureos treis. |
| | Rosarum rubearum.<br>Rhois utriusq;. | Cuiusq; aureos octo. |
| | Spicæ nardi.<br>Mellis Attici.<br>Florum iunci odorati rotundi. | Vniuscuiusq; aureos decem. |

Redigantur in pollinem singula & exhibeantur. Summa specierum ex quibus conficitur mixtura est nouem.

De fistulis

### De fistulis in Gingiuis.

SI fistulæ carnem, quæ radices dentium seruant, infestarint, curatio sine mora à mũdificatione gingiuarum cum Calidiaco, hoc est, pastillis ex auripigmento contextis exordienda est. Deinde inducatur ipsis aridum hoc pharmacum super commissuras dentium.

### Pharmacum siccum ad fistulas gingiuarum.

Sumito:
- Radicum Iridis seu lilij.
- Pyrethri, quam Saliuarem herbam dicunt. Cuiusq; drachmam unam.
- Balaustiorum, id est, florum Punicæ syluestris.
- Gallarum non perforatarum.
- Rhois coriariorum. Singulorum drachmas duas.

Commixtis singulis & contritis, administretur in forma pulueris. Summa eorum quæ ingrediuntur istam compositionem sunt quinq;.

### Dentifricium ad dentes uirescendet.

Accipe:
- Corallorum leuigatorum in paspalam, trientem.
- Piperis exquisiti denarios quatuor.
- Seminum amomi denarios treis.
- Folij denarios duos.
- Gypsi combusti & friati unciam unam.

Redigantur in puluisculum, & in usum reponatur, & infricetur dẽtibus. Summa ingredientium in uniuersum quinq;. Prosunt etiam quæ subijciam Dentifricia.

### Dentifricium Mamomi Regis, ad commissuras dentium.

HVmiditatem quę in gingiuas & dentium cõmissuras decumbit, Dentifriciũ istud à Gabrieli Medico in Regis Mamomi gratiam artificiosè compositum, strenuè abstergit ac discutit, crassitudinemq; extenuat, & uentosos flatus resoluit & dissipat.

Accipe:
- Salis gemmæ libras octo.
- Ciperi mundati libras duas.
- Spinæ Arabicæ Sceha appellatę trientem.
- Aristolochiæ rotundę sextantem.

Redigantur in puluerem singula & traijciantur per incerniculũ, & exci

piantur

piantur melle sincero,& syropo de lilio quod satis est ad cōmixturæ compaginem & cedrij liquoris clarissimi unciā unam. Dirigantur omnia simul in pastillos,qui comburantur. Redeunt quippe ad duas tertias singuli pastilli cremati. Rursum terantur & cribrentur. Adijciantur præterea Zingiberis albi unciæ quatuor, Spumæ maris uncia una, Seminum tamaricis libra una,Spodij,seu pompholigis,Cassiæ ligneæ,utriusq; unciā unam, commisceantur. Sunt eorum quæ hanc compositionem ingrediuntur in summa numero nouem, excepto liquore cedrino cum melle & syropo de Lilio.

*Dentifricium aliud eiusdem absterforium.*

CYperum probe a sordibus repurgatum, contritum & cribratum excipe in uino ueteri, & Syropo de lilio. Redige in pastillos cum melle prætenues & subtiles. Exiccent in furno seu lance patēte peraccurate, ne torrefiant,ac comburantur. Vbi exiccati subrubuerint,refrigerabis,Quibus deinde tritis,acipies inde unciam unā,Salis fossilis saxei(quod sal gemmę uulgo dicitur)drachmas treis,spumæ maris tantūdem, seminum tamaricis drachmas quinque, ligni aloës crudi quantum ad iucundum odorem conciliandum satis est,usu exigente,utere.

*Dentifricium aliud absterforium,dentes mundans,& constringens.G.*

Accipito:
- Schœnosanthos,hoc est,floris rotundi iunci odorati,denariū pondo quinq;.
- Pyrethri,denariūm pondo quatuor.
- Salis fossilis saxei,siue communis,denariūm pondo decem.
- Farinæ hordeaceę denariūm pondo duodecim.

Sale farinæ iniecto,excipiantur melle,assentur,& leuigentur,pyrethrū insuper & schœnosanthos trita,& cribrata inijciantur,& ad usum seruent.

*Pharmacum dentes dealbans,gingiuas laxas constringens,Nigrum: Autore filij Mosaguæ.*

Sumant:
- Cineris harundinis triens, cum denarijs duobus.
- Salis candidi torrefacti.
- Spumę marinæ,Singulorum sextans cum denarijs binis.
- Glandis unguentariæ excorticatæ uncia una.
- Ligni aloës odorati uncia una cum denarijs duobus.
- Pyrethri,denariūm pondo decem.
- Aristolochiæ rotundę uncia una.

Tritis & cribratis singulis, fiat dentifricium, quo re exigente, dentes abstergantur. Summa specierum e quibus constat septem.

*Aliud æque præstans Gingiuas astringens, sanguinem promanantem cohibens, Rubeum, Eiusdem autoris.*

Accipe
- Calycum glandium.
- Capita malorum Punicorum.
- Balaustiorum.
- Salis assi.
- Fructus tamaricis.
- Gallarum integrarum quę fuerunt combustę, & aceto extinctæ.
- Malorum granatorum syluestrium, quę diximus esse grana alkilkil, Singulorum drachmas decem.
- Myrtillorum.
- Armech. Quę est medicina Inda, haud absimilis cinnamomo, Cuiusq; drachmas decem.

Conterantur & in pila cribrentur per incerniculum discussorium. Constat ex speciebus nouem adhibeatur gingiuiuis, artificiose, deinde abluatur os cum aceto myrteo, & aqua rosacea. Si autem uolueris sanguinem, qui ex gingiuis destillat prorsus supprimere, tum cum huius pharmaci denarijs decem, permisce medicamenti Calidici, hoc est, pastillorum de auripigmento, denarium unum, & utere.

*Dentifricium extersorium.*

SAl communis melle sincero exceptum, in folijs fici, si ad manum sint, reponatur, aut in charta, torrefiat, & comburetur. Sumatur huius confecturæ pars una, fructuum Tamaricis triti & cribrati pars media. Contritis & commixtis, utitor. Quod si uolueris, ut dentes ad uiuum usq; repurgentur & abstergantur, tum accipies malicoria, hoc est, cortices malorum Punicorum, trita & cribrata singula stillaticio liquore, uel succo, uel decocto myrti excipito. Exiccabis in fornacula donec inaruerit, Post hæc, contere, & prędictis facultatibus asperge, & fruere.

*Curatio dentium qui moti uacillant, & dolore ex algore afficiuntur.*

QVod si pusatilis dolor dentium excruciat, & gingiuę ob algorem affliguntur, corrosioq; in utrisq;, aut in alterutro deprehenditur. Foramini eroso Althith (medicamentum Indum) imponatur, aut sagzenea, aut allium, aut theriaca, aut myrrha, aut liquor cedrinus, aut styrax cum gūmi

papaueris, aut galbanum cum ſemine alterci. Aut ſtaphydem ſylueſtrem tritam, ſeorſim foramini exeſo inſeras. Aut nigellam aceto acerrimo leuigabis & cauernæ ſuperimpones. Si autem in loco exeſo & corroſo uermiculi extiterint, Sumito ſemina porri, & alterci, & confice cum cera. Inijce prunis aut igni, fac æger inclinato ſuper id capite, ore hiante fumū hauriat. Si dolor uehemens atq; intollerabilis urgeat, tum foramini antidotum Philonis, Philonium appellatum, uel opium per ſe indere, ex uſu eſt. Pyrethrum inſuper aceto decoctum acerrimo, dentibus in uehementi cruciatu illitum, quum dentium tum gingiuarū cruciatum aufert. Si pari modo capparis radice cocta utare, idē pręſtabit. Aut capparis folia cum acerrimo aceto ad medias elixa, fiat non ſolum cum his collutio, ſed teneantur in ore frequenter ac diu. Collutio itidem oris cum aceto forti, in quo elixata fuerit ſenecta ſerpentis unicè confert. Pyrethrum preterea & ariſtolochia in quadrante aceti, & uncia una uini decocta, in oreq; retenta, magnificè iuuant. Aut nitri rubei, & pyrethri, cuiuslibet partes æquales, cum quarta opij parte conficiantur, & foramini doloroſo imponātur, opem ferent præſentaneam. Aut uua taminia, quam omnes hodie, Staphyda ſylueſtrem nominant, & radix anethi, & coſtus pari menſura contrita, & per incerniculum creta & melle excepta, Gingiuisq; inducta opitulantur. Auxiliatur etiam talibus affectis, Lac chamęleæ, (quam herbam Arabes Mezereon uocant) & piper ſolani ſucco ſubacta, & loco dolenti impoſita. Vel zingiber aceto & melle decoctum probè leuigetur, & diluatur, & perforati dentis cauernæ imponatur, & foris iiſdem dentibus linimenti more inducatur. Nam pharmacum iſtud dentes eroſos à doloribus tuetur. Cruciatui item tum cæterorum dentium tum molarium ſubuenit. *Chameleæ.*

**Pharmacum Pharitica appellatum, ad dolorem Molarium, utile.**

Sumito {
Piperis denariūm pondo decem.
Pyrethri.
Staphydis ſylueſtris, Vniuſcuiuſq; ſemunciam.
Nitri Armeniaci denariūm pondo ſex.
}

Contritis & commixtis ſingulis, uſu exigente adminiſtrabis, continet res in uniuerſum confectio, quatuor.

*De dentibus mobilibus & curatione ipsorum.*

DEcrepitorum hominum ætate dentes frequentius quã iuuenum nimię siccitatis ergo mobiliores sunt, & quod rerum suę naturę instinctu adstringentiũ auxilia minus ac ægrius admittũt. Quũ ea sint quę astringendo gingiuas laxas firmant ac stabiliunt. Est autẽ quando dentes ob ictũ aut plagam mouentur, & quando absq; ictu mouentur. Neq; sane heic ipse aliud quicquã præter neruũ cuiusq; dẽtis considero, qui humoris copia submersi molliores fiunt. Eoq; medelis exiccantibus humiditatẽ tollimus, & laxitatem stabilimus. Fugiat laborans multiloquiũ, abstineat ab esu epularũ solidarum & duriorum, liquidas mollesq; manducet. Abunde autẽ facient ad dentium cõmotionem tum ætatis tum uictus ratione, quę astringũt, firmãt ac stabiliunt, medicamenta. Myrrham itaq;, Pompholygem, quã Tutiam nominant, Alumen Iamenum, aut scissum, & amydũ pari pondere trita dentibus admouebimus, & super annectemus. Aut aluminis scissi & uitrioli, seu ut Arabes uocant Zegi, singulorum partem unam cedrino liquore excipito, & usq; ad consistentiam ceroti humidi commisceto dentibus illinito, & donec pituita profluat sinito. Aut accipe Rhun rubeum, corticem malorum Punicorum, nucleos myrobolanorum luteorum, rosas aridas, spodium, seu Pompholyga, quod Arabes Such appellant, calyces glandium, balaustia, gallas, fructus tamaricis, & alumen deniq; fissum, æqua li mensura singula conterito, commisceto & admoueto. Atq; hæc quidem dentibus ob decrepitam senectutem commotis, conferunt, & opitulantur affatim. Si uero dentiũ immodicę humiditati, quę neruulos solidiores submergit laxat, ac mollit, pharmacis iam commemoratis, cortex radicũ capparis, Hieraq; Picra, & pyrethrum, & id genus ammiscenda sunt, utpote quę dentes mobiles atq; dimotos firmant, stabiliunt, & restituunt. Et amplius, Expedit unice medicamentum Galeni, quod ipse libro de Compositione Pharmacorum quinto descripsit, atq; usu & experientia comprobauit.

*Pompholyx, Tutia.*

**Pharmacum Galeni mobiles dentes corroborans & stabiliens.**

Accipe {
Ramulorum capilli Veneris libram unam & dimidiam.
Aluminis Iameni, scissi aut rotundi quadrantem.
Spicæ qua medici utuntur sextantem.
Phylli, hoc est, folij herbæ.
Piperis candidi, Singulorum unciam unam.
Pyrethri aureos quinq;.

Continet

Continet in summa res medicinales pharmacum Galeni sex. Leuigabis singula commixta, dentiumq́ radicibus & gingiuis admoue atque annecte. Quod si hoc remedio dentes non stabiliantur, tum cauterijs admotis radices ipsorum torrefaciemus, & putredinem arcebimus, Dentesq́ cathenulis aureis & argenteis colligabimus & astringemus.

*De stupore dentium, quam congelationem uocant Barbari.*

QVi Barbaram sectantur medicinam dentium stuporem, qui ex rebus infrigidantibus & astringentibus nascitur, congelationem uocant. Neq; stupor sane aliud quicquã quàm insignis refrigeratio est, sed hic magis dispositio quàm affectus, & perfecta refrigeratio, quæ ex edulijs ac potibus acerbis, austeris, ac acidis quum edendo tum bibendo identidẽ contingit. Prouenit non raro etiam stupida eiusmodi dentium dispositio, ex frigidiusculo humore & astringente ori uentriculi impacto, & per Isophagũ dentes tentante, unde affectio quędam stupori haud absimilis oboritur. Cuius hęc est pręsentissima curatio.

*Curatio stuporis dentium.*

ARcet refrigerationem dentium quem stuporem dicunt, portulaca herbula ore mansa. Idem præstabit semen ipsius aqua calida maceratum, colo transfusum & in ore retentum. Valet item nux quassata & contrita dentibus affricata. Opitulantur non minus nuces Ponticæ, quas auellanas dicunt, si cum ipsis dentes perfricentur, iuuant euestigio. Stuporem etiam talem profligit, oleum nuper ex oliuis expressum, è torculari statim abreptum, & ore contentum. Oleum itidem uiolaceum tepefactum, & ore retentum benè facit. Proderit & Alkalimbat, & cæra colo transfusa in ore baiulata, uoluta & retenta. Ex rebus porrò medicinalibus conferunt maximè aristolochia longa, & baccæ lauri. Amurca, & fex olei elixata. Lac item chamęlęę, quam Mezereon dicunt, & Scylla, & id genus reliqua benè multa. Hactenus de dentibus, nunc ad Columellam accedam.

De Columellæ, siue gurgulionis affectibus & curatione. Cap. XVII.

CArnosa particula in summa oris parte depēdens, Græcis duobus appellata est nominibus potissime, γαργαρεὼν καὶ κίων, hoc est, Gurgulio & columna. Recentioribus uero plerisq; haud inepte κιονὶς, id est, Columella nuncupata est. Hęc sæpe admodum uarijs morbis affligitur (ob influxum sanguinis, aliorumq; humorum a capite descendentium.) Aliquando enim gracilis atq; pretenuis chordulæ alicuius instar euadit, ac ueluti exiccati corij ritu resiccatur & contabescit. Aliquando uero tumore quopiam calido infestatur, ex cuius situ & loco gurgulionis forma emutatur, & aliam atq; aliam induit speciem. Ipseq; affectus uarijs appellationibus cognominatur. Nam ubi uniuersus Gurgulio æque, ab omnibus partibus intumuerit, tum quia columnæ modo excrescit, propenditq; columella, affectus. Affectus autem ipse Gurgulio seu Columella uocatur. Si uero gurgulionis extremum & pars linguæ uicinior intumuerit, ipsius autem radix, quę palato est cōtermina, tenuior sit, aut alioquin præter naturam non intumuerit, affectionem hanc Græce σταφύλην, Latini Vuulam ab uuæ similitudine nūcupant. Quandoquidem Gurgulionis radix & sedes palato uicinior uuæ pedunculo comparatur. Ipsum autem extremum gurgulionis quo rotundum ex tumore euasit, grano uuæ corpori, acinoue assimilatur. Cęterum hij affectus subinde confundūtur & mutuo inte se permiscentur. Quū Columella scilicet, uuę speciem aliquando exprimit, ipsius nimirum parte, quę palato uicinior est, extenuata, inferiori interim adhuc tumida. Et rursum Vuula ad Columellæ speciem transit, quando uidelicet toti gurgulioni æqua humoris portio incumbit, totusq; similiter instar teretis corpusculi intumescit. Atqui Vuula pernitiosior magisq; exitiosa quā Columella, existit, quod, scilicet, in Vuula gurgulionis radicem emarcuisse propemodum constet, & affectus manus operam (abscisionem nimirum) requirat. Sed inflammationem sæpius quam reliqua uitia experitur.

Curatio inflammationis Columellæ siue gurgulionis.

GVrgulio siue Columella inflammatione seu phlegmone multo sæpius infestatur. Cui utique eadem illa medicamentorum auxilia, quæ gingiuarum inflammationi, succurrūt. Suppetias igitur medicinarum quibus gurgulionis inflāmationes expugnamus calidiores, oportet esse omnino adstringētis pariter & extenuantis potētię, sic, ut sua stypticitate humorū influxū cohibeat, & tenuitate sua, quod influxit & inflāmationē inuehit, dissecet,

diſſecet, diſſipet, & euacuet. Conficiũt ergo medicorũ quidẽ ex eiuſdẽ efficatię rebus gargarizatus. Sunt aũt eius facultatis, Succus medicatus διὰ καρύων, hoc eſt, (ut Arabes dicunt) Rob ex corticibus nucum. Aut ſuccus medicatus διὰ μόρων, quod eſt, Rob de moris, pręſertim ſylueſtribus, & ſuccus deniq; medicatus διὰ κυδωνίων, id eſt, ex malis cotoneis. Roſæ ſimiliter cum putaminibus corticibusq; malorum Punicorum (malicorijs appellatis) decoctis, conferunt. Gallæ pręterea, & rhus utraq;, lenticula excorticata, & fructus tamaricis, è quibus gargariſmi contexti uehemẽter iuuant. Quod ſi in eiuſmodi inflammatione fuerit plurimus feruor & quaſi flammeus ardor (quorum Græci prius φλεγμονὴν, alterum φλόγωσιν, nuncupant) tunc longe frigidiora his admouere expedit. Cuius farinæ eſt, ſtillaticius liquor ſolani, ſiue decoctum ipſius, & caſſiæ fiſtularis, è quibus ſeorſim uel alijs ammixtis Gargarizatus, ſumma cum utilitate conſit. Ad eundem uſum adhibebis aquam uirgæ paſtoris, aut ſuccum ramni fructus. Corroborat porrò gurgulionem ualidiſſimè medicamentum ex his, quæ ſequuntur hoc modo contextum.

*Pharmacum ad eleuandum gurgulionem laxatum & propenſum, aſtringens, & exiccans, præſtantiſſimũ, uſu & experimento exploratũ in hunc modum paratur.*

ACcipe, balauſtiorum partes duas, Aluminis ſiſſi lameniue partem unam, contrita & cribrata cum caphuræ aliquanto & croci momento permiſceantur. Admoueantur columellæ hæc arida, perinde atq; gingiuis deſtinata remedia. Proſunt etiam pulueres huic rei conſecrati per harundinẽ, ſeu calamũ inſufflati, aut ſuper inſtrumento huic functioni dicato admouere, Cuiuſmodi fit ex ſale Ammoniaco in cote leuigato, alumine ſiſſo, pipere, & ſimilibus. Curatione autem opus eſt, ne quicquã heic uel temere, uel uiolenter agere præſumamus, ne digitorum importuno tactu & appoſitu columellę inflammatio irritetur, & uehementior cruciatus rudi palpatione inducatur. At ſi plurima inflammatione conflictetur gurgulio, ſic, ut, eandem omnem uiciniam undique perturbet, atque paſſim omnia per ambitum inflammet, & ex multo medicinarum adſtringentium iniectione omnia in conuicinio impleantur ſpacia, Tunc eſt, quod remedia admoueantur alia quę dolorem placant, leniunt, ac ſedant. Cuius generis ſunt, amylum, lentus ſeminum malorum cotoneorum marcor, gummi dragachantæ, ſarcocolla, lentitia pſyllij, & mucoſus lentor ſeminis altheæ, & id genus cætera compluria. Vbi autem ad ſummum iam uſq; uigorem peruenerit phlegmones acrimonia, tunc rebus præmonſtratis,

 myrrham,

myrrham, crocum, cyperum, aut cymas ſchœnoſanthos, uſneæ, & cytinos, ſiue balauſtia, aut id quod Arabes uocãt, Darſiſahan, ammiſcebimus. E quorum decocto gargariſmus conficiatur. Probatur itidem gargarizatus cum glycyrrhizæ & roſarum, adiecto melle, decocto, inſtructus. Cęterum quũ iam columella extenuatur, & omne id quod ſtaphidẽ, ſiue uuam appellant, fuerit ſecretum & euacuatũ, ſitq́; pars gurgulionis extrema maior & rotunda, ſuperior autem tenuior, per illud tempus manus admoliri tutum eſt. Si igitur neceſſarium uidebitur, tunc incidere, tempeſtiuum ſit. Secũdum aliud uero tempus nullum, columellam excidere funditus opportunum eſt, quoniam grauia ut plurimum, ſequuntur ſymptomata, & ingens utiq; formido & periculum, ne ſi ante hoc tempus, aut alio quoq; ab hoc tempore amputetur gurgulio, ad minimum, præſentis ne dicam letalis periculi, ſanguinis eruptio comitetur.

*De affectibus in reſpirationis ſemitis obortis Angina nimirum, quam Græci Συνάγχην dicunt, & ſimilibus.* Cap. XVIII.

RESpirationis ac uocis pręcipuum organum ipſa eſt aſpera arteria, & in hac præcipuè ipſius caput, quod cum Græcis iam omnes Laryngen uocamus, in cuius medio rima ac ueluti lingula, (quæ Gręcis Επιγλωττὶς dicitur) conſiſtit, quę potiſſimum uocis organũ meritò cenſetur. Quanquam & ad uocem tota fauciũ amplitudo ac in primis palatum, narĩũ cauitas, pręter alia mirè ancillentur & ſubſeruiant. Quapropter ſi aut fauces, aut λάρυγγα tumore pręter naturã moleſtari contingat, tumor liberum aëris ingreſſum ac egreſſum inter ſpirandum prohibet, uociſq; ob læſio conſequit̃, quam ſuffocationem ferè nuncupamus. Cuius, quantũ ad propoſitum ſpectat, duæ ſunt cauſæ, Tumor uidelicet in his ſedibus, & humorum affluxu percitus, in proprijs aut in communibus laryngis cartilaginum muſculis, & dein uertebrę ceruicis in anteriora luxatio. Verum affectus ex arteriarum luxatione pendens, non omnibus accidit hominibus, ſed, plurimum, ſi quando contingit, infantibus, nimirum ex ligamentorũ, quibus uertebrę continentur, colligenturq́; laxitate. Ad quã etiam accedit infirmior illarũ uertebrarũ articulatio, & dein ipſarũ moles exigua, eorundemq́; copia. Porrò his tanq̃ deploratis, manus admouẽda non eſt, neq; aliqd de ipſorũ curatione ſpei ſuper eſt. Vitiũ autẽ quod ex dictorũ prius muſculorũ tumore ſuborit̃, pro loci affecti natura diſcrimẽ accipit. Quãdoquidẽ

ſi harum

si harum sedium exteriores musculos tumor occupauerit, affectus inualidior ac minor existit. Si uero in interiores, magisque in Larynge reconditos musculos tumor descenderit, affectio maior ac pernitiosior est. Tumor itaque & inflammatio in interioribus laryngis, ac faucium musculis obortus, συνάγχη καὶ κυνάγχη Græcis, Angina Latinis uocatur. Estque huius generis affectuum difficilius hoc magisque exitiosum malum, quod strangulatu, ob impeditam respirationem, præsentaneum uitæ discrimen inferre solet. Quæ uero in exterioribus eorundem fit musculis cum tumore inflammatio, παρασυνάγχην hanc nominant. Quod si interiores gutturis musculi inflāmatione conflictentur, κυνάγχην. Si uero exteriores παρακυνάγχην ijdem Græci appellitant. Omnis igitur inflammatio quæ in gutture uel faucibus fit, imo omnia mala, quæ in locis ijsdem accidunt, & quæ spirandi difficultas comitatur, Anginæ nomine appellantur. Sed pro uarietate locorum quæ istiusmodi affectu conflictantur, quatuor differentias prædictas & totidem nomenclaturas, sortiuntur. Accidit autem omnibus & singulis speciebus spirandi difficultas & dolor. Quibusdam etiam febris, & dilatatio anhelitus. Oculi fiunt concaui & ueluti scrobibus septi. Quidam & plerique aperto ore hiant, atque aërem attrahunt, & Linguam exerunt, & hæc sane in reliquis etiam strangulatibus exitiosis eueniunt. Ad hæc in nonnullis etiam tumor superuenit, & transglutiendi quoque difficultas, id quod membro partim nutrienti, hoc est, gulæ, partim prębenti, hoc est, linguæ attribuitur. Lingua quippe defert & cibum, & potum, & porrigit Isophago, hoc est, gulæ. Quum igitur ægre & difficulter moueri propter inflammationem, siue abscessum poterit lingua, functionem etiam suam iacere oportet, & fauces rursum ac gula potius inflammatione coarctata, in summo statim capite conniuet & quam actissime constringitur, eoque omnia quæ adueniunt respuit, ac deglutire quippiam nequit. Cæterum quum quodam conatu deuorare aliquid moliuntur, inter deglutiendum regurgitat ad nares, frustra itaque nituntur, uel impetuose, atque per uim etiam tum cibum tum potum ueluti protrudere, quum Isophagus præclusus nequeat recipere. Quapropter quicquid ita ingerit, per duo palati foramina regurgitādo in nares decūbit, & per nares loqui coguntur, ppterea quod prēcipuū uocis & sermonis articulati instrumentū est lingua. Lingua aūt propter inflāmationem motu suo naturali destituit, necessario igit quū uerba facere nitunt, uox per dicta palati foramina fert, & per nares euolat.

Atque illi

Atq; illi ſanè pro cõclamatis habent, utpote in quorũ ore cõparet ſpuma.

### *Curatio Anginæ.*

CVratio huius affectionis, ex his ſatis, quæ de inflammationibus, ex calidi ſanguinis influxu, cũ pulſatorijs doloribus obortis, recenſuimus, patere arbitror. Vbi ſanè, puto, didiciſti, etiam ſanguinem affluentem, ita ſupprimendum eſſe ab initio ſtatim, ne ueluti poſtliminio reuertetur, atq; ad membrũ preſtãtius tranſeat, & malum adhuc grauius inuehat. Quocirca curandi ratio à uenæ ſectione, à capite ſtatim morbi, ordienda erit. Incidenda uerò principio uena in cubito exterior, quam Cephalicã nominant & humerariam. Noli autem confertim ſanguinẽ ſemel detrahere, ſed parce repetita, ſubinde ex interuallo ſanguinis miſſiõe auferes, quoniam, quæ non confertim ſed pluribus interpoſitis uicibus, euacuatio fit, amplius & exquiſitius ſuperfluos humores à partibus affectis attrahit. Et cumulata confertimq; facta ſanguinis ablatio, animi ſtatim inuehit deliquium, atq; angorem, & ſuperuenit ſæpe letalis ſuffocationis periculum, maximè quum materia ad locum inflãmatione affectum & fauces, aut inde in pulmonem defertur. Quin & illud ineuitabile uitæ diſcrimen infert, quod in tãto ſuffocationis periculo, ne tantillũ quidem alimenti admittunt, unde nihil, quàm ut uirium robur ſuccũbat, eſt reliqui. Si autem per hec parum proficit, neq; affectus ulla ex parte leuior euadit, eas quoq; uenas, que ſub lingua ſunt, incidere conuenit, idq; primo ſtatim die, uel ſecundo. Poſt hæc, aut ſi quid uene ſectioni obſtiterit, aluus acriori clyſtere eluenda eſt, tantiſper dum ſuperfluitates quæ in fauces & guttur decũbunt in contrariam partem deorſum reuellantur. Oportet autem clyſterem ex pharmacis uehementioribus, & paulò ſacrioribus eſſe cõſarcinatum. Cuius claſſis erunt, cucurbitula ſylueſtris, quàm omnes hodie Grecè appellant colocynthida, agaricus, centaurium, chamemelum, melilotum, anethum, furfur, nitrum, oleum ſeſaminum, ſal foſſile ſaxeum, quod ſal gemme dicitur, & ſaccharũ rubeum. Fiat autem illud enema, quum abeſt febris. Si eadem uerò adſit, tum oportet clyſteres ex rebus blandis & clementibus fieri. Cuiuſmodi ſunt chamemelum, uiole ſicce, nymphea, hordeum excorticatum, ſiſimbrium, althea, oleum ſeſaminum, uiolaceum, ſaccharũ penidium, & ſal commune. Ceterum ſi laborantes poterint deglutire aliquid, licebit etiam à ſupernis euacuationem inſtruere, & humores à dolenti parte, cum aqua ſolani & caſſia fiſtulari auertere. Vbi danda eſt opera, ne pharmaci modus uiriũ languentis robur

tis robur excedat, sed ut in æquilibris existant, id quod & citra ætatem aduertendum est, ut pulchrè inter se respondeant. Ab his, si res expostularit, usus aquę hordeaceæ admittitur. Elixentur autem cum hordeo lentes cui cortices detractæ sint, quoniam sanguinis calidi acrimoniam temperant & extinguunt, apparatur autem ad hunc modum.

*Ratio præparandi aquam hordeaceam cum lentibus excorticatis.*

SVmantur hordei portiones duæ, lenticularũ corticibus exutarũ portio una, aquę quantum uidebitur, fiat ad tertias, uel plus minusue elixatio. Gargarismatis porrò, his actis, quemadmodum & inter initia statim, est utendum, non utiq; admodum strenuè reprimentibus, neq; etiam aliud nihil quàm dissipantibus. Quæ enim admodum reprimunt ac repellunt, ea humores ad pulmonem detrudendo, strangulatus periculum inuehunt. Quę dissipant solum, plus ratione sui caloris, quàm par sit attrahunt. Proinde si multa fuerit intra primordia statim inflammatio, ea quæ dolorẽ sedant, & leniter astringunt, adhibere conuenit. Verbi gratia, Aquam solani, aut stillaticium liquorem, peræ pastorię, aut decoctum lentium excorticatarum & rosarum, & glycyrrhizę mundatę, & balaustiorum. Vnicè etiam expediunt Santalum rubeum, Auellana Indica, nuci myristicę similis, quam Arabici Fausel nominant, quum singula aut unumquodq; per se cõtrita decoquunt, & gargarismus ex unoquoq; seorsim, aut commixtim fingitur. Superat autem bonitate hunc succus medicatus ex moris confectus. Porrigimus autem primò sincerum & incompositum, progressu uerò temporis mixtum & compositum. Præstantior autem qui ex moris syluestribus concinnatur, atque ex fructu etiam ramni. E quo sanè succum medicatũ, similem ei qui ex morbis fingitur, facere cõsueuimus, sed efficatiorem, quoniã uehementius astringit, & per omnia ualentius agit. Sed minoris est, quàm succus medicatus διὰ καρυῶν, hoc est, ex corticibus nucum confectus, qui cunctis cæteris medelis quæ gutturis faucium & oris inflammationibus adhibentur longè præstantior & efficatior est. Aduertendũ aũt quod istud pharmacũ astringit ac stipat egregiè, & penetrat altius ac submergit uehemẽter, & insinuat meatibus quos sic imbuit suo succo, ut non

ut non facile inde euellatur. Perinde atq; manus inficiuntur succo dum uirides excoriantur nuces, nequit enim hic color atq; infectio nisi cum uehementer exterentibus & abstergentibus elui, Nisi uis atq; facultas istius succi a manibus imbiberetur, haud sane difficulter posset elui & manus ab infectione mundari, quo autem tam ægre extergitur, tenuium partium esse cësentur, eoq; intimius penetrasse. Galenus in lib. de Cõpositione pharmacorũ κατὰ γένη eius cõpositionis infit: Simul atq; essentiã ipsius discussi, deprehendi ipsum post se longo interuallo, bonitate cętera cuncta quę ad faucium inflammationes, & anginæ omnes differentias finguntur remedia, relinquere. Neq; gustui iniucundum esse, cum melle elixatum, deprehẽdi. Diduxi autem uniuersam usq; confecturam, in parteis quatuor, in quarum primam, miscui semper aliquid astringenti facultate pręditum. In alteram, myrrham, & crocum, inieci. In tertiam, dragachãtam, & nitrum rubeum. Quartam partem, sinceram reliqui & inpermixtam, ut esset dulcis & grata pueris, & adultis parum cordatis & fœminis. Proficit & magnifice succus medicatus ex cotoneis, & piris sorbisq; seu mespilis Zaror Arabice appellatis. Succus item medicatus de uino pari modo apparatus, ad inflãmationes oris omnes accõmodatissimum est remedium. Et quemadmodũ inter affectus statim exordia medelis, quę omnem humorum influxum repellunt, indigent. Ita & in affectionis incrementi tempore, atq; in summo etiam uigore, mixtę naturæ pharmacis opus habent. Nempe eis quę cum expulsoria uirtute corroborant, & his quæ resoluunt. E quorum albo sunt, stillatitia aqua, siue succus coriandri humidi, aqua solani, aqua cassiæ fistularis. Sed est qđ exuperet magis, præsertim in incremẽti tempore, facultas astringens & styptica. In summo morbi uigore, id quod resoluit præpolleat. In declinationis autem tempore, solum id quod materiam resoluit, adhibendum est pharmacum. Quoniam dum morbus in suo uigore consistit, & quæ fluxit sublata est materies, medicinam maturandi facultate pręditam, adhibendam esse in confesso habetur. Verbi gratia, Succus medicatus per se, decoctum caricarum, aut decoctum sertulæ Campanę, quam μελιλῶτον Græci nominant, & decoctum glycyrrhizę decorticatæ. Proficit ad hoc plurimum quoq; lac admodum calidum, aut cassia fistularis in aqua sursuris simile diluta. Prodest non parum etiam aqua mulsa, in qua aliquid de calamintha, & his quæ in montibus prouenit, elixatum fuerit, item quod subijcitur conferens, medicamentum est.

Pharmacum

*Pharmacum ad anginam & oris inflammationes conducibile, & præstantißimum gargarismum.*

Sumito
- Balaustiorum.
- Rosarum.
- Salis Ammoniaci.
- Aluminis lameni, fissiue. Singulorum drachmam.
- Pyrethri.
- Carpasiorum. Vniuscuiusq; drachmam dimidiam.
- Gallarum.
- Spodij.
- Croci. Cuiuslibet Dauic duo.
- Succi medicati, quod Rob dicunt, unciam.
- Succi medicati de moris, quadrantem.

Commixtis omnibus, fingatur gargarisma.

*Dauic, dicunt alij sex, alij octo esse grana.*

Conducit præterea hoc medicamentum, ad inflammationes, siue abscessus radicis inguinum. Cæterum ubi inflammatio ad resolutionem peruenerit, & acredo ipsius quieuerit, sic ut non fiat humorum ad partem inflammatam defluxio, tunc est quod, cum succo medicato δι᾽ οἴνου, id est, de uino, quo de prædictum est, medicinarum aliquid resoluentium permisceatur, ueluti est, sulphur, & oletum caninum, a cane ossibus pasto oletatum. Ad eundem fere usum plurimũ confert, Medicamentum ex moly rutaue syluestri (quod διὰ καλάμων, hoc est, ex harundinibus quidam nominant) confertum, si forinsecus solum inungatur, aut linimenti modo inducatur. Maxime quando admiscetur ei stercus caninum, & humanum, & succus cucumeris asinini. Cum singulis autem hisce medicamentis, in usu aliquid medicinarum ex confectione, quam ad gargarismum contexìmus, permiscere conuenit. Atqui si quis oletulum humanũ, ueluti inhumanum, in os sumere propter graueolentiam abhorreat, huic abunde fuerit succus cucumeris asinini, & excrementum caninum aridum, quum leuigatum solum & cribratũ illis permiscetur, & gutturi extrinsecus eo medicamento, quã penitissime illinitur, Saluberrimum est, & præsentaneum remedium. Cæterum linimentum eiusmodi, non est nisi in affectus declinatione usurpandum. Neq; inutile erit, si ceruicem oleis chamæmelino, liliaceo, & anethino perungas, aut decocto chamæmeli, meliloti, hordei, & seminũ lini foueas. Quod si palatum, uel morbi, uel medicamentorum ergò, ita exasperetur, ut feruore & phlegmone conflictetur, fingatur illico gargaris-

T mus ex

mus ex copioſo lacte pręcalido, adiecto oleo roſaceo. Hactenus igitur de Anginæ & ſuffocationis curandi methodo. Nunc ad catarrhi nos ſpecies conferemus.

### *De deſtillatione, grauedine & Raucedine.* Cap. XIX.

DEſtillatio quæ Græcis κατάῤῥοος dicitur, eſt, quum humor ad os & fauces decumbit. Grauedo autem, quæ Græcis κορύζα uocatur, ubi ad nares humor deſtillat. Raucedo uerò ſiue Aſperitas, βράγχος appellata, dum ad Tracheā, hoc eſt, aſperam arteriam delabitur, accidit. Omnium autem talium defluxionum cauſa eſt cerebrum, quando uidelicet ab æſtu calefit & repletur, & ab algore ad frigidam intemperiem deducitur. Perinde atq; corpus per ſui temperamenti mutationē, & quem admodum diarrhœa accidit, in uentriculo prauæ concoctionis cauſa. Ita & ſinguli affectus commemorati eueniunt. Signa externarum cauſarum ex laborantis ſermonibus facilè deprehendūtur. Quib. uerò ex ęſtu humorum defluxione caput dolet, his caput uehementer incaleſcit, acris & tenuis humor deſtillat in nares atq; os, facies ruffeſcit atq; naſus, & ſępius etiam febris comitatur. Quibus aut ex algore hoc malum accidit, ijs caput undiq; & frons diſtenditur, ſupercilia inſurgunt, ac eminent, meatusq; qui in oſſibus ſunt, quę à percolando ethmoide dicūtur, obſtruuntur atque ita clauduntur, ut ne uox quidem ac ſpiritus deorſum, per nares tranſineare queat, ſic ut ſermo abſolutus non expediatur, neq; odorum dignotio impedita ad cerebrum feratur. Pituita deniq; & craſſus humor interdum per nares non euacuatur. Interdum è naribus ſtillat. Quod ſi ex capite in pectus decumbat craſſa, aut qualiſcunq; materia, comitatur ipſam tuſſicula, & ſcreatus ſputumq; nunc humidum & crudum, nunc uireſcens, aut cruentum, aliàs cum ſummo enixu ſanguis, qui itidē quandoq; cum conatu emungit.

### *Curatio Deſtillationis à cauſa calida orta.*

QVod uerò ad curandi rationem pertinet, conſulēdum imprimis eſt, capiti, tanquàm fonti iſtius afflictionis. Si igitur à calida intemperie cum materia caput afficitur, ijs ſtatim à principio pugnandū eſt præſidijs, quæ eiuſmodi capitis dolori conſecrata ſunt. Cuius ſanè generis habetur comprimis decoctum uiolarum ſiccarum, hordei excorticati, papaueris, & chamæmeli. Cuius uel ſolo uapore generati in capite uapores calidi diſcutiantur, uel calida eiuſdem iuris irroratione. Circa uerò aurorā pariter

ac ueſperam

ac uesperam sumatur διὰ κωδειῶν, hoc est, Syropus qui ex papauere ad abigendam tussim concinnatur. Probatur etiam usus sorbitionis ex amylo, hordeo decorticato, & faba cum aqua cœlesti confectæ, tragachanta insuper in pollinem contrita inseratur, & olei aliquid amygdalarum dulcium, cum penidio. Præclare etiam auxiliatur ytria cum penidijs, & oleo amygdalarum dulcium elixata. Opitulatur & aqua † furfuris pari modo præparata. Necessitate uero exigente ad eundem quoque modum, aqua hordeacea apparata utendum. Olera autem quorũ usus si calor urget, uehemens probatur, sunt, atriplex, malua, portulaca, & cucurbita ammixto oleo amygdalino, ex dulcibus nempe amygdalis cõfecto. Quod si nullus calor assit, tum elixentur cum pullis gallinaceis, columbinis, & † tragachanta. Bibant Syropum uiolaceum, & Zulapium, & succum siue aquam malorum Punicorum dulcium, aut succum medicatum. Diacodium. †sulphuris. Sic enim habent aliqui.

### Curatio Bronchi.

VBi autem fuerit in palato & lingula, quam ἐπιγλωττίδα, Græci uocant, Raucitas cum plurima asperitate, tum utendum est medicamentis agglutinantibus, & lenientibus. Cuius farinæ sunt pastilli siue globuli Becchici ex tragachanta, amylo, succo glycyrrhizæ, seminibus cotoneorum, & psyllio confecti. Quum autem materiam destillantem supprimere, ac cohibere est animus, tum furfures in aceto uinoso prunis imponimus, & ægrotanti supponimus & uaporem inde exhalantem naribus attrahere iubemus. Vel accipiat ipsum cum saccharo candidissimo, seu cum rosis aridis. Vel acetum roris instar lapidi candenti instillabis, & ægrum naribus fumum inde emergentem haurire, effice. Valet etiam aqua rosacea naribus subinde attracta. Fabulum preterea, & hordeum aceto macerata, incensa & suffita, ad destillatiões ex capite in subiectas partes, & grauedines ex æstu contractas quàm maxime prosunt. Raucedini summatim ijsdem fere, quibus tussi succurritur pharmacis.

### Curatio destillationum, quæ ex algore conflatæ sunt.

SI frigidus humor à capite destillauerit, Curationem à uapore decocti chamæmeli, meliloti, bethonicæ, maioranæ, origani, & sisymbrij, auspicemur. Formari etiam inde & similibus possunt Sacculi ex serico, & su-

turæ coronali imponi. Confert etiam ſorbitio ex aqua furfuris, & tritici cum oleo amygdalino, & melle ſyncero apparata. Poſtremo ubi catarrhum reprimere in totumq́; arcere contendimus, uſum ſuffimentorum adhibere conuenit, quale eſt, quod conſtituitur ex ſtyrace ſicca, aut thure, aut maſtiche, aut ligno aloës, non Aromatizato, aut cinnamomo, aut gariophylis, aut gallia moſchata, aut ſampſucho, roremarino, ſaluia, aut ſandaraca, & id genus cæteris. Quæ ſingula incenſa, aut prunis iniecta ſuffituq́; adhibita, catarrho è frigida cauſa oborto ſuccurrunt. Poſſunt autem ex iiſdem paſtilli pro ſuffitu componi, ad hunc modum.

*Paſtilli pro ſuffitu præſentis auxilij, ſi eos catarrhoſi ex algore odorent.*

Accipe
- Styracis calaminthę aridæ denarium unum.
- Thuris tantundem.
- Maſtiches denarij pondo dimidij.
- Xiloaloës non odorati denar. ſemis.
- Gariophillorum.
- Cinnamomi ſelecti. Singulorum obulos duos.
- Santalorum luteorum denar. unum.
- Sampſuchi obulum unum.
- Galliæ moſchatæ ſeſquidenarium.
- Moſchi exquiſiti.
- Ambrę bonæ. Vniuſcuiuſq; granum unum.

Terantur ſingula prius & excipiantur ſtacte ſufficienti, & fingantur paſtilli, quorum unus uſu exigente carbonibus ignitis inſeratur. Suppetias adhuc his omnibus magis præſentaneas adfert, nigella torrefacta linteolo indita & illigata, ſi eam ægrotantes odorent. Sunt qui cyminum crematum pari modo adhibitum commendent. Quod ſi deſtillatio humoris frigidi, in pectus ac thoracem decumbit, tuſſimq́; excitat, iiſdem ferè quibus tuſſis ex frigore nata curatur medicamentis.

De uarijs speciebus tussis. Cap. XX.

TVssis tametsi uariæ existant causæ. Magna tamen ex parte ad humiditatem fluentem refert originem. Quæ utique uel à supernis delabitur, uel ab infernis sursum ascendit. Quæ à supernis defluit, à cerebro ueluti fonte suo scaturit. Quæ ab infernis ascendit, humiditas ex partibus nutritiuis appellatis, aut respirationi dicatis, & spiriritalibus uulgò nuncupatis, emergit. Humor quippe à capite ad asperam arteriam destillans tussim irritat. Cibi item ac potus, qui præterlabuntur tussim excitant. Acris quoque humor stomachũ infestans, & irritantem aliquam qualitatem sursum ad fauces delegans, tussiculam mouet. Humor denique in pulmone, & thorace detentus, sępè amplissimæ tussis causa existit. Est quando citra humorem ad thoracem & pulmonem defluentem, ex intemperie sola instrumentorum respirationi seruientium, & ex inflammatione potissimum, quæ in gibbo iocinoris euenit interdum, tussis excitatur, quoniam phlegmone talis septum transuersum impellit ac opprimit, oppresso autem & impulso septo transuerso in arctum redigitur, quum uerò in arctũ redigitur, coartatur & constringitur pectus. Vtrisq; autem his simul in angustum redactis & coartatis, tussis eliditur. Quin & citra has geminas causas, subinde tussis accidit. Quando uidelicet, fistula quæ à faucibus ad pulmonem usq; protenditur, & Græcis τραχεῖα ἀρτηρία καὶ βρόγχος. Latinis Aspera arteria uocatur, acrimoniam quandam uellicantem & asperitatem experitur, ceu fit aceto deglutito. Acetum enim solum, citra medium aliquod aliud, tussim irritat. Sola nanq; asperitas (quæ ex aceto accidit) membranę, quę asperam arteriam intrinsecus ambit, tussim facit, eò quod, dum uentus siccitatem offenderit, tussicula excitatur. Id uerò hinc manifestum fit, quod dum loquuntur, aut os aperiunt, tunc tussiunt, quum uerò non, minimè. Accidit porrò non raro tussis citra materiam ex sola intemperie praua, præsertim frigida, non sanè in partibus thoracis, sed in musculis potius quatuor costarum in medio expansarum, instrumentorumq; respirationis, & est ea sanè, nisi magna admodum fuerit, curatu facilis, adeò ut per spiritus detentionẽ sępe supprimi, & ne eueniat prohiberi possit, propterea quod per spiritus inhibitionẽ frigidæ particulæ calefiant. Cæterũ ex respiratione ac halitu, haud difficilè est unamquanque tussis speciem cognoscere, hoc pacto. Si est propter solam intemperiem calidam, sensui apparet etiam oris halitus calidior, & æger sensu quoque percipit uehe- *Signa calidæ tussis.*

mentem in instrumentis anhelitus inflammationem, facie sunt rubicunda, uehementi siti præmuntur, quam maximè extingui concupiscunt, calidis malè, frigidis benè afficiuntur. Oblectat, recreat atque iuuat etiam uentus aspirans frigidus, & auræ frigidæ attractio. Sic affecti inter tussiendum expuunt gustu & colore subbiliosum. Si propter solam frigidam respirationis instrumentorum intemperiem tussis oriatur, Facie erunt affecti pallida, aut plumbei coloris, calor nullus infestat, siti nulla prémuntur, calidis optimè, frigidis pessimè afficiuntur. Ex his igitur notis simplex intemperies, unde tussis exoritur facilè deprehēditur. Compositam uerò, ex harum simplicium mixtura cognosces. Compositio igitur disteperamentorū cum simplici materia, ex eius quod unà cum tussi eijcitur copia, atq; ex ipso grauedinis sensu cognoscitur. Siquidem calida pariter ac frigida fuerit intemperies, singularum, quas prædiximus, notæ, commixtæ inter se comparebunt. Si uerò aut calida, aut frigida fuerit temperatura praua, ex signis iampridem commemoratis, liquidò constabit. Humor autem qui ex capite in subiectas partes destillat, ex sonitu & acredine, quæ in columella (quā Græci γαργαρεῶνα, hoc est, gurgulionem nominant) & fistula pulmonis percipitur, cognosci poterit.

*Curatio tußis è calore contracta.*

QVod uerò ad curationem attinet, Quę à ratione semper uictus auspicanda est. Variabitur itaq; in tussis speciebus pro causarum diuersitate, ceu ex sequentibus patebit. Si proinde tussis ex calida intemperie fuerit oborta, per præsidia quæ refrigerare possunt, curabitur. Probatur itaque per initia statim Syropus διὰ κωδειῶν purus, citra additamentum. Est aūt syropus iste tussi calidę consecratus, cum aqua hordeacea in aqua myxa, quę Sebesten appellant, elixata sint. Post quem exhibebimus ecligma uiolaceum, hoc est, uiolas saccharo conditas, cum decocto hyssopi, ex papauere cādido atroq;, hordeo item & sabulo decorticato, oleo amygdalino, & penidijs ammixtis, confecto. Et si res exigat, quemadmodum si calor urgeat uehemens cum habūdantia sanguinis, Incidatur uena in cubito interior, quam omnes hodie, Iecorariam & Basilicam cognominãt. Opem insuper adferet magnam conueniens, hoc est, frigidiuscula & humectans uictus ratio. Cuiusmodi sunt sorbitiones, præsertim quæ ex fabis, aqua hordeacea,

papauere

papauere albo, oleo de amygdalis dulcibus, & penidijs apparantur. Cibus item liquidus ſorbitioue ex atriplice, chryſolocanna, & malua cum oleo de amygdalis dulcibus, & ſaccharo penidio inſtructus. Cōmendatur & uſus ſorbitionum, quę ex tritico fiunt. Quibus ſi utare tantiſper dum materiæ relictæ diſſoluantur, haud exiguum emolumentum ſenties, & auxilium præſentaneum. Quod ſi nulla adſit febris, Licebit etiam lutea oui ſorbilia deglutire, quoniam præterquàm quod haud ita multum calefacit, etiam reſoluit ac diſſipat. Expediunt inſuper hac tuſſi laborantibus, potus Syropi & Zulapij uiolarum, ut qui pulchrè refrigerant, & leniūt. Aquę item ſacchari, propterea quod exiguam tantummodo calfaciendi, maiorem uerò extenuandi & abſtergendi facultatem obtinet. Conducit præterea plurimum ſuccus medicatus, quem Rob Arabum ſectatores nominant, in potu ſumptus. Benefacit etiam ſuccus, ſiue aqua malorum Punicorum dulcium, & ſuccus denique harundinum in quibus mel, ſalis modo concreſcit, & ſaccharum appellatur. Eundem etiam habet uſum, aqua mulſa propinata. Ad abſtergendum porrò, thorax foris uniuerſus cera ſincera, colo transfuſa & eliquata cum oleo uiolaceo, & tragachanta trita ac diluta, ſubinde obliniatur. Magnum quippe adferet tuſſientibus pręſidium, ſi pectus ipſorum eiuſmodi ungento foueatur.

### *Curatio tuſsis ex algore.*

SI uerò tuſſis ex cauſa aliqua frigida duxerit originem, præſidijs calfacientibus occurrendum eſt. Inter quæ partes bonitatis non ultimas tenet, Aqua ſtillatitia, ſiue decoctum hyſſopi, in quibus marubiū cum uiolis melle conditis, & oleo nucleorum nucum Pinearum, piſtaceorumque elixatum ſit. Prodeſt etiam uſus ſorbitionis ex tritico, & alkeſue, & melle puro, & oleo amygdalarum dulcium. Sed quod ad rationem uictus attinet, Aër & uentus qui inſpirantur, cibi quoque & potus frigidi uitentur. Laudatur in cibo epulum, ex carnibus apparatum quod Iſphidabegi nuncupant Arabicè. Carnes item hœdinæ, Braſſicæ ſeu caules elixæ, betaq; & malua. Potus eſto decoctum mellis, mulſa, decoctum paſſularum, & ſuccus medicatus. Thorax adhęc calidis ungentis, quale eſt, oleum liliaceum, aut anethinum, amygdalinum, aut narciſſinum, aut irinum, & eiuſmodi, cum cera recenti, adipe gallinaceę, & tragachanta leuigata, & alijs, hoc modo in ungentum redactis

Accipe
- Oleorum liliacei, siue
- Irini alterutrius unciam semis.
- Narcissini drachmam unam & semis.
- Amygdalarum dul. drach. tres.
- Adipis gallinacei.
- Butyri recentis. Vtriusq; drach. duas.
- Lentitię { Seminis lini. Radicis althææ. Cuiusq; drachmam.
- Radicis helenij puluerizati drach.
- Croci obulum unum.
- Ceræ quantum satis est.

Redigantur in ungentum liquidum secundum artem.

Quod si in trachea arteria, fistula pulmonis humor aliquis destillans tussim excitauerit, tunc in curatione per absterforiam uim habentia pharmaca potissimum, sanabitur ægrotans. In quem usum conuent, propinare sorbitionem ex fabis & melle. Sorbitionem ex brassica alba capitata, porrisq;. Prosunt etiam magnificè medicamenta, quę ex terebintho, cinnamomo, pipere, antidoto uiperina, seu bezard, cassia lignea, radicibus lilij, mirrhaq; ac thure, præparantur. Raucitatem uerò, quæ ex humore ad asperā arteriam (quam uulgò cannam pulmonis uocant) destillante contingit, medelis agglutinantibus, ammixtis etiam quibusdam abstergentibus curare oportet. Cuiusmodi est hordeū, & tragachāta. Reliquę tussis species, quæ ex sola instrumentorum respirationis intemperie, citra materiam oboriuntur, solis pręsidijs contrarijs, alterantibus nempe curabuntur.

### *De Pleuritide, hoc est, punctorio cruciatu laterali, qui Aberitis & Assoßatiab Arabum Medicis appellatur.* Cap. XXI.

Πλευρῖτις inflammatio est membranæ costas & latera intrinsecus succingentis. Vbi sciendum comprimis est, quod uniuersus thorax costis quatuor & uiginti comprehenditur. In spacijs quæ costas intercedunt, musculi intercostales appellati, consistunt, numero duo & uiginti, quorum fibræ ab externis partibus deorsum uersus declināt, & ab internis cōtrario modo ad figurā gręcę literę χ exteriores secāt. Hi musculi thoracē exactè attollūt, submittuntq; & leuiter cōprimunt. Et quoniā duplices sunt, Interiores inspiratiōi, exteriores expiratiōi seruiūt. Quū igit̄ mēbrana quę omni

bus intra

bus intra thoracem costis, & intercostalibus musculis obducitur, eoque à Græcis ὑποζωκὸς à Latinis Succingens appellatur, inflammationem experitur, affectus hic à Græcis πλευρῖτις ab Arabibus Caluritus, nuncupatur. Quando autem lacerti inflammatione tentantur, Pleuritis notha ab illis, ab his uerò Caluritus non uera dicitur affectio. Cæterum inter pleuritida, exquisitam ac ueram, & non exquisitam & notham, hoc discrimine discernes: Si est pleuritis exquisita, tunc est dolor inordinatus, distendens & uehementer pungens, propterea quod membrana succingens, quam obsedit inflammatio, neruea existens, sua natura sentiens & sensifica existit, unde tum punctio, tum cruciatus simul uehementer, & intollerabilis enecat affectum, pungens enim dolor membranam misere laniat & excruciat. Qui utiq; ex centro suo undiquaq; ad circumferentiam extenditur, centro continenter persistente immobili & fixo. Significationes autem proprię, ueræ & exquisitæ Pleuritidis sunt: Tussis, dolor uehementer pungens, & clamosus, febris acuta, spirandi difficultas, percussus arteriarũ durus, & serrę instar exasperatur. Quod si si dolor cum distensione ad loca usq; totius ambitus undiq; spargitur, nõ erit fixi locatique, ut uocant, centri cruciatus, sed mordicans à dolore, scilicet, succingentis membranæ diuersus, propter, nimirum, diuersitatem situs partium membranæ, quoniam ambiens costas expanditur illis partibus impensè. Illæ uerò quæ spacia intercostalia intercedunt, & ijsdem locis consistunt, laxæ ac molles, carnosæ non admodum neruosæ existunt. Quocirca dum abscessus seu phlegmone in locis costalibus, hoc est, cum costis annexis partibus existit, tunc dolor binis quidem accidit nominibus, sed communi ratione inflammationis. Neq; diximus Inflammationem, nisi sermone communi, quoniam membrana coartatur ac angitur ex costis. Quum uerò in musculis intercostalibus existit inflammatio, tum simplicis phlegmones modò dolor exagitat. Si uerò cruciatus pulsatilis est, absque punctione, uno in loco fixus, pleuritis appellabitur notha. Percussus quippe non fit, nisi in locis, quos, arteriæ complures perreptant. Præter nanque signa commemorata arteriarum etiam percussus pleuritidem comprimis testantur. Pulsus nanque arteriarum durus & serræ modò asper, phlegmonen in membrana portendit. Æqualis aũt, nec admodũ durus, phlegmonẽ in musculis intercostalibus arguit. Eò quod pulsus durus, uel ꝑpter extensionẽ, uel propter siccitatẽ, uel propter algorẽ efficit. Sed in pleuritide durus ob extensionẽ euadit, quoniam corpora

*Pleuritis uera.*

*Signa.*

*Pleuritis notha.*

corpora neruoſa phlegmone obſeſſa expanduntur, expanſione & extenſione æqualitatem excedente, quemadmodum & membrana, quoniam neruoſa eſt, pluribus agitatur motibus, propter neruos qui ſparguntur per eam, & quando inflammatur, abſceſſumque experitur, neceſſario expanditur, expanduntur igitur & arteriæ per eam diſſeminatæ, quoniam in eadem quum oriuntur tum finiunt. Porro ex his quæ cum ſputo eijciuntur, inter legitimam & notham Pleuritim diſcernes. Si cum ſaliua craſſus quiſpiam ac glutinoſus humor, tunc talem ſubeſſe humorem infeſtantem teſtatur, & uerum inde dolorem lateralem πλευρῖτιδα appellatum oriri. Quod quũ non fit ab initio ſtatim, fiet pauculo tempore interpoſito. Si modo res ſe, ut dixi, cum uiſcidis & craſſis humoribus habeat. In Notha autẽ Pleuritide, ne tantillũ quidem cum ſaliua eijcitur. Præterea, quum locum quis affectum, uel uno ſaltẽ digitulo leuiter attingit, laborans ſenſum illico doloroſum percipit, tum eſt dolor in muſculis intercoſtalibus. Et eſt pleuritis non uera. Quin & ſputum humorem noxium ſuo colore fatetur. Nam ſi ſputum rubrum & cruentum fuerit, ſanguinem ſuperare ſignificat. Si flauam & ſubpallidum, tunc flauam bilem redundare portendit. Quemadmodum ſi albũ fuerit, & leuiter ſpumoſum, pituitam. Sin nigrius, atram bilem in ſanguine præualere arguit. Veram autem pleuritim comitantur, quatuor hęc ſymptωmata, Spirandi difficultas, tuſſis, dolor acriter pungens, & febris continua, & acuta. Spirandi autem accidit difficultas, propter coarctationem locorum pręter naturam, quam ægri intrinſecus manifeſte ſenſu percipiũt. Tuſſis uero, propter humorem deſtillantem. Dolor pungens, propter menbranæ extenſionem. Febris acuta, propter calorem, qui cor obruit, & deinde per arterias in totum corpus diffunditur. Terminatur autem ac decernit uera pleuritis decimo quarto, ut plurimum, die, aut uiceſimo, & proculdubio cum ſputo. Notha autem Pleuritis illis diebus per ſputum non finitur, aut iudicium de ſe præbet, ſed ad ſputum ſanioſum peruenit. Quemadmodum teſtatur Hippocrates, libro Aphoriſmorum quinto, Aphoriſmo octauo, his uerbis: ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τέσσαρσι καὶ δέκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα καθίσταται. Hoc eſt, quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgant, hi ad ſuppurationẽ uertuntur. Nam ubi in quadraginta diebus non repurgantur, hi ad tabem, ad ſuppurationem trãſmeant. Et quicunq; in quadraginta diebus non expurgantur, tunc ad tabem, (quam φθίσιν uocant) perueniunt,

Hippocrate eodem libro, ſententia decima quinta, in hęc uerba adſtipulante. ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται παύονται, ἢν δὲ μὴ, εἰς φθίσιν μεθίσαται. Quod eſt, quicunque de laterali morbo, purulenti fiunt, ſi quadraginta diebus ex quo prorumpere cœpit, perpurgentur, liberantur, ſin minus, tabes ſubrepit. Quod ſanè pus & ſanies, propter putredinem, quę ei longiore temporis ſpacio accidit, pulmonē corrodit. Habet autem lateralis hic morbus quadruplicem ordinem, ac ueluti gradus quatuor. Quorum primus eſt, in quo nihil eijcitur ſputi, & hic eſt curatu perdifficilis, ut qui haud facile reſoluitur. Alter gradus eſt, in quo ſputum effertur tenue & ſubtile. Tertius, in quo humores comparent craſſi. Quartus, in quo ſputum excreatur temperatum & marcidum.

### *Curatio Pleuritidis.*

IN curandi ratione inter initia ſtatim à medico diligenter conſiderandum eſt, Quod Pleuritis magna ex parte, ex ſolo ſanguine bilioſo calido, quod eſt, ex materia feruente ad prędictam membranam pręter naturam confluente prouenit, propterea quod membrana ſuccingens non ſolet niſi huiuſmodi materias calidas recipere, eò quod dum ſtringitur ac dilatatur multū, & ex motu incaleſcit, fortis fit attractio, & accurrūt iſtiuſmodi humores affatim, & phlegmonen, niſi ſuccurratur, conciliant. Confeſtim igitur totum corpus per ſanguinis miſſionem euacuandū eſt, Secanda itaq; uena cubiti interna, quam Baſilicam dextram ac ſiniſtram, hoc eſt, Iecorariam & Lienarē. In principio quidem ægritudinis dum materia etiam eſt in fluxu, & increſcit, in eo brachio, quod è directo loci patientis poſitū eſt, ut auellatur infeſtans materia ad locum contrariū. Vbi uerò malū iam aliquandiu durauerit, atq; radices altius egerit, materiaq; amplius non fluxerit, tunc non ex latere oppoſito, ſed ex brachio partis affectę ſanguis detrahatur. Quemadmodū Galenus in libro de Curandi ratione per ſanguinis miſſionē docet, ubi ſic ſcriptum reliquit: Sanguinis miſſio quę è directò laborantis lateris adhibita pleureticis fuit, clariſſimā ſępè utilitatē adfert. Quę uerò ex brachio oppoſito, aut omnino nullā, aut obſcurā, aut certè poſt tēporis interuallū. Siquidē hęc non ſolū à parte affecta, retrahit, uerū etiā celeriter, qđ in pleuritide, aliiſq; inflāmationibus internis maximè re-

quiritur, euacuat. Est uero eiusmodi sanguinis detractione utēdum, quum primum dolor pertingit utrasq; clauiculas. A sanguinis missione, propinetur ægrotanti decoctum, quod ex Iuiubis, mixtis (Sebesten nominãt) uuis passis acinis exemptis, seu passulis, papauere albo, & tragachanta cum uiolis saccharo conditis, & oleo de amygdalis dulcibus conficitur, per diem nempe unum. Postea aqua propinetur hordeacea. Quoniam pręter quod auxiliatur pleuretico, nutrit etiam, & non modo non lędit, sed uehemēter quoq; adiuuat uirtutem patientis, neq; abominatur potum ipsius, & pręter quàm quod abstergit, ne augeatur affectio prohibet. Post quartum uero diem quum sputum copiosius eijcitur, decocto glycyrrhiza, capillus ueneris, & ficus adijciantur. Quod si aluus siccior non respondeat, lubricetur cum cassia fistulari per se, uel cum decocto, iam pridem cōmemorato. Deijciemusq; ipsam denuo cum uiolis siccis, & penidijs, aut saccharo. Clyster pręterea leuis, si aluus, sponte sua, ut conuenit, excrementa non deijciat, infundi utiliter potest. Potissimum quando punctorius dolor ad pręcordia, hoc est, hypochondria usque peruenit. Cuiusmodi qui ex his, ad hunc fere modum contexitur.

Accipe {
Berę.
Maluæ.
Violariæ.
Mercurialis.
Lactucæ.
Intybi.
Portulacæ. Vniuscuiusq; M. unum.
Hordei integri pugillos tres.
}

Decoquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias, & colo diffundantur, deinde,

Accipe {
Iuris decocti libram unam.
Medullæ cassiæ fistularis sesquiunciam.
Oleorum uiolacei sextantem.
Chamęmelini unciam unam.
Butyri recentis semunciam.
Salis fossilis saxei denarium unum & dimidium.
Commixtis omnibus fiat enema.
}

Quin & ungenta foris ab initio statim induci possunt. Cerotum nempe ex cera

ex cera candida, oleo uiolaceo, & tragachanta conformatum. Post corporis uacuationem circa ægritudinis finem, temperata & dolorem leuantia fomenta extrinsecus adhibeantur, pariter & emplastra, è floribus chamæmeli, meliloti, anethi, farina hordei, radicibus althææ, uiolis tum siccis, tum uiridibus, seminibus lini, tragachãta, glycyrrhiza, cum oleo liliaceo, & uiolaceo, composita. Quod uerò ad rationem uictus huius affectionis attinet, cibis nutriatur hoc morbo implicitus moderatè calfacientibus & humectãtibus, qui ad sputi facilem excreationem conducant, ut est, Sorbitio extenuans condita, si febris absit, aut si febris sit debilis & modica, cum melle. Succo ptysanæ primis duobus diebus, contentum in cibo sic affectũ esse conuenit. Expedit etiam aqua furfuracea cum pœnidijs, & oleo de amygdalis dulcibus. Maluæ item & atriplices, & id genus cætera, dum elixãtur. Cõducit quoq; lac amygdalarum, & si uires sint debiles ualdè, panis mica ex iure gallinaceo. Potus sit mulsa, siue aqua mellis, leuat enim dolores & plurimum abstergit, nutritq;, si cibo non grauatur corpus, & promouet alimentorum distributionem in corpus. Si uerò quos ob uehementem aquæ mellis caliditatem sitis consequitur, ij à potu eius arceantur. In uicem uerò ipsius potus nihil calfaciẽs, aut in quo uis sit calfactoria paucissima. Qualis est, Syropus uiolaceus, siue zulapium. Confert & syropus διὰ κωδειῶν hoc est, ex papaueribus, sincerus. Potissimum si uigiliæ urgeant & materiæ ad pectus trudant. Decoctum itidem cinnamomi à pluribus commendatur. Vitentur acerba & frigida. *Victus.*

*De discrimine inter Pleuritim & Iocinoris abscessum.* Cap. XXII.

QVum laborans quispiam è dolore conqueritur se dirum sentire in regione lateralium costarum dolorem, caue confestim, ubi tetigeris, credas Pleuritida morbum esse. Quoniam in Iocinoris inflammationibus & membranæ succingentis, arteriarũ percussus nullo pacto respondent. Quemadmodum etiam quæ utrinq; euacuantur, nullam inter se dispositionem consimilem præferunt. Proindè quum nihil eijciatur eius materiæ, per quam liceat malum liquidò discernere epigastrum, quod Mirach Arabes nominant, tactu diligenter pertentandum atq; adeò acuratius explorandum est, ubi si nullam phlegmones in cauo iocinoris existentis notam deprehenderis, fieri potest, ut in gibbo ipsius, in parte quæ sub dorsi costis tantum, consistat inflãmatio, præcipe itaq; ægrotanti, ut uehementer respiret. Sic; inter respirandũ graue quiddam in locis

qui supra costas circa suspensoria, uti uocant, iocinoris sunt, ueluti suspensum sentire uidebitur, aut eiusmodi quidpiam in eius ambitu retentum percipiat, non erit uitium in membrana costas & latera succingēte. Quoniam fieri potest, ut accidat respirandi difficultas, quum inflāmationem dictus iocinoris locus experitur, eò quod succingens inde membrana coartatur, & exili motione tussiculam concitat. Cæterum in talibus malis, & in reliquis plerisq; ęgritudinibus, uera certaq; cognitio ex arteriarum percussu sumitur. Proinde temporis progressu, eiusmodi maxima ex parte symptomata superueniunt. Lingua pariter & reliquum corpus, alieno colore inficiuntur. In pectoris uerò affectibus accedit etiam tussis. Procedēte adhuc ampliore tēpore, cum tussicula sputumq; dubio procul educitur, cum difficultate respirandi, citra ullam instrumentorum spiritus, quemadmodum fieri potest, oblæsionem, qua absq; interdum, si membrana septum trāsuersum ad inferna trahitur, seu contrahitur, & coartatur, anhelosi laborantes, respirationis facultate impedita euadunt.

### De Peripneumonia, pulmonis inflammatione. Cap. XXIII.

Περιπνευμονία nihil aliud est, quàm inflammatio pulmonis cum febre acuta. Est autem inflammatio (quam φλεγμονὴν Græci nuncupant) nihil, nisi abscessus (quod Græcè omnes hodie Apostema uocat) calidus, quæ maxima ex parte à ualidioribus & diuturnis in pulmonem destillationibus, aut angina, aut asthmate, aut pleuritide, aut alijs id genus morbis oritur. Quādo uidelicet, exul eiusmodi ægritudinum materia pulmonē obruit, & quinq; ipsius fibras. Vbi persistit, ac remanet, & propter coartationem corrumpitur ac putrescit, nunc in singulis, nunc in quibusdam saltem fibris. Aliquando etiam ipsa inflammatio pulmonis sola, citra prędictas destillationes & ægritudines, mali origo est. Hac quidem inflammatione implicitos comitatur respirandi difficultas, eò quod pulmo cordi undiquaq;, refrigerij gratia superiacens, suffocationem molitur, febris acuta & ardēs, grauitas in pectore & reliquo corpore. Distensio thoracis, & rationis noxa, & sensuum interiorū oblæsio. Perculsio mentis, siue terror. Intumescūt oculi, inflaturq; facies, sic, ut thoruli uenarū in ea, propter exuberantem sanguinem cōpareant. Malę ijs rubent & tota facies ex calente sanguineo uapore è pulmone eleuato, eò quod rarior faciei cōstitutio excitatos uapores promptius quàm reliquę partes arripit. Lingua est arida, expiratio calida, tussis sicca, & à cibis deniq; appetitus auersio.

Curatio

## Curatio Peripneumoniæ.

IN medendi huius mali ratione sanguinis detractio (unde aliâs auspicandum erat) uitanda est ijs, qui ex alijs morbis in hoc malum incidunt, potissimè si diutius eo morbo laborarint, uel si in eodem sanguinem miserint. Cæterum si Peripneumonia confestim ab initio inuaserit, à sanguinis detractione, si uires & alia permiserint, ordienda est curatio. Incidēda autem uena cubiti interna, & si uirium robur licuerit, ex utroque brachio sanguis auferendus est modicè, & non ad animi usque deliquium. Si uerò uires sanguinis missionem non sustinuerint, cucurbitulę thoraci & lateribus affigētur, cute incisa & scarificata. Aluus deinde leniter subducentibus medicamentis, quæ Græcè hypelata dicuntur, aut leni admodum clysteri mollienda. Post hæc curandum ut exhibeantur ægrotanti remedia, quæ ad sputi facilem excreationem conducant, ut per crebram spuitionem thorax atque pulmo expurgetur. In quem sanè usum, propinare cōuenit aquā hordeaceam cum oleo amygdalarum dulcium, & pœnidijs, & Diapœnidiôn, & diatragachantes. Vbi iam calor fuerit paulatim placatus expedit sorbitio facta cum aqua hordei, & hordeo mūdato, & cui cortex detractus sit, (quod candarusium uocant) cum melle & amygdalis amaris. Et cum excreare sputum cœperint, rursum hyssopi decoctum in quo glycyrrhiza & radices lilij cœlestis, siue Iris elixatæ sint, exhibendum est. Conferunt insuper parem utilitatem ecligmata ex syropo uiolaceo, de glycyrrhiza, hyssopo, diatragachanta, pulmone uulpis, uuis passis exacinatis, & similibus confecta. Extrinsecus autem eundem usum præstant costis & thoraci imprimis, cerata adhibita, postremo etiam ungenta. Cuiusmodi fiunt ex oleis de amygdalis dulcibus, liliaceo, uiolaceo, chamæmelino, rutaceo, butyro, pinguedine gallinæ, lentoribus glutinosis, seminis lini, althææ, cera, & rhesina. Quæ calore utcunque extincto suspensa, manu abstergendo inungantur. Atque ut summatim dicam, pleraque quæ de pleuritide à nobis commemorata sunt tum ecligmata, tum ungenta, tum emplastra, & cætera heic quoque usurpanda sunt. Præstat autem ut paulò heic sint quā in illa ualentiora, & maiore extenuandi facultate prędita.

## De Asthmate, hoc est, difficultate spiritus, & Orthopnœa. Cap. XXIIII.

QVi citra febrem crebro cum difficultate respirant, quemadmodũ hi qui cursu citatiore fatigati sunt, consueuerũt, à symptωmate quod superuenit, Græcè ἀσθματικοὶ Latinè Anhelosi & Suspiriosi nuncupantur, & morbus inde ἄσθμα à Græcorũ Medicis, à Latinis Spiritus difficultas appellatur. Generatur autẽ, quando, uel crassi & uiscidi humores ex multa destillatiõe asperæ arteriæ impactæ, adhęrẽt, uel, quando talium humorum copia fuerit pulmonis bronchijs cartilaginibusúe infarcta, sic ut inibi putrescat & accẽdatur. Vel, quando tumor quispiã abscessui similis in pulmone cõstiterit. Vbi sanè animaduertendũ, quod aspera arteria, quæ aëris in respiratione uia est, à faucibus in pectus delata, circa quartam ferè thoracis uertebram, in duos grandes & æquales partitur truncos, qui singuli rursus, primũ in duos ramos digeruntur, in pulmones, dein numerosa surculorum serie disseminatos, & undicunq; pulmonis substantia (quæ rara, leuis, fungosa, aërea spumosáq; est,) complicãtur. His surculis aër inspiratione adductus cotinetur, & dein quum lege naturę homo dispensatur, illinc in arteriam uenalem assumitur, cordíq; aëris inspiratiuis pulchrè suppeditatur. Verũ si asperę arterię rami, alia quapiam substantia præter naturam iusartiuntur, aërísq; sedes occupatur, æger crebrius respirare cogitur, respiratióq; ipsi præpediri uidetur. Vnde quo leuius respiret thoracem & collũ, quàm potest maximè erigit, rectáq; ceruice aërem ducit, quoniam extra rectũ situm thoracem sibi cõprimi, unamq; thoracis partem aliam cõprimere sibi persuadet, atq; ita æger in euentu edoctus se ad erectũ situm cõponit, ut faciliorem respirationẽ conciliet. Ab hoc erecto situ præsens affectus, nomen apud Gręcos ὀρθοπνόια, quod est, recta respiratio inuenit, & laborantes ὀρθοπνοικοὶ dicũtur, propterea quod nunquã minus molestè quàm erecti respirent.

### Curatio Asthmatis & Orthopnœæ.

CVratio ambarum affectionũ, aliquid commune habet, & aliquid priuatum. Commune quidem utrisq;, ut redundantia humoris hęc uitia procreantis expendatur & consumatur. Priuatum uerò, ut si à crassis & tenacibus humoribus oriat̃ affectio, per extenuantia & extergentia pharmaca consumantur. Ei uerò quæ propter tumorem abscessui similem contingit, ut per extenuantia & exiccantia eadem cõsumptio fiat. Orthopnoicis ergo curatio expedit, qua superfluitates pulmonis abolentur, & ipsum ex

æquo

æquo calefacit. Quod ſane frictionibus, exercitijs, & cibis, & alijs quę com memorabo recte efficitur. Ante omnia itaq; frictio illis competit ſicca, quę uel nudis manibus, uel pãno aſperiore perficitur. Illa autem quæ cum oleo adhibito frictio fit, non eſt crebrius utendũ, neq; cum oleo copioſiore utendum, ſed quanto ad frictionem modo leniendam opus eſt. Cæterum ſi quibus animi perculſio, terrorue, atq; rationis & ſenſuum internorum perturbatio accidit, ijs olei uſus neceſſario in frictionibus adhibetur. Quin & cum pumice nitroq; illos fricare expedit, frequenti & multa, poſt laborem & exercitationes admiſſa quiete, in balneo fricatione adhibita. Eſto autem exercitium inter initia lentum, mox calidum pungens. Quoniam motus celer inter principia, aſthma & permixtionem inducit. Poſt exercitationem frequẽter, cibos offerre, balneum prohibere, præſertim hyberno tempore, quemadmodum & a cunctis quæ calfaciunt & humectãt abſtinere, conuenit. Victus autem congruus, eſt in uniuerſum calidus & ſiccus. Vitandus igitur aër frigidus & humidus. Proinde panis quo ueſcunt ſit calidus, probe coctus cum Tragemate ex aniſo, ſiue nigella, aut cumino, aut fœniculo cum ſimilibus. Oleribus utẽdum, naſturtio, hyſſopo, raphano, origano, calamintha campeſtri, & montana, oreoſelino & ſinapi. Ex carnibus uero, perdicum, coturnicum, auicularum montanarum, non paluſtrium, caponũ, gallinarũ, leporum, ceruorum, & gazellorum animalculorũ, unde moſchus colligitur. Caro autem uulpina, & pulmo eiuſdẽ animalis ſua natura comprimis huic affectioni aduerſantur, & occurrunt. Pari quoq; modo pulmo herinacei. Et breuiter carnes non ſint, cuiuſcunq; animantis fuerint, pingues. Ex piſcibus conferũt nulli, excepto marino, Aradradk ab Arabibus appellato. Fugiẽdi ſunt fructus & legumina, & quæcunq; flatus generant, quoniam difficilem reddunt ſpiritum. Item cuncta quæ craſſos & tenaces humores procreare poſſunt, uitare cõuenit. Potus uero in uniuerſum ſit uini ueteris odorati, & tenuium partium cum aſthmaticis, tum dyſpnoicis, temperatus. Mel uero aut mulſa, & quicquid ab Aſthmaticis bibitur, tepidum eſto. Expedit etiam illis ne bibant illico a cibo ſumpto, ſed tẽpore aliquanto poſt, cibo iam in corpus diſtributo, deinde pitiſent uerius ſubinde, quam ſe pleno proluant auro, hoc eſt, ſemel ſe auide ingurgitent. Sõnus ſit illis diurnus plane nullus. Nocturnus uero tẽperatus, imo adhuc magis, quã temperatus, ſit, circunciſus. Videmus quippe in ſanis corporibus & huic pathemati minime obnoxios, Suſpirioſos magis atq; anheloſos

*Victus ratio.*

*Potus.*

*Somnus.*

euadere eos, qui somno amplius iusto indulgent, nedũ si à cibo statim sum
pto huic indulgeant. Valeant perturbatiões animi, ira, mœrorq́ꝫ. Alui pꝛ
terea sollicitè habenda est ratio, ut de consuetudine singulis diebus natura
atqꝫ per se, siue arte, respõdeat, sic ut paulatim iusto semper tẽporis inter-
uallo interiecto, superfluitates euacuent. Proinde medicus imperabit ita
affectis, ut edulijs lenientibus, & aluum mollientibus duram utãtur. Potissi-
mè aũt iure gallorum decrepitorũ, eò quod illud uẽtrem cõpressum citra
omnẽ noxam, citraq́ꝫ molestiam, lubricum facit, & emollit. Volubili item
& beta cum cnico, quem uulgò carthamum, uocant, capparibusq́ꝫ salitis,
& ouis sorbilibus. Sunt uerò hæc in prima mensa, aut aliâs, ante alia cibaria
edenda. Quod si his, ut debet, sumptis, parum proficitur, aluo non respon-
dente, Aquæ hordeaceæ, euphorbij quidpiam inijcias, sorbẽdumq́ꝫ ægro
tanti exhibeas. Plurimũ quippe opis huic affectioni suggerit. Epithymus
etiam benè facit, si duorum aureorũ pondere cum succo medicato deglu-
tietur. Extrinsecus thoraci olea & ungenta calorifica inducãtur, ad abster-
gendum Irinum, liliaceum, laurinum, sine aut cum ceꝛ momẽto, & oleum
anethinum, & rutaceũ, & eiusmodi alijs calfacientia & odorata olea, sunt
admouenda. Exhibenda porrò sunt medicamenta, quæ sensim & paula
tim humores pectoris extenuare & discutere possunt, quotidie. Aristolo-
chiæ nempe rotundæ denarius semis cum aqua, aut oxymelite, syropoue
acido cum saccharo, seu melle præparato, contritus, ruta uirenti aqua di-
luta ammixta. Conducũt etiam radices helenij, & Iridis, Vel ut alij habẽt,
uitis albæ, aut uitis nigræ, pondô dauich quatuor & dimidij, cum aqua. Pa
ri quoqꝫ modo prodest hyssopus, seu turones asseha. Aut urticæ semẽ cum
aceto. Propinetur ex aceto eiusmodi, quantum uidebitur ægrotanti. Vel,
sumito seminum nasturtij denariûm pondo duûm, Aspergantur oleo de a-
mygdalis dulcibus, & exhibeantur asthmatico, & orthopnoico. Vel, scyl-
Φοῦ, lam torrefactam melle tritam delingenda palato. Phu quoqꝫ (quæ Valeria
† Dauich 4.s. na uocatur) † oboli tres, & siliqua cum oxymelite scyllitico utiliter pro-
pinantur. Prosunt itidem baccꝛ lauri, aqua contrita & bibita. Aut propina
bis in decocto centaurij maioris quidem, In uehementiori morbo & in ac-
cessione minoris uerò, tempore quietis, & in affectu non admodũ graui.
Quin si uidebitur operꝛprecium, utrunqꝫ simul leuigabis cum melle despu
mato, & modò ecligmatis sumendum præbeto. Construere etiam inde li-
cebit catapotia, quæ integra sunt deuorãda. Decoctũ porrò hyssopi sicci,
& marrubij,

& marrubij, & radicis lilij cœlestis, & glycyrrhizæ, & chamædryos, & folij Indi, & epithymi, & calaminthæ campestris, commendatur, cum oleo de nucleis pineis, seu oleo de amygdalis amaris. Prodest etiam rhesina terebinthina deglutita cum pyrethri momēto, & galbanum, & gutta ammoniaca, & liquore panacis, qui opopanax appellatur. Magni quippe auxilij ac præsentanei existit, si ex interuallo, non continuè, accipiatur. Assiduus enim horum usus neruis officit. Vtendum itaq; succidanea quadam pharmacorum permutatione, neque unquàm conuenit uni esse immodicè addictum. Vtilis etiam asthmaticis est uomitus, per interualla esu radiculæ citatus. Et si res postulat, cum ueratro albo, summi erit præsidij. Auxiliatur preterea ita habentibus Raphanus, in quo radices † ueratri albi fuerint maceratæ & infixæ. Vbi uerò hoc morbo correptus, remediorum commemoratorum usum detrectauerit, aluus clystere ualentiore eluenda est, cuiusmodi ex centaurio, cucumere syluestri, quem officinæ asininum dicunt, & similibus confiunt. Multò autem maximum presidium in cucumere syluestri, & euphorbio consistit. Epithymi & agarici subsidia, non tantum, quod humores crassos & tenaces euacuant, in hoc affectu probantur, sed alio etiam nomine magis commendantur. Oportet autem hac ægritudine implicitos, singulis mensibus bis, aut ter, (præsertim si corpus ægri sit plethoricum) præmissa humorum ad euacuationem preparatione (cum decoctis superioribus & syropis de hyssopo, Marrubio & glycyrrhiza, & cæteris id genus) euacuare cum sequentibus catapotijs, & alijs quæ subijciuntur pharmacis, quorum præparatio sic habet. † lilij

*Ratio conficiendi catapotia quæ pectus scitè abstergunt, & ab humoribus crassis liberant.*

Accipito
- Agarici optimi denarium pondo trium.
- Radicis lilij cœlestis.
- Marrubij quod Grecè πράσιον uocant. Cuiusq; denar. pondo (duū.
- Myrrhæ denarij pondo unius.
- Turpethum, quod turbith dicitur denar. pondo quinq;.
- Hieræ Picræ denarij pondo unius.
- Cucurbitæ syluestris.
- Sarcocollæ. Singulorum denarij pondo.

Summa pharmacorum quæ istam compositionem absoluunt sunt octo. Quæ singula trita & cribrata redigantur in formam ecligmatis cum succo medicato, quem Rob officinæ indigitant. Modus huius erit exhibendi semel, drachmas duas cum aqua calida.

*Mathathæ ad Asthma & Orthopnœam humores crassos extenuans.*

Sumantur { Scyllæ torrefactę drachmę tres. Radicum lilij drachmę duæ. Marrubij drachma una. Hyssopi sicci tantundem. Myrrhæ. Croci. Vtriusq; semuncia. }

Eorum quæ hanc confectionem ingrediuntur, sunt numero sex. Quibus singulis tritis & per incerniculum traiectis, melle excipiantur.

*Pharmacum ad difficultatem spiritus, & tussim inueteratam conducens.*

Accipe { Sulphuris uiui & ignem non experti. Seminum rutæ. Aristolochię longæ. Absynthij. Guttæ ammoniacę. Singulorum partem unam. }

Simplicia numero quinq; hanc compositionem constituunt. Quę in puluerem redacta, cribrataq; propinantur.

*Aliud ad difficultatem respirationis & Orthopnœam.*

Sumito { Rhei Barbarici. Aristolochię longæ. Farinæ fœnogræci. Cuiusq; quadrantem. Myrrhę sextantem. Rubeæ unciam unam. Croci drachmam unam. }

Constat pharmacum illud summatim ex speciebus sex. Quæ singula contrita exhibeantur.

Puluis

**Paluis siue tragema ad Asthma & Orthopnœam experientia comprobatus.**

Accipe
- Sisami drachmas triginta.
- Pœnidiorum drachmas uiginti.
- Hyssopi drachmas septem.
- Nasturtij quadrantem cum denarijs sex.

Constat in summa ex rebus quatuor, Quas in puluerem redactas & cribratas cum pœnidijs permisce, & exhibe.

**Aliud pharmacum ad idem conducibile.**

Accipiat
- Folij Indi.
- Sceha Armeni.
- Chamepytheos.
- Hyssopi.
- Marrubij. Singulorum par modus.

Absoluitur hoc pharmacum speciebus quinq;. Quæ singulæ contritæ melle excipiantur, & exhibeantur.

**Aliud ad idem pharmacum.**

Recipe
- Pulmonis uulpis aridi, drachmas quinq;.
- Calaminthe montanæ semunciam.
- Seminum apij.
- Foliorum apij. Vtriusq; unciam.
- Amomi.
- Piperis. Singulorum drachmas treis.
- Seminum alterci drachmas duas.

Constat breuiter ex simplicibus septem istæc compositio. Quas leuigatas lacte chamæmelææ (quam Arabum medici, & eorum sectatores Mezereon nuncupant) excipito & sub somnum propinato.

**Mathathe medicamentum ad Asthma & Orthopnœam accommodatissimum.**

Accipe nucleos pinearum recentium cum rhathenicis pluribus. Elixentur cum marrubio & traijciantur per colum, & misceantur cum aqua mulsa in qua mel sincerum cum tantundem aquæ, decoctum sit. Fiat decoctio usq; ad consistentiam mellis, aut paulo crassiorem spissitudinem.

Aliud

*Aliud Almathatæ ex fœnogræco & ficubus confectum.*

EX fœnogræco, & ficubus laudatur confectio hoc modo præparata: Fœnogræcum lotum decoquatur super prunas tantisper, dum mellis induat crassitudinem. Post hæc fotus ita affectis quoq; conferunt.

*Fomenta pro Asthmaticis & Orthopnoicis.*

FOmenta, quas Græci πυρίας uocant, adhibibere conuenit purgato prius corpore acida, hoc modo.

Accipe { Auripigmenti.
Sulphuris. Vniuscuiusq; compar pondus.

Excipiantur utraq; pinguedine sepoue rhenum & fiãt instar pastillorũ, aut pilularum compressarum. Quorum unus prunis inseratur, & hauriat uaporem inde exhalantem ægrotus, per fistulam & infundibulum, quod embotum nominant Barbari.

*Aliud ad Asthma inueteratum, quod breui iuuare perhibent.*

Sumito { Auripigmenti.
Aristolochiæ. Vtriusq; portiones æquales.

Excipiantur butyro bubulo, & rediguntur in globulos, auellanis similes, & usui adhibeantur.

*Aliud ad tussim aridam.*

Accipiat { Fimi leporini.
Farinæ hordei.
Corticis pistaceorum.
Auripigmenti. Vniuscuiusq; par modus.

Leuigentur singula seorsim, & excipiantur luteo oui, & redigantur in pastillos, quorum singuli drachmam pendeant, & insolentur, & horum uapore ter suffitus fiat ægrotantium.

*Aliud eiusdem factionis.*

PRobatur & fomentum ex aloë instructũ, sic ut ægri fumum ipsius per infundibulum naribus recipiant, & ore quoq; hauriant.

*Aliud ad Asthma, Pleuritim, & tußim cum sputo saniei.*

Accipe { Styracis liquidæ. Rhesinę terebinthinæ. Auripigmenti rubei. Galbani. Mastiches. Singulorum paria pondus.

Misceantur & fingantur more pastillorū, qui usu exigente carbonibus ignitis inspargantur. Cuius uapore ægrotantes, os, thoracem & pulmonem foueant.

*De sanguinis reiectatione, quam Græci Ἀμόπτυσιν uocant.*

Caput XXV.

Αἱμοπτύσις ἢ αἵματος πτύσις, hoc est, cruenta sputio, acccidit, sanguine, aliâs ex gula uentriculo ac partibus uentris, aliâs ex spiritalibus partibus ad os educto, aliâs à capite, palato, & faucibus descendente. Discernuntur autem hę species, per sensum doloris, & locum ipsius, & sanguinis qui eiectatur dispositionem. Nam qui ex gula, uentriculo ac partibus uentris producitur, uomitione & cum dolore loci, expellitur. Qui ex spiritalibus instrumentis ascendit, non sine tussi & dolore spiritaliū partium eijcitur. Qui uerò à capite, ex faucibus & gurgulione descendit, cum screatu, sicuti ex ore, simplici expuitione reijcitur. Galenus uerò asserit se, non semel uidisse sanguinē, qui à cerebro ad gurgulionis partes internas, & ad fauces, affatim descēdebat, tussiendo educi, subitò quippe sanguis gutturi irruens, tussim mouere potest. Cæterū is qui ex mēbris spiritalibus ascendit, ex pulmone aut pectore producit̃. Atqui sanguen, quod ex thorace eructatur, neq; multū, neq; rubrum, sed nigricās grumosumq; existit, & thoracem primaria affectione infestari portendit. Quod autē ex pulmone educitur, Si ex ulcere in essentia pulmonis cōsistens, ceu in suppurato affectu, pulmone ex sanie calida ulcerato, non absoluta adhuc sanie, haud secus quā in morbo literali quoq; sputum quomodolibet coloratū apparere solet, spumosum & subalbidū apparet. Eoq; plurimū periculi subesse testatur. Consequitur enim sputum saniosum & tabes. Atq; non pauci si affecti pulmonis quasdā partes simul cum sanguine iecerūt. Proinde accuratius animaduertendū, an spumosum quippiā simul educat̃, quod indicat ex pulmone factā excretionē, pinde atq; si brōchi pars, aut arterię, aut uenę tunica, aut etiam pulmonis ipsius carūcula eijcit̃. Nā nihil horū accidit his, q ex thorace sang. eijciūt. Ac ne dolor quidē infestat eos, qbus à pulmōe sanguis educit̃. *Pulmo nō afligitur.*

Si uerò

Si uero sanguis ex pulmonis uenis oblæsis erumpat, tūc spuendo sincerus, tenuis & calidus eijcietur. Sunt autem uenarum oblæsiones eruptio, erosio, & apertio. Fit autem eruptio duobus nominibus, aut ex sanguinis copia, aut ex ipsius acrimonia, Eruptionem ex sanguinis abundantia cognosces ex plenitudine, laborantis ætate, temperamento, regione, & reliquis rebus & constitutionibus calidis & humidis. Itē ex eo quod subito ascēdit, prorumpitq; & ex multitudine ipsius, & ex uictus ratione quę precessit calida, & ex pluribus quibus æger usus est balneis calidis, & ex facilitate euacuatione ipsius, quod uidelicet, tam prompte citra dolorem & molestiam educitur, & æger æqui boniq; eductionem istam facit, nec ulla febris comitatur. Ex acredine autem sanguinis, eruptionem fieri conijcies, ex uictu quo usus est hoc uitio correptus, ex acribus enim epulis acres quoq; humores creantur, qui uasa erodunt, ex ætate item, locoq; & eiusmodi ex immodicoq; calore naturali, & tenuitate ipsius excellenti. Vasorum autem erosionem, ex acribus humoribus fieri liquido constat omnibus. Deprehēditur autem illud ex sanie, quę manat ex eo quod precedit ulcere, aut ex destillatione acri in thoracem, aut ex abscessu, saniem in pectus, aut in mēbranam succingentem exudando dimittente. Sunt autem indicio eius, usus multitudinis rerum calidarū, quę humorem acrem & biliosum procreat, & quod sanguis neq; subito, neq; affatim, sed cunctanter, & sensim ac paulatim eijcitur. Febris item & dolor qui consequuntur, erosionem uenarum testantur. Venarum autem ora aperiuntur propter uasis imbecillitatem, aut ob impetuosi sanguinis copiam, aut ob uehementem uasorum extensionem, quod subinde uel propter algorem immodicum, qui nimium uenas infrigidat, accidit hinc enim grumi concreti diuortium continui moliuntur. Vel ex motu aliquo uehementi & ingenti. Accidit etiam illud quandoq; ex clamore & uociferatione magna, aut de lapsu ex alto, aut plaga, aut percussione uehementi, aut saltu, unde magna sanguinis euenit euacuatio, & comitatur magna ex parte abscessus.

*Notæ eruptionis uenarum.*

### *De curatione sputitionis cruentæ.*

CVrandi ratio pro causarum diuersitate uariatur. Si enim sanguis propter eruptionem, hoc est, uenarum apertionem, & earundem patefactis oris amplificationem reijcitur. Tunc summa curationis in constrictione & obstructione, consistit. Astringantur itaq; ora instrumentorū dilatorum & mollificatarum. Si uero fuerit sanguinis eiectio propter rupturam, hoc est,

hoc est, continuitatis diuortium orta, tunc curatio præsentanea in connectendo consistit. Qui uero ab erosione sanguinem expuunt, ijs primum adhibere oportet pharmaca, quæ carnē in loco eroso creare possunt, & meatuum, & instrumenti ora medicamētis obstruentibus, emplastica uocant, committere, & conglutinare, & cum medicinis citra acredinem desiccantibus & conglutinantibus. Cuius generis sunt, terra signata, terra Samia, quæ aster, hoc est, stella uocatur, quæ apportatur ex Samo urbe, seu Insula, quum permiscetur cum pharmacis adstringendi uirtute præditis. Epulis ad hæc utendum boni succi, & quæ non humorem modo inculpatū, sed & carnem generare possint, atq; ita loca erosa & exesa carne instaurare, cuius quoq; facultatis iugiter etiam adhibenda sunt pharmaca. Ab his igitur auspicanda est sputi sanguinis ex dicta [illegible]usa oborta curatio. Si uero cruenta spuitio, e pulmone seu thorace, seu fistula pulmonis, trachea appellata, traxerit originem, pharmacis commemoratis, acria & tenuia admisceantur pharmaca. In quibus strenua quędam uirtus malo contraria, eruptioni uidelicet, rupturæq; & erosioni existit. Admisceantur etiam quę uehiculi instar sint, & cæteras medicinas, & ducant, & prouehāt, pharmaca nanque obturantia & obstruentia, uiscida, quoniam meatus & uias per quas transeunt obstruunt, opus habent comite, qui ipsis, facultate sua, iter ac meatus præparet, eademq; dirigat atq; ad penetrationem promoueat. Vbi uero cruenta spuitio ex gulæ, & stomachi, & uentris, & intestinorū partibus educitur, tunc eiusmodi medicinarum admixtione nihil est opus. Sed contraria medendi ratione, contrarijsq; remedijs agendū est, hoc est, his quæ aperiendi, dilatandi, & penetrandi facultatem obtineant. In illis quippe uis est obstruendi, astringendi, & penetrationem impediens, perinde atq; remedia ad stuporē usq; sensus infrigidant, & profundū inducunt ægrotanti somnum, quod utiq; in hac affectione præsentaneum præstat auxilium.

*Curatio cruentæ spuitionis, ex capite, seu respirationis instrumentis erumpentis.*

SI sputum cruentum e capite, uel respirandi organis educitur, in cubito uenam interiorem, Basilicam appellatam, secato, & sanguinem primo statim die bis, & altero quoque totidem modis detrahito, nisi uirium laborantis robur, aut id genus cætera, quæ in uenæ sectione perpendenda sunt, reclamitent, impediantq;. A sanguinis detractione propellens humor medicamentis euacuetur. Facta uero expurgatione, æger quietus

X & tranquillus

& tranquillus esto, neq; expiratione uehemẽti, neq; uociferatione utatur. In sputo prætera sanguinis absq; tussi, præcipito ægrotãti ut bibat oxymeli, seu acetum dilutũ ad proritandum uomitum, tantisper dum sanguen concretum resoluatur, & abluatur, nullumq; amplius per sputum educatur. Si tussis adsit uehemens, compescebimus hanc cum gummi, seu tragachanta, & id genus cæteris. Locabimus insuper ægrum, ut erectus ac ueluti sedẽs decumbat, ne thoracis partes, sese mutuo prẹmentes, coarctentur in angustum redactæ, & tussis inde excitetur. Cauendum porrò ne ulcera consolidentur. Quod si his actis, nihil proficimus, medicamenta, quæ restringunt & constypant offeremus. E quo censu, habentur, Bolus Armenia, terra signata, succinum, alumen lamenum crematum, succus barbæ hircinæ, balaustium, capita malorum Punicorum, galla, sorba, succus medicatus, Rob appellatus, rhos Syriacus, siue sumach, rosæ rubeæ, acatia, calyces glandium, succus plantaginis, corallus, cornu cerui combustũ, amylum, portulaca, arnoglossum, uirga pastoris, & alia id genus. Vtemur autem hisce remedijs, quum nulla hæmoptoicos infestat febris, neq; uiscus aliquod ullum experitur inflammationem cum syropo quopiam astringẽte stypticitatemq; inducente. Si uerò febris aut inflammatio aliqua urgeat, offerãtur eadem pharmaca cum decocto rerum stypticarum, uerbi gratia, malorum cotoneorum, sorborum, pirorum, aut granorum myrti, fructus ramni, aut foliorum ipsius, aut foliorum uitis, & eiusdem facultatis cæterarum. Cibo etiam uescantur ita affecti quantitate exiguo & tenui, qualitate, astringente, styptico & uiscido. Qui sit, uidelicet pariter & stypticitatis, & uiscositatis particeps. Quod si sanguis à capite ad palatum destillarit, ipsi capiti frõtiq; mediæ inter utraq; nempe supercilia, ex prędictis rebus astringentibus & refrigerantibus aliquid imponamus. Nam ita adplicatę sanguinis etiam narium eruptionem compescunt. Si uerò profluuium sanguinis uehementius sit, quàm ut commemoratis rebus sistetur in nares, aut locum naribus finitimum deriuetur, ad hoc factis gargarismatis quod in palatum & os defluit. Quibus autem ex respirationis organis sanguis eijcitur, Thoraci præsidia adhibenda sunt, emplastra nempe quæ astringunt, & sanguinem sistunt. Cuius generis sunt, quæ ex malicorio, polline thuris, quam mannam uocant, galla, electro, cremore hordei, seu ptisana hordei, balaustio, bolo Armeniaca, terra Samia, polline, seu flore tritici, folijs ramni, folijs cotoneorum, folijs myrti, pirorum, uitis, & eiusmodi. Fouere item oportet pectus,

*Medicamenta astringentia.*

rebus

rebus infrigidantibus, spõgia uidelicet aceto imbuta, & aqua rosacea, temperata cum oleo quopiam astringente, puta, oleo de cotoneis, oleo myrtino, rosaceo, oleo de floribus dactylorũ, aut oleo mastichino. Quod si uerò sanguinis eruptio ad sanguinis acrorem referatur, tum inter morbi initia pauca fiat sanguinis detractio. Mox inde quę infrigidant & humectant offerantur, & foris adhibeantur. Verbi gratia, aqua hordeacea, decoctum siue liquor stillaticius cucurbitæ infrigidans. Aqua item stillaticia, siue elixatio pulicariæ, psylliiue, interius fartum medullaue cucumeris, & huius generis alia.

*Curatio cruentæ sputitionis ex eruptione uasorum, aut fissione prognatæ.*

SVnt qui sputum cruentum ob rupturam uenarum eijciunt. Quæ si ex immodico algore oriatur, sanguinem è uena secata mittere non est necessarium. Quemadmodum neq; illis qui sanguinem ob catarrhum expuunt, sanguinis detractione necessario succurritur, quàm diu acrior & uehemens existit destillatio, siue catarrhus, neq; debet unquàm propter rupturam hæmoptoicus, alijs quàm temperatis pharmacis in calfaciendo curari. Exempli causa, Spica, cinnamomo, myrrha, costo, corticibus thuris, croco, rubo canino, siue spina alba, decocta radicum althææ, decocto radicum centaurij maioris, ramnoq;, & mastiche, & his similibus. Cæterum, si sputum cruentum iam primum inchoat, aqua stillaticia, siue decoctum menthę, conuenit, quum uidelicet ei permiscentur pharmaca, quæ astringunt & fluxus prohibent. Cuiusmodi sunt, Bolus Armenia, terra signata, succinum (quod Græci ἤλεκτρον nominant,) alumen crematum, spodium, rosæ rubeæ, cornu cerui combustum, balaustium, & calyces glandium. Quæ oportet cum aqua cœlesti bibere. Atque si fieri potest expedit uniuersum ita habentis potum, aquam esse pluuialem, siue sola bibatur, siue bolus Armenia, & spodium in ea diluatur. Vicem porrò aquæ cœlestis, aqua rosacea, & decoctum granorum myrthi, aut aqua cotoneorum, ex cotoneis crudis expressa. Thorax insuper inungatur & abstergatur oleo rosaceo, & aqua myrthi. Sub somnum exhibeatur pharmacum quod subijcitur.

Accipe { Acatiæ. Balaustiorum. Rosarum rubearum. Succi barbæ hircinę. Calycum glandium. Corticum thuris. } Singulorum partes ęquales.

Conterantur & per incerniculum traijciantur. Vsu expetente terni denarij ex aqua rhois, quod Arabibus Sumach dicitur, dormitum eunti offeratur. Quod si ruptio fuerit, ruptis, scilicet, in pulmone uenis ex uehementi motu, aut casu, aut saltu, aut uociferatione, sanguinis detractio non est omittenda propter auersionem sanguinis à parte affecta, attrahit enim ad se, à membro oblæso sanguinis missio, & comminuitur materia. Posthæc, aliquid ex commemoratis medicinis astringentibus, & sanguinem sistentibus exhibendum, ut sputum cruentum comprimatur.

*De spuitione cruenta ex erosione.*

His qui sanguinem reiectant, ob uenæ cuiuspiam erosionem, auxiliatur sanguinis detractio. Incidere igitur protinus ab initio oportet interiorem uenam, Iecorariam appellatam, & Basilicã, si nihil impediat. Mox inde ut aluus iugiter respondeat, quam etiam interdũ deijcere decocto prunorum, uiolarum, & melle aëreo, conuenit. Cassia item fistulari, cum iuiubis & myxis. Et si per uiriũ robur licuerit, deijciatur aluus cum abluleb saccharo rubeo, myrobalanorum corticibus, oxyphœnicis, & pœnidijs. Aluus quoq; clystere non acri eluenda est. Facta autem euacuatione aquam hordeaceam cum aqua in qua cancri elixati sint, propinare ex usu est. At si ægritudo fuerit acutissima, aqua hordei cum aqua cucurbitæ elixetur & non simplici. Quod si his acredo non tollatur, & malum non discutiatur, aqua arnoglossi per se sola, & cum terra signata porrigatur. Vel aquæ portulacæ cum succino, & bolo Armenia. Adijcitur & succus herbæ sanguinalis, quã polygonũ dicunt, idque non tam in eiusmodi sanguinis eruptione, quam in quolibet morbo è sanguine, acrore & uehementi calore prognato, ammixta terra signata. Stillatitia preterea aqua, siue decoctum radicum humidarum harundinum unciæ unius, mensura epota conducit, ita habentib. maximè. Lapis quoq; hæmatites cũ succo sanguinariæ, aut succo mali Punici, aut cum aqua arnoglossi, seu portulacæ leuigatus, contra sputa cruenta utilis est. Mali itẽ Punici syluestris flos pari modo sumptus.

His uero qui exiguum modo sanguinem reiectãt, Terra signata, & semen granatorum malorum syluestrium abunde faciunt. Si duarum drachmarũ pondo in aqua tepida diluantur, & bibãtur, & lapis hæmatites, ut diximus, in pollinem leuigatus, similiter & lutum Armenum, precipue his qui sanio sum iam sputum eijcere inchoant, quoniam exiccat ulcus saniosum & persanat ipsum. Confert porro his qui sanguinem spuunt, si thorax cum cerato ex cera candida confecto, oleo item rosaceo, aquæ polygoni, & cucurbitæ perungatur. Prosunt insuper magnifice pastilli, qui ad autorem Andromachum referũtur, Andromachi appellati, contra sputum cruentum exhiberi, quorum confectio est huiusmodi.

*Trochisci Andromachi.*

Sumito {
Acatiæ aureos quatuor.
Rosarum aridarum aureos octo.
Gummi Arabici aureos duos.
Tragachantæ aureum unum.
Fructus mali Punici agrestis aureos octo.
}

Summa rerum quæ ingrediuntur sunt quinq;, quæ aqua pluuiali diluta, propinẽtur. Pharmacũ itidem Galeni prodest, quod medendæ saniei quæ altius pectori insedit, ulceribus item & abscessibus, aut phlegmone ipsius columellæ, linguæq; & fistulæ pulmonis consecratum existit, quando gargarismus inde conficitur, & quando cum aqua cœlesti, aut aqua frigida, & reliquis cum aceto permixtis exhibetur. Datur autem una uice huius medicamenti instar auellanæ, his etiam qui sanguinem mingũt, & in mensium retentione ad proritandũ ipsos, potui. Inditur etiam in eundem usum pessi more utero. Eius descriptio est eiusmodi.

Accipiat {
Myrrhæ uncia una.
Croci uncia media.
Spicæ Indicę uncia una.
Cinnamomi selecti uncia media.
Thuris tantundem.
Piperis nigri aurei quatuor.
Lilij cœlestis.
Rosarum rubearum. Singulorum denarij duo.
Acatiæ.
Styracis. Vniuscuiusq; aureos quatuor.
}

Constat hoc pharmacũ in summa speciebus decẽ. Quę trita & cribrata

cum melle despumato excipiuntur. In usu autem, Si gargarizationem constituere animus est, sumatur ad hanc trium nucum Ponticarum quantitas, & diluatur in aqua, seu lacte, seu alcaib, & propinetur.

*Medicamentum aliud ad sanguinis reiectionem, oris profluuium, adq; dolorem stomachi, & aduersus singultum magnum ac uehementem.*

Recipe
- Cinnamomi exquisiti.
- Cassiæ fistularis.
- Opij.
- Myrrhæ. Singulorum aureos quatuor.
- Piperis candidi.
- Piperis longi,
- Galbani seu theriacæ, quod Arabes Bezard cognominant.
- Alrerci.
- Croci. Cuiusq; aureos duos.

Constituunt hoc pharmacũ tam nobile in summa res nouẽ. Quibus tritis & cribratis melleq; exceptis, propinet inde cum potu congruo aur. 1.

*Aliud pharmacum contra spuitionẽ cruentam, quæ ad eruptionẽ, rupturãue, seu corrosionẽ refertur, usu & experientia comprobatũ, satis efficax.*

Accipito
- Spodij.
- Rosarum rubearum.
- Glebę Armenię.
- Terræ signatę.
- Lapidis hęmatitis. Singulorum drachmas decem.
- Corallorum.
- Electri.
- Margaritarum integrarum. cuiuslibet drachmas quinq;.
- Commeos.
- Tragachantæ. Vtriusq; drachmas sex.
- Papaueri nigri.
- Seminum
  - Portulacæ.
  - Maluæ.
  - Rosarum rubearum.
  - Arnoglossi. Cuiusq; drachmas septem.
- Cornu ceruini cremati.
- Acatiæ.
- Liquoris herbę hircinę.
- Succi glycyrrhizæ. Singulorum drach. quinq;.
- Amyli torrefacti drachmas sex.

Constat

Constat ex speciebus in summa uiginti. Quæ in puluisculum redacta, & per incerniculũ traiecta, Trium denar. pondo cum aqua cœlesti propinet.

*Aliud ad idem efficax.*

Recipe
- Corallorum.
- Succini, quod Græce electrum, Arabice carabe dicitur.
- Lapidis hematitis uniuscuiusq; partem unam.
- Terræ signatę.
- Balaustiorum.
- Commeos. Cuiusq; parteis duas.

Constat in summa simplicibus sex. Quæ terantur & per cribrum incernantur, & cochlearij instar cum succo medicato malorum Punicorum in usu exhibeantur.

*Aliud ad idem conferens pharmacum.*

Recipe
- Terrę signatæ.
- Corallorum.
- Rosarum rubearum. Vniuscuiusq; denar. pondo duũm.
- Commeos.
- Succini.
- Amyli. Singulorum denarij pondo.

Redigantur in pollinem, & aurei inde quatuor cum uino crasso & austero, siue defruto astringente propinẽtur. Constat rebus tota confectio sex.

*Aliud ad candem affectionem conducibile.*

Accipe
- Corallorum.
- Florum mali Punici syluestris.
- Acatiæ.
- Lapidis hæmatitis abluti.
- Laudani. Singulorum denarij pondo unius.
- Commeos denar. pondo duũm.

Contexitur summatim commixtio illa speciebus senis. Redigantur in pollinem & diluantur cum candido oui liquore. Et propinãtur unà simul in aqua cucurbitæ amaræ permixta cum aceto.

*Aliud contra idem malum remedium.*

Recipe { Thuris denar. pondo decem.
Commeos denar. pondo ſeptem.
Terræ ſignatæ denar. pondo quinq́ꝫ.

Conſtituunt in uniuerſum medicamentum iſtud ſimplicia tria. Quæ in leuorem trita, cum aqua arnogloſſi propinentur. Ad conſumatam cruentæ ſpuitionis curationem, præfata remedia abunde faciunt. Tranſeundum nunc ad aliud cruenti ſputi genus.

*De ſpuitione cruenta ob hyrudinem deglutitam. Cap.* XXVI.

*Alia exemplaria hoc caput aliâs, ſed non ſuo in loco, ponunt.*

QVod ſi cruenta ſputi reiectatio ad hyrudinem deglutitã refertur, ad hanc protinus eximendam ſtatues ægrotantem hianti ore & diſtento quo ad fieri poteſt latiſſime, e directo radiorum ſolis, ſuppreſſaq́ꝫ latiore ſpecillo inſtrumento huic rei dicato, lingua, columellã attentiſſime circumſpicito, ſi hyrudo ſub conſpectũ uenerit, faucibus affixa, & contumaciter adhærens, tentaculis quam exilibus ad hæc munia factis, hanc illico manibus ſuſpenſis arripies, ſenſimq́ꝫ, ne rumpatur feſtinatione & uiolentia, liberes, reſolutamq́ꝫ tandem ſuauiter lenteq́ꝫ extrahes. Si uero in conſpectum contuentis non uenerit, pharmacis ſubſcriptis eliciatur, quorum prius ex his ita contexitur.

*Pharmacum hyrudinem è faucibus proritans.*

Accipe { Aceti uinoſi ſextantem.
Aphronitri, quod eſt, ſpuma nitri, denarios treis.
Allij ſatiui denarios duos.

Tribus modo rebus hoc medicamentum conſtat. In cuius confectione allium cum ſpuma nitri quam exquiſitiſſime contritum aceto excipitur, & in gargariſmum redigitur, & re exigente uſui adhibetur.

*Aliud ad idem non minus præſtans & nobile.*

Sumatur { Sinapis denar. pondo duûm.
Aphronitri denar. pondo quatuor.

Abſoluitur hoc binis duntaxat ſpeciebus ſimpliciter, quæ redigantur in paſpalam accurate. In uſuq́ꝫ in fauces per tabulum ſiphonculumue flatu puluiſculum illum indito aridum. Vbi uero hyrudo deuorata à ſtomacho iam

cho iam fuerit recepta, & huic aliquo etiã modo impacta, isto, quod heic subijciam medicamento profligere tentabimus.

*Pharmacum hyrudinem deglutitam & stomacho receptam eijciens.*

Accipiat { Cuscutæ Romanę, Sceha Arabibus appellatæ (& est species absynthij.) | Absynthij Romani. | Nigellę. | Lupinorum. | Costi. | Medullæ citri. | Xiras. Singulorum denarij pondo unius. } Sceha.

Septem in summa compositio continet simplicia. Conterantur in pollinem & incernantur, & aceto ammixto diluantur, & quum res exigit propinentur. Quod si hyrudinem auulsam & extractam sanguinis eruptio consequatur, medicamenta adhibeantur, στυπτικὰ, hoc est, quę adstringũt & cõstypanda sanguinem cohibent atq; sistunt.

*De Tabe, quam φθίσιν Græci dicunt.* Cap. XXVII.

Φθίσις pulmonis exulceratio est, cruentam spuitionem comitans. Eius species sunt duæ: Quarum prima fit magna ex parte, ex acris, & erodentis humoris ex capite in pulmonẽ defluxu. Altera, quum tabes per se ex pulmonis ægritudine inchoat. Orditur ut plurimum à sputo cruento, præcipuè quum quid intra pulmonem disrumpitur, aut quũ idem aliquid materiei non è capite, sed ab alijs uicinioribus partibus, puta, thorace, corde, septo transuerso, aliaue membrana & spatulis recipit, uel quum sanguinis, aut puris eruptio in suppuratis, pleuriticis, & peripneumonicis cohibetur. Naturæ autem & corporis cõstitutiones huic ægritudini obnoxiæ magis sunt, quemadmodum ueteres docuerũt, quæ sunt pectore angusto, carne nudo, prominentibus scapulis, quæ sæpius instar alarum auium prominent, eoq; Gręcis πτερυγώδεις appellatur, & collo oblongo, & qbus à capite ad pulmonem fluctio defertur, aptiores adhuc his natura ad tabem sunt, Si capitis repletioni debilitatiq; ipsius mala sit thoracis intemperies. Contraria corporis dispositione præditi, minus proni in phthisim existunt. Quo circa dum respirationis instrumenta ulceribus infestantur, tunc utique uel in thorace, uel in pulmone consiunt. In thorace haud adeò difficulter curantur, neq; nisi rarenter ad ingentẽ uehementiã perueniunt.

In pulmone

In pulmone uero perdifficilis curationis habētur, atq; subinde in summam terminatur uehementiam atq; angorem maximum. Eo quod thorax paucis est instrumentis preditus, & quoniam mitior est malicia, & quod ob amplitudinem ipsius humores ex ulcere meantes affatim, & melius resoluuntur, & quod ob carnis qua prædítus est copiam citius & promptius consolidatur. Pulmo uero contrario longe modo affectus est. Nam pluribus instrumentis donatus conspicitur, neq; capacitas in eo amplior existit carne perexigua, propter ramum, qui per ipsum, ut docuimus, propagatur, amplissimum, preditus, quum igitur ulcus ob dictas rationes nequeat conglutinari, cum cruore & sanguine suo ad tabem peruenire necessum est immedicabilem, quoniam ulceris regio maturationem abscessus requirit. Maturato autem abscessu nequit citra tussim quod effluit, repurgari, tussis commouet, concutit, & dolorem excitat, puris ac saniei copiam conciliat. Sanies inducit abscessum, abscessus rursum maturationem, & cætera id genus, expostulat. Fiunt itaq; subinde mali accessiones periodicæ. Malū quippe quasi quodam circuitu identidem reuertitur. Tabes uero quæ ex tali occasione, & cum huiusmodi dispositione exoritur, curationem non recipit, eo quod remedia huic consecrata ad ulcera pulmonis peruenire non possunt, perinde atq; ad ea quæ in uentriculo & stomacho quandoque eueniunt, neq; facultas ipsorum aliter, quàm longa penetratione iam debilitata, & transitu suo per tot anfractus inualidior reddita, ad pulmones deducitur. Iter uero quod ea medicamenta emetiuntur incipit ab ore ac palato, & inde per stomachū ad uentriculum fertur, illinc rursum ad gracilia intestina, hinc in uenæ portæ ramos per mesenterium ad intestina sparsos, qui ab intestinis succum, & fore medicamentosum aliquid assumunt, atq; in iecur perferunt, in porte uenæ nimirum surculos per iecoris substantiam numerosa sobole disseminatos, à quibus succus in iecoris gibbum fertur in uenæ cauæ, uidelicet ramulos eam iocinoris sedem occupantibus, à quibus præsens iter in caudicem uenæ cauæ pertingit, & inde in cordis dextrum uentriculum, unde alimentum pulmoni per uenam arterialem subministratur. Cæterum pulmonis ulcerum curationem, non hæc tantum uiæ distantia difficiliorem reddit, uerum etiam cōtinuus & indefessus pulmonis motus, quo thoracis motū secundario in respiratione sequitur, atq; ulcerū unitatē impedit. Partes aūt quas cōsolidare conuenit, qetas esse omnino oportet. Quin etiam eo, quod, humores copiosi in pulmonem resudare consueuerunt,

rũt, difficilis fit curatio. Comitatur autem hoc malo implicitos febris continens ignaua, seu hectica, totius corporis & carniũ extenuatio. Difficilis respiratio, tussis, genarũ liuor, faciei pallor, ungues tandem curuãtur, quoniam carne quæ subdita est perdita, exiccantur & arcuãtur. Capilli defluunt, ob alimenti inopiam, & humorum corruptelam, & id quod per sputũ reijcit, graueolentissimi odoris est, præsertim carbonibus iniectũ, id quod uirtutis digestiuæ debilitatẽ, quę est in mẽbro quod ulcere infestatur, portẽdit. Malo uincente, uenter turbat, cibo fastidiuntur, quorũ illud ad retẽtricis potentiæ imbecillitatem, refertur. Hoc, ad uirtutis, quæ desiderium procreat, & appetitiua appellatur. Quæ singula ferè Hippocrates quoq; his Aphorismis innuere uoluit. Quibuscunq; tabe laborantibus capilli capite defluunt, ijs alui profluuio superueniente moriuntur. 5. Aphorismorũ sententia 12. Et iterum: A tabe habito profluuium alui superueniens lethale. 5. Aphorismorum 14. Et rursum: Qui tabe molestãtur, si sputum quod extussiũt, carbonibus iniectũ graueolet, & capilli à capite defluũt, lethale. 5. Aphoris. sentẽtia 11. Et postremo accidit etiam tabe infestatis, ut id quod per sputũ eiectabant, supprimat, quod etiam quandoq; in principio morti feræ tabis euenit, unde sanè cognoscit materies cruda & immatura. Proinde quũ in uigore morbi hoc usu uenerit, mortẽ pro foribus esse denunciat. Quoniã hoc tempore ægritudinis uiriũ robur ita debilitat, ut nequeat materiam neq; cõficere, neq; expurgare, & respirationis instrumenta meatusq; illius sanie, & humoribus quæ per sputum eijciebantur, obturantur, unde comitatur eos præfocatio & interitus subitò.

### *De Tabe cum febre coniuncta, & curatio ipsius.*

QVod si cum tabe febris coniungatur, binis curandi scopis summo studio, incumbendũ est. Primũ uidelicet, ut, febrilis calor extinguat. Secundo, ut ulceri pulmonis, suis præsidijs succurrat. Cęterũ pharmaca quibus utraq; hæc & singula consequũtur contraria omnino inuicẽ existunt in plerisq; dispositiõibus. Siquidẽ febris curatio, peculiariter exigit remedia, quæ infrigidant pariter atq; humectant. Vlcus uerò quæ exiccant, & quoniam in pulmone existit, ea quæ calfaciunt, requirit, atque rursum etiam diligenter super loci longinquitate considerato. Interdum geminæ pharmacorum species simul mixtæ adhibendę sunt. Quarũ quandoq; singulas cũ eo, qđ sibi congruit excipias. Animaduertendũ uerò ante omnia, quod ulcera pulmonis quæ à prauo & mordaci humore oriuntur & corrodũt, *Vlcera pulmonis incurabilia.*

nullam

nullam planè curationem recipiunt, propterea quod longiore temporis ſpacio indigent. Nam uel exiccātur omnino, & indurātur, eoq́ꝫ curari non poſſunt, uel loca undiq́ꝫ finitima penitus corroſa, uniuerſum deniq́ꝫ pulmonem corrumpunt, & inficiunt. Pari quoq́ꝫ modo uel nūquàm, uel difficillimè curatur pulmonis ulcus non corrodens, & ſi quando multo conatu longo tempore medicatur, nunquàm exactè ſanatur, fieri tamen poteſt ut meliuſculè habeat & alleuietur malū utrunq́ꝫ, ſic ut non grauius & maius euadat neq́ꝫ exedat atq́ꝫ corrodat. Cæterū ſi in principio protinus accuratè & ritè curationem ſuſcipiat, perfectè non raro ſanatur. Cauendum itaq́ꝫ hoc malo implicitis unicè à tuſſi eſt, qua ulcus identidem lancinatur, diſrumpiturq́ꝫ, & malum quaſi quodam circuitu, ut monſtratum eſt, reuertitur. Magno præterea ſtudio conandum eſt, ut à capite ad thoracem humorum defluxio abſcindatur. Id quod triplici ratione efficitur, puta, euacuatione, potu pharmacorum uiſcidorum, & ueluti glutino committentium & curatione à capite quid in pulmonem defluat. Euacuatio ex iecoraria aut lienari, nempe, ex latere affecto moliatur. Si quid ex capite in pectus deſtillarit, fiat ſanguinis ex humerali uena detractio. Poſt hæc propinetur medicamentum acremento non multo præditum ex turpetho, (uulgò turbith dicunt) aloë lota, cum aqua cœleſti, & ſucco glycyrrhizæ contextum. Quod ſi nulla neq́ꝫ febris, neq́ꝫ ardor affuerit, pilulæ etiam ex ſpeciebus cum albenæ confectę exhibeantur, Sic ut uniuſcuiuſq́ꝫ accipiatur denarius, qui aqua pluuiali, aut ſucco medicato dilutus in globulos prægrandes redigantur. Si uerò ob uirium imbecillitatem & febris magnitudinem, commemoratorum catapotiorū uſus non fuerit tutus, eorum loco hoc, quod ſubijcitur, decoctum propinabitur.

Accipe {
Caſſię fiſtularis denarios quinq́ꝫ.
Violarum ſiccarum denarios ſeptem.
Paſſularum exacinatarum denarios uiginti.
Iuiubarum numero uiginti.
Myxorum, quæ Sebeſten dicuntur, numero triginta.
}

Elixentur in aquæ trepondo ad ſelibram uſq́ꝫ. Adijciantur inſuper mellis aërei, hoc eſt, mannæ denarij uiginti. Traijciatur per colum, & propinetur quàm diu durabit. Vel exhibeatur illud.

Mathathe

*Mathathe pro tabidis uentrem compressum soluens.*

Accipe
- Cassiæ fistularis ab acinis mundatæ sexuncem.
- Myxorum libram unam.
- Iuiubarum selibram.
- Passularum exacinatarum, semissem.

Decoquantur in aquæ libris quinque ad tertias, Iuri colato addatur pœnidij boni libra una, olei de amygdalis dulcibus trientem. Elixentur igne clementi donec coagulentur, & adijciatur uiolarum tritarum, & cribratarum triens, misceantur, & reponantur in uase uitreo. Modus esto pro uirium ratione cuiusque, in aqua de iuiubis. Si uero ægrotus potum pharmaci abhorreat, Clysterem non acrem inijciamus. Cuiusmodi est, qui ex hordeo excorticato, uiolis siccis, chamæmelo, myxis, hyssopo, althæa, oleo sesamino, & saccharo rubeo conficitur. A purgatione autem facta cum decocto rerum uiscidarum & conglutinantium. Pro cibo sorbitiones ex amylo, hordeo mūdato, & fabis cum tragachanta, aut granis cotoneorum, decoctas cum cancris. Propinetur ad sorbendum cum olei de semine cucurbitæ dulcis drach. 3. Quod si in thorace humiditas fuerit multa, & calor sit comminutus, fiat sorbitio ex oryza contrita. Decoquantur cum aqua furfuris, & melle exiguo. Si autem asperitas contineatur in pectore, & in gutture raucitas, offeratur medicamentum, quod sequitur.

Recipe
- Aquę arnoglossi crudi, sescunciam.
- Olei de semine cucurbitæ aureos duos.
- Olei uiolacei drachmam mediam.
- Olei de semine cucurbitæ dulcis, aureum unum.

Quibus omnibus commixtis, sumantur circa auroram matutinam, & post duas, aut tres inde horas, insuper propinetur aqua hordeacea cum uiolis saccharo conditis, & oleo de amygdalis dulcibus. Et sorbitio facta, ut docuimus ex cancris. Vespere autem sumatur psyllium, gummi Arabici, bolus Armenia cum lentitia cotoneorum. Quod si sputum eijciatur cruentum, exhibeantur ad hunc modum confecti pastilli.

*Pastilli ad sputum cruentum, & tabem conducentes.*

Sumito {
- Terræ signatę drachmas treis.
- Amyli.
- Rosarum. Vtriusq; semunciam.
- Electri
- Granorum myrti. Cuiusq; drachmas sex.
- Seminum oleris.
- Cancrorum combustorum. Vtriusq; drachmas decem.
- Corallorum.
- Tragachantæ.
- Spodij.
- Lapidis hęmatitis. Singulorum drach. quinq;.
- Commeos Arabici.
- Succi glycyrrhizæ. Vniuscuiusq; drach. septem.

Constāt in summa ex speciebus hi pastilli tredecim. Conterātur & per cribrum incernantur, deinde aqua portulacæ, aut rosacea, ex uiridibus rosis, excepta, redigantur in pastillos, Qui exhibeantur in aqua citrulli, aut aqua cœlesti. Cibus insuper esto ex stillatitio liquore portulacæ decoctus, cum cucurbita, aut lenticula excorticata cum arnoglosso. Potus uerò sit, aqua pluuiæ, uel aqua, in qua macerata, siue diluta sint, gleba Armeniaca, gummi, & spodium. Propinetur & zulapiū. Contineatur etiam in ore gummi, aut bolus Armenia. Thorax oblinetur cerato, & oleo rosaceo, & aqua portulacæ, aut uirgæ pastoris. Quod si tussis uehemens acriter urgeat, & siccitas thoracem magna exerceat. (Acredo quippe & ariditas tussim crebrò sectantur.) accipiatur Linctus ille.

*Mathathæ ad tabem & tußim*

Sumatur {
- Fabarum à corticibus mundatarum sescuntia.
- Amyli.
- Tragachantæ.
- Commeos. Singulorum semuncia.
- Succi glycyrrhizæ sextantem.
- Seminum althæę uncia.
- Papaueris albi tantundem.
- Amygdalarum dulcium delibratarum sextans.
- Seminum {
  - Cotoneorum mundatorum.
  - Cucurbitarum dulcium purgatorum.
  - Citrulli. Cuiusq; semuncia.
- Cucumeris excorticatorum uncia.
- Passularum exacinatarum decoctarum cum oleo amygdalino & uiolaceo sescuncia.

Continet

Continet linctus ille in uniuersum species tredecim. Arida conterantur & per cribrũ incernãtur. Amygdala cũ passulis frientur ad instar ungenti, misceanturq; aridis, & cum succo deniq; medicato, & melle Attico, seu sacharo albissimo excipiantur. Detur ad lingendum perpetuo. Quod si acre ex capite in pectus destillat, exhibeatur διὰ κωδειῶν illud.

*Διὰ κωδειῶν tabidis ex acri capitis humore in pulmonem destillante conferens.*

Accipe
- Papaueris candidi unciam unam.
- Papaueris nigri sescunciam.
- Glycyrrhizę mundatę sextantem cum semuncia.
- Seminum { Cotoneorum. / Althææ. } Vtriusq; sescunciam.
- Tragachantæ semunciam.
- Commeos tantundem.

Summa simplicium quæ compositionem constituunt est, septem. Macerentur singula per diem & noctem in libris aquæ cœlestis quinq;. Deinde elixẽtur ad medias. Colaturæ adijciatur mellis Taberzetht libra, succi medicati, & pœnidij singulorum libra. Lenti marcoris, psyllij selibra. Coquantur simul omnia ad consistentiam mellis. Propinetur inde mane ac uespere sub somnum cum aqua hordeacea. Noctu teneantur sub lingua perexiles isti trochisci, siue globuli. Quorum descriptio talis est,

*Pilulæ, siue trochisci mansiles tabi ac tussi medendæ.*

Accipe
- Oleris denar. pondo sex.
- Tragachantæ. / Commeos. } Vtriusq; denar. pondo trium,
- Seminũ excorticator. { Citrulli denar. pondo quatuor. / Cucurbitæ dulcis. / Cotoneorum. } Cuiusq; denar. pondo septem.
- Succi glycyrrhizę denar. pondo quinq;.

Constat ex rebus compositio septem. Quæ in puluerem redacta, & per incerniculum traiecta, & lenticia cotoneorum excepta, redigantur in exiguos pastillos, siue, ut uulgo dicunt, pilulas. Quæ sub lingua teneantur, & liquor inde eliquatus deglutiat᷑. Si qui uero sanguinẽ e thorace reiectarint, aut euomuerint ægre, tunc illis cũ hyss. decocto uiol. adiectis succurrito.

*Decoctum hyssopi Tabidis, ac tussientibus accommodatum.*

Accipe iuiubarum numero uiginti, myxorum numero uiginti, ficuum albarũ numero quinq;, capilli Veneris denar. 10. glycyrrhizę rasæ denar. 20. passularum exacinatarum tantundem. Decoquantur in libris

aquæ tribus ad libram unam. Colatura exhibeantur una dosi unciæ tres, cum uncia una de uiolis conditis. Cibus uerò sic habentis esto triticum cum aqua furfuris, & oleo amygdalarum dulcium, & pœnidijs, & granatis dulcibus, cannis sacchari, ficubus albis, palmulis, malua, iuiubis, myxis, & similibus, decoctum. Quod si nulla sit febris præstantissimum alimentum erit lac. Prisci comprimis commendauere in hac ægritudine potum lactis humani, si ex mammis sugatur, humanæ quippe naturæ id inter omnia conuenientissimum, & tabidis longè optimū. Deinde laudatur asininum, & caprinum, quod itidem ex uberibus, si fieri potest, sugatur, aut recens mulctum, etiamdum calens bibatur, nam citissimè corrumpitur, præsertim in aëre calido. Propinetur autem in usu lactis caprilli, qualibet dosi sesquilibra, uel cum tragachanta, & saccharo, uel cum Mathathæ, cuius descriptionem nuper fecimus. Cauendum autem ne in usu lactis alius statim cibus, præsertim uinum, sumatur, alioqui in uentriculo confestim corrumperetur.

*Victus.*

### De curatione tabis absq; febre.

Citra febrem Tabidi, subinde expuunt, & sputum crassum, uiscidum, & piscium glutini instar glutinosum eijciunt. Proinde curatio ipsorum abstergentia pharmaca & extenuantia requirit. Cuiusmodi sunt, decoctū hyssopi, ex hyssopo sicco, cum marrubio, & passulis, & inde cum oleo de amygdalis dulcibus, & amaris; & oleo de nucleis pineis. Deinde utantur sorbitionibus ex tritico excorticato cum oleo fœnogræci, & amylo confectis. Sint autem tritici partes tres, fœnogræci pars una, & amyli pars media. Misceantur & decoquantur cum melle sincero, & oleo amygdalino, & exhibeatur inde quantum uidebitur. Prodest insuper maximè linctus Mathathæ quum tabidis tum tussientibus, tum asthmaticis absq; febre.

### Linctus ad tabem, tußim, & asthma citra febrem conferens.

Accipe
- Fœnogræci sescunciam.
- Seminum lini tantundem.
- Passularum, seu pinearum semunciam.
- Malicorij unciam mediam.
- Succi glycyrrhizę sextantem.
- Iridis unciam unam.

Constat

Conſtat ex ſimplicibus ſeptem iſta compoſitio. Quæ trita, cribrataq; excipiantur oleo de granis pini, & præparentur cum melle deſpumato, & exhibeantur. Cōducit item ad eandē citra febrim tabem linctus ex caulibus.

*Linctus ex caulibus humores craſſos extenuans, & uiſcidos incidens.*

SUmito aquæ ſeu ſucci caulium trepondo, mellis puri libram. Decoquantur lento igne ad conſumptionem uſq; ſucci ſeu aquæ cauliū. Deinde adijciantur piſtatia excorticata trita, & leuigata. Exhibeantur denarij quinq;, ex lacte aſinino, aut humano, aut caprino, facta elixatione cum media libra aquæ ex duobus leuiſtici denarijs. Quod ſi res & uſus poſtulauerit propinetur & Mathathe ex ſcylla & lacte aſinino, & pro qualitate & quantitate craſſitudinis, quæ eijcitur per ſputum, pharmaca calida quæ extenūant, & expurgant ſunt uarianda. Thorax præterea obducatē emplaſtro ex medicamentis, quæ ſiccandi uim obtinent, è quorum cenſu habetur, Aloë, acatia, nux cupreſſi, ſandaracha, confectio ex gallis & paſſulis quā Ramich appellant Arabes, medulla crematorum caulium, reſina, terebinthina, oleum myrthinum, roſæ, & eiuſmodi.

*De Sanie ac pure pectore natis, quod malum ἐμπύημα Græci nominant.*
*Caput XXVIII.*

SAnies quæ in thorace colligitur, interdum ex lateribus pectoris prouenit, interdum pulmonis ulcere, & quandoq; ex inflammatione qua ſaniei fit collectio, uel ex inflammatione membranæ ſuccingentis. Si ex pulmonis, aut membranæ ſuccingētis inflammatione, cognoſcitur inde, quod duæ ægritudines cum paucula reſolutione infeſtant. Si ſaniei collectio, ſiue apoſtema thoracis, cognoſcitur ex grauitate & diſtēſione. Progreſſu itaq; temporis ſuperueniunt dolores, & febres ignauæ. In uigore uerò morbi ſequuntur febres acutę, conſtrictio reſpirationis, & tuſſis citra alicuius penſi ſputum. Id quod fit ex ſpiſſitudine gulæ, & glutinoſo humore uiſcidoq;, & craſſitudine membranæ pulmonem ſuccingentis, & ob imbecillitatem ægrotantis, qui nequit id quod reſoluitur eijcere, eoq; cohibetur ſpiratio, & anheloſi euadunt. Tempore autē eruptionis ſaniei ſuperuenit tremor uehemens, & rubedo utriuſq; malæ, ex calore nimirum pulmonis, & tuſſi. Cæterum quanquàm ſolenni more diutinarum ægritudinum digiti plurimum infrigidantur, heic tamen permanent calidi, præſertim in extremitate circa ungues, neq; id ſolum in parte exteriore carnibus

exorte, ſed interiore etiam multæ carnis & humiditatis participe. Procedente uero tempore morbo in uetuſtatē incidente, pedes inflantur, & intumeſcunt, eo quod à corde uitæ exordio longiore ſpacio diſtant, & interitus inde auſpicatur. Poſthæc oritur à cibis appetitus auerſio, propter nutricis facultatis imbecillitatem, & omnis potentiæ naturalis debilitatē. Quod ſi ſanies poſt eruptionem apoſtematis fuerit exigua, ipſa per ſputum euacuari poterit, ſi fuerit multa, diuturnitate regionem in qua continetur, facile corrumpet, eoq; natura ipſam quandoque in aluum, ſiue ueſicam propellit, idq; illis organis quibus thoracis ijs partibus communicatur, nimirum per neruorum latera, aut uenarum amplitudinem, illosq; meatus, quorum beneficio partium inter ſe fit communio. Quod autem ad præſentem ſpectat euacuationem arbitramur materiam è uenæ cauæ ramis thoracem enutrientibus illam in cauæ caudicem aſſumi, hincque deorſum, aut ad iecoris gibbum, hincq; in cauum, atque illinc per portæ uenæ ramos ſuccum ab inteſtinis ac uentriculo iecori deferentibus, in inteſtina procumbere, ac ſimul cum durioribus fecibus poſtmodū excerni. Vel ſi materia illa in iecur non demanat per cauæ caudicem deorſum recta defluit, atq; ab ipſius ramis excipitur, quibus ſeroſus ſanguis in renes expurgatur, quiq; hanc materiam renibus mandant, quibus per urinarios meatus in ueſicam repurgatur, ac ſimul cum urina emittitur, quod quum fit, ægris ſalus inſtat, morbiq; ſolutionem expectant, quod uidelicet natura ſtrenuè & continuò, breuioriq; ac magis propria uia, quam per inteſtina, aut ſtercora euacuationem moliatur. Expurgatio nanq; per inteſtina ſuccedens tardior eſt, & ad ſolutionem medici operam requirit. Cęterum ſi æger ob ſuppurationem abſceſſusq; ruptionem ſymptomata, quæ diximus permanſerint, & alia inſuper acceſſerint, mala cenſenda eſt eruptio. Conſiderandum præterea accuratius ſputum quod eijcitur, & ſolicitius diſcernenda ſanies ab humore pituitoſo aſpectu, nempe, in primis & odoratu. Si uidelicet ſputum quod extuſſiunt carbonibus iniectum graueolet, in aquam uerò demiſſum pituita natat, ſanies reſidet. Saniem autem in uno, aut altero latere contineri, ex ægrotantis ſenſu cognoſcitur. Nam ſi percipit quis inflationem, calorem, cum grauitate, toto æqualiter pectore dum flectitur quoquo uerſum, indicio erit ſaniē utroq; latere complecti. Si uerò hęc eadem, uno ſaltem dum flectitur latere ſentiat, & quidpiā eodem in latere ſurſum uelli ac ſuſpendi uideatur, tūc ſaniem ſaltem in latere uno hærere cenſeto. Id quod & uox ipſa aliquando

prodit,

prodit, dum enim dimouet se ægrotans, sonitus quidam è pectore eliditur. Quod autem ad curationem eius in cuius thorace sanies comprehẽditur, attinet, His utendum comprimis est, quæ coquendi & maturandi uim obtinent, ut sunt, calfacientia, fotus, & emplastra quæ ex polenta preparãtur, quæ thoraci tepida applicentur, ammisceantur & ficus siccę elixatæ, rhesinæ, terebinthinæ, momentum, & stercus columbinũ, & nitrum, & althæa, quoniam ista pulchrè resoluunt, & extenuant. Potus ita habentium sit, si calor adsit multus, aqua hordeacea cum melle non multo, Vel sorbitio quæ consit ex ficubus siccis, beta, & polenta. Si uentriculus ualeat, neq; assit uehemẽs calor, propinetur decoctũ hyssopi, epithymi, & marrubij cum ficubus, & melle. In eruptionis accessione expedit esus pisciũ salsorũ, catapotia aloëtica, sub somnum sumpta, & fotus uaporis hyssopi, aut epithymi, siue styracis, quum his carbonibus iniectis, æger hiante ore uaporem haurit. A uomitu autem, quo utũtur sanè aliqui, in eruptione saniei cauendum est, eò quod suffocationem aliquando, præsertim, quum id quo prorumpit est multum, parit. Vbi uerò saniosum incipit fieri sputi eijectio, tum his quæ abstergunt, & mundificant utendum est pharmacis, è quorum censu ex simplicibus ferè sunt hyssopi decoctum cum melle. Decoctum marrubij cum aqua mellis, & Iridis cum melle decoctum. Cibus sit boni succi, ueluti panis aqua maceratus, aut hordeum à cortice mundum, lotum, & aqua mulsa decoctum, & ouis sorbilibus. Sorbitioquè ex aqua hordeacea facta. Quod si ulcus fuerit sordidius quàm ut facilè expurgari queat, propinabis melicratum solum, & cum amylo. Sed oportet ut probè decoquatur melicratum, & accuratius despumetur. Vtile quoque fuerit, ne dicam, & necessarium si cum eo binæ, ternæue radices iridis leuigatæ, & glycyrrhiza decoquantur. Benè quoq; facit succus glycyrrhizæ, quando leuigatus, miscetur cum sesamo, & seminibus lini, iam pridem parum torrefactis, & tragachanta, & gummi, & pœnidijs.

Mixtorum autem remediorum porrige Mathathæ ex scylla, & id genus cætera. Laudatur & Mathathæ ex granis pini tum paruis, tum magnis mundificantibus contextum, & ex amygdalis dulcibus, & amaris delibratis, & semine lini aliquantulum torrefacto, & amylo tantundem, excipiantur & conficiantur cum melle discocto & despumato. Quod si piperis aliquid adijcies, haud erit deterius. Offeres illud tam ante quàm post cibũ. Thoraci autem emplastri modò inducere potest, semen lini cũ polenta, &

decocto fœnogreci, item emplastrum ex althea, iride, & sesamo, & eiusmodi alijs confectũ. Vbi uero malũ remiserit, adplicabis &ceratũ ex butyro, & oleo laurino contextũ. Si saniosum est pectus, & materia inde uel ex alio quopiã loco, uerbi causa, ex capite, aut spatulis, aut pulmõe, seu alio quouis quæ adstringunt ac reprimunt malũ adhibenda sunt. Eius quidem generis habentur, Gleba Armenia, succus arnoglossi, lapis hematites, & huiusmodi. Quibus cõmisce quædã mundificandi uirtute predita. Cuiusmodi est, hyssopus, succus glycyrrhizæ, siue, mel. Expurgare quoq; utiliter saniem thoraci impactam poterit, anthidotus Mithridatica. Prestantior uero est, theriaca ex carne uiperina, si desit febris, & corpus ægri non sit immodica macie confectum. Meta autem euacuationũ nouissima saniei pectori impactæ, sit quadraginta dierum spaciũ, quos ultra prodire non decet. Alioqui Tabem non effugient purgati, quemadmodũ testati sunt maiores medici. Quoniam saniosa materia in uetustatem tam diutinam perueniens, pulmonem corrodit, & corrumpit. Porro si sanies fuerit copiosior quàm ut per euacuationes per sputum queat expurgari, tunc curandi rationes, quæ manu administrãtur, adhibendæ sunt, nẽpe, que per ustionem, quod καυτήριον Græci uocant, ut uel hac ratione noxia & saniosa expurgetur materia, inurendo thoracem, cauendũ tamen studiose ne confertim omnis euacuetur materies, & paulatim, & pluribus uicibus. Quod si pus saniosum fluat è cauterio candidũ, modicè crassum, & temperatæ essentiæ, neq; graueolẽs admodum, spes est salutis. Si contrarium eueniat, conclamatum dicito. A cauterio autem & sufficiente saniei euacuatione, quæ confortandi uim habent uniuerso thoraci inijciantur. Loco autem inusto & cauterizato, ea adhibeatur per omnia curãdi ratio, quæ in adustiõe ignis desideratur. Cibi autem ac potus eadem in hac ægritudine habenda est ratio, quæ tussientibus expedit, quarum sanè rerum iam pridem in capite de tussi facta est mentio. Verum enimuero si sanies cum sputo reiectatur, magna curationis pars in Linctibus appositis consistit, & his quæ palato grata sunt, oblectant, nihilq; horroris sumenti incutiunt. Si uero inustorij beneficio sanies expurgetur, tunc summa laboranti recreatio & instauratio potissima, in optimo & exquisito cibo, ac potu consistit. Offerentur autem in ea constitutione potissimum ea, quæ iucunda sunt, & quibus maximè gaudet, præcipuè si eadem etiam conueniant & noxia non sint. Potus sit optimi odoris & confortans. Caueat ab affectibus & perturbationibus animi, ab ira potissimè & ab omni

ab omni inquietudine, sit animo, quo ad eius fieri potest, tranquillo & incommoto.

*De Aegritudinibus cordis uarijs, & de palpitatione eius, qui παλμὸς καρδίας dicitur.*

*Caput* XXIX.

NOtandum ab initio quod ægritudines cordis, aliâs ex sua ipsius substãtia, siue ex se ipso protrahũtur, aliâs alicũde adueniunt. Ex his uero quæ per se, & ex semet ipso proueniunt, aliæ medicabiles curationem feliciter recipiunt, aliæ immedicabiles, omnem curationẽ respuunt, neq; unquam sanantur. Quæ contemptis omnibus remedijs nunquã sanari possunt, aut illico, aut ex longiore temporis interuallo interficiunt. Genera autem morborũ qui cordi ex seipso proprie contingunt (quẽ admodum & alijs quoq; interdum corporis partibus) sunt tria. Morbus uidelicet, Similarium partium, Instrumentariarum, & diuortiũ cõtinuitatis. Similariũ partium morbus, Marcor est, quem μαρασμὸν Græci appellitant, & tẽperamenti mutatio, quæ accidit in syncopa ex praua temperie. Instrumentarum uero partium morbi sunt, eresypelata, seu almesira, inflãmationes & scirrhi in ambiente cor membrana, & humoris multitudo in eodem pericardio contenta.

Diuortium autem continui est, ueluti uulnus, & foramen quod ad interiora usque pertingit. Ex his tribus uero morborum generibus similarium partium morbi, mutatioque complexionis inordinata, sanantur, reliqua duo curationem respuunt.

Sed ex interficientibus ocyssime, sunt ulcus & inflammatio. Ex his uero quæ cunctanter tandem interimunt, est tertia illa species Hecticæ. Vulnus autem plerunq; militibus usu uenit, in cladibus per aliâs, quod ubi latere leuo acciderit, subito occidit, impetu sanguinis cor obruente. Si uero cordis regioni, aut corpori ipsius infligetur uulnus, tunc eodem statim die aut altero confestim nato abscessu interficit. Apostemata autem & ulcera citra euidentem causam enata, animi deliquium præcedit, cardiacum Alsueid Arabice dictum, quod utiq; animæ deliquium, si ingruit frequenter & reuertitur identidem, subitaneam mortem inuehit. Afficitur autem cor

per

per consortij legem, alia prius per se aliqua corporis parte morbo cõflicta ta, Verbi gratia: stomacho, aut uentriculo, aut utero, aut alijs id genus partibus, quæ cum corde cõmunionem habent, & consentiunt, a quibus per consensum affligitur. Deploratis autẽ morbis manus admouenda non est, sed de qbus sanationis spes est, ijs per ea quæ robur cordi adijcere possunt, & quæ extenuant, succurrendũ est, tum medicamenta, tum cibaria. Sit itaq; tota dieta extenuatoria. Potus fragrans ualde, & perodoratus. In calida intemperie cordis, uinum aquosum & tenue, uel decoctum aut zulapium rosaceum, aut uiolaceum, aut buglossatum. In frigidiore intemperatura, meracius, boniq; odoris. Item quæ oblectant & gaudiũ pariunt, ut uel ita refectis uita aliquanto prorogetur. In speciebus autem deliquiorum animæ, Si sunt ex alicuius membri dolore, summum curationis studium membro per se affecto primũ, deinde cordi adhibendum, admotis rebus quæ corrigũt, & primario affectui congrui, non neglecta interim, quæ inter initia statim adhibenda est, confortatione cordis. Si uero animi defectus ex primaria cordis affectione protrahat originem, his utiq; præsidijs, quorum uberrima facta est mentio libro secundo, capite uicesimo quarto. De præcipiti uirium lapsu, & Animi deliquio, utemur.

*Deploratis nõ est manus adhibenda.*

*De palpitatione cordis, siue tremore ipsius.*

Cordis palpitationẽ, tremorem ipsius, Græci παλμὸν καρδίας, Recentiores perperam Cardiacã nominant. Est uero hoc malũ deprauatus cordis, ueluti cum saltu, motus quidã necessarius. Gignit̃ ab eo quod præter naturã cor afficere potest, ut est, Sanguinei humoris multitudo in corpore cordis, aut humiditas in ambiente cor mẽbrana contenta, aut tumor præter naturam, siue abscessus, uel sanguineus, seu bilosus fuerit, ex calente, uidelicet, humore lethalis est, protinus interimens. Si crassus & durus, & melancholicus, comitat̃ ipsum συγκοπὴ καρδιακὴ, hoc est, preceps uiriũ cordis uitio lapsus, & aliquanto tẽpore post etiam interitus. Quod si palpitatio, siue tremor cordis ex humore in pericardio contento creatur, tantisper cohibet languẽtem, ut cor ipsius in humiditate fluctuat, quoniã dum in ambiente cor mẽbrana continet̃, diastole seu dilatatio cordis prohibet̃. Proinde quod ad huius affectionis curationẽ spectat, præsidijs remediorũ resoluentib. & extenuantib. ueluti, castoreo, nepitha mõtana, & cõsimilib. est agẽdũ. Etsi repletio hoc malũ accerserit, a sanguinis detractiõe curatio recte auspicabit̃. Deinde adhibeant̃ ea que robur inducũt, & dieta prestãs

solatium

solatiũ cũ auxilio. Opitulatˀ etiã unice Theriaca & antidotus, Mithridatica, Diamoschi itẽ dulce & amarũ. Confectioq́; diamargaritωn ex integris margaritis. Cõfectio de sceha, id est, stichados Arabicę, quũ una quęq́; harũ cũ uino odorato prębetˀ, uel cum aqua citraginis, quoniã hęc planta cordi robur adijcit, & melancholiã discutit. Cõfert etiam ad cordis tremorẽ, pharmacum quod subijciam. Accipe boraginis siccæ in leuorem tritæ unciam unam, zedoariæ, doronici, singulorum unciam mediam.

In puluerem redacta commisceantur. Vnde offeratur quolibet mense ter. Ab initio uidelicet ipsius, in medio & fine, singulis uicibus denarij pondo unius, cum mero. Propinetur idem medicamentum etiam in potu cum eodem uino, ad palpitationem cordis ex repletione sanguinea.

*Aliud.*

ACcipe corallorũ, succini, margaritarum non perforatarũ, buglossi, aluminis, boli Armeniæ, galliæ exquisitæ succus, singulorũ aureum, sacchari albissimi aureos duos. Conterantur singula seorsim. Modus est aureus cum aqua rosacea, seu frigida.

*Aliud.*

SVmatur buglossi, cyperi, uniuscuiusq́; denarij pondo unius, succini, corallorum, margaritarum integrarum, citraginis, melissęue, cimarum, † ocymi, cuiusq́; denariũ pondo trium, aluminis cõbusti denariũ pondo trium, boli Armeniæ, seminum coriandri, singulorum denariũ pondo 5. Redigantur in puluerem, & traijciantur per incerniculum & porrigatur inde cum succo medicato citrino aureus unus. † *Alferemami sach.*

*Pastilli ad cordis palpitationem & calorem.*

ACcipe spodij denar. pondo quatuor, ligni aloës Indici, gallię, cuiusq́; denar. pondo 2. cardamomi, garyophillorum, utriusq́; denarij pondo, caphuræ denarij pondo semis, tragachantæ denar. pondo trium. Trita cretaq́; excipiantur aqua tereniabin. Redigãtur in pastillos drachmam ponderantes. Dentur in congruo potu.

*Diamoschi ad cordis palpitationem ẽ Bile nigra, mundificans caput & uentriculum.*

ACcipe folij Indici, folij Romani, cyperi, feremamisack, ammeos memithæ, seminum apij, anisi, usneæ, singulorum drachmas quatuor, succini, coralli, margaritarum non perforatarum, singulorum drach. 5. aloës drach. 10. succi absynthij drach. 7. epithymi drach. 8. croci, myrrhę, utriusq́; drachmas treis, melissæ drach. septem, moschi drachmas duas.

Misceantur

Miſceantur ſingula & utantur. Modus eſto denarius cum decocto abſynthij.

*Pharmacum ad palpitationem cordis ex frigore.*

REcipe, ſuccini, caſtorei, utriuſq; denarium, corticum exiccatorum citri drachmam mediam, ocimi drachmam mediam. Leuigata & creta propinentur cum ſucco citraginis, nam eſt præſentiſſimum auxilium.

*Aliud ad idem.*

ACcipe Succini, Corallorum, cuiuslibet drachmam ſemis. Redigãtur in pollinem, & cribrata cum ſucco corticum citri propinentur.

*Aliud ad cordis palpitationem & epilepſiam.*

ACcipe, meliſſę, ſpicę, cinnamomi ſelecti, zedoarię, doronici. Singulorum drach. 2. Foliorũ ſiccorũ citri drach. unam & mediã. Leuigẽtur & incernantur, & propinentur ex uino, in quo maceratum ſit bugloſſum à capite quolibet menſis. Modus medicinæ drach. 1. s. Vini ſextans.

*Aliud ad palpitationem & epilepſiam.*

SPicæ, cinnamomi, folij Indici: Aliâs, gariophillorum, cyperi, uniuſcuiuſq; drachma, meliſſæ drach. media, Ligni aloës crudi tantundem in puluerem redacta, & per incerniculum traiecta cum ſucco medicato quã miuam dicunt, propinetur.

*Aliud ad palpitationem cordis è melancholia natam.*

ACcipe myrobalanorum cæruleorum, myrobalanorum cepulorum, uniuſcuiuſq; drach. 5. epithymi Cretenſis leuigati & creti drach. mediam. Confundantur cum dauich quatuor diamoſchi amari. Sumãtur cum uino perodorato.

*Aliud ad cordis palpitationem.*

ACcipiãtur mentæ aridæ, ſuccini cremati, cardamomi minoris, ſingulorum denar. 2. gariophillorum denar. 1. Cõtrita in leuorem, & creta exhibeantur pondo denar. 2. doſi qualibet cum aqua malorum.

*Aliud ad eandem palpitationem.*

SVmito, ſuccini, electriue, corallorum rubeorum, aluminis uſti, ſingulorum drach. treis. zedoariæ, doronici, uniuſcuiuſq; drach. mediam. moſchi boni grana ſex, margaritarum integrarum, ſpicę, cuiuslibet drach. unam, ſacchari albiſſimi drach. decem. Leuigatis in pollinem ſingulis, & per incerniculum traiectis. Dentur denarij tres cum ſyropo de abſynthio. Præſentis erit auxilij, Diuino adſpirante numine, remedium.

IANI DAMASCENI QVARTI LIBRI FINIS.

PERIOCHA

## PERIOCHA VOLVMINIS QVINTI.

IN hoc uolumine totius operis quinto, membrorum primo nutritoriorum, Stomachi, Ventriculi, imique uentris, mox intestinorum, ani, & hęmorrhoidũ, affectiones & uitia, omne genus, siue cum humorum copia, siue in sola qualitatis intemperie fuerint, Postremo fluxuum etiam & Lumbricorum species ac differentias; & curationes, complectitur.

## ELENCHVS EORVM QVAE IN QVINTO LIBRO COMPLECTVNTVR.

# IANI DAMASCE
## NI DECAPOLITANI SVMMAE INTER
## Arabes autoritatis Medici, De Medendi ratione Liber V. D. GERARDO IATRO Cremonensi interprete.

*De Stomachi, uentriculi & imi uentris constitutione, affectibus ac uitijs corundemq; curatione. Cap. I.*

SVper uentriculi, totiusq; uentris, atq; adeò membrorum nutritiuorũ affectionibus, sermonem in hoc libro facere, instituimus. Sumpto ab oris uentriculi exordio, tribus nominibus, Ordinis uidelicet sui, Operationis suæ, & oblæsionum suarum causa. Ordinis quidem, quoniam est nutrientium membrorum supremum. Operationis uerò, quoniam mutat cibum comprimis. Oblæsionum suarum, quoniam attrahit uehementiam læsionum uelociter, propter multitudinem sensus sui, & propter propinquitatẽ cordis. Vẽtriculus quidem in duas diuiditur sectiones, scilicet os, quod stomachus uocatur, & cõcauum eius. Et inter utranq; differentia, in substãtia & actione, Quoniã stomachus, plures habet neruos, & plures sensus, quã uentriculus. In actione quidem, quoniam ambæ diuisiones simul has duas efficiũt actiones, appetitum scilicet & digestionem. Nam magis proprium interiori parti uentriculi est digestio, & magis proprium ori eius, est appetitus. Et interioribus quidem, etiam est appetitus, ueruntamen minor appetitus quàm ori. Et os quidem digerit, ueruntamen minus quàm interior pars. Hoc autem membrum conflictatur ægritudinibus multis, communiter & proprie: Communes autem sunt, sicut reliquorum membrorũ similarium partium, & officialium, & solutio imparis, & accidunt in eo caliditates, quando infirmatur per maliciam complexionis. Quod autem accidit in eo ex ægritudinibus officialibus, est sicut phlegmone, aut apostema phlegmaticum, quod dicitur molle, aut apostema melancholicum, aut almesira, aut solutio continuitatis, sicut incisio, aut foramen, & istæ quidem ægritudines cõmunicant stomacho & alijs mẽbris. Vẽtriculo uerò & ori eius sunt proprię, destructio digestionis, diminutio & malicia digestiõis, destructio appetitus, Appetitus caninus, singultus, nausea & uomitus. Et quibusdam aduenit

*Digestionem ubiq; pro concoctione accipit.*

*Morbi ac uitia quibus uentriculus conflictatur.*

dam aduenit ſyncope, proportionata Caro ſeu uigilanti Comati, & ad os uentriculi, & proportionata ad ſtomachum, propter læſionem oris ſtomachi. Et cõſequitur eos ſpaſmus & ſubeth, & epilepſia, & inquietudo. Et nos quidem uidimus quoſdam febricitantes, quos ſequutus eſt ſpaſmus ſubito, præter quod in eis apparet aliqua ſignificationum, quibus ſignificatur illud, poſtquam ergo bilem euomuerunt, ſtatim euaſerũt. Et quidam ex eis, qui infirmantur hac ægritudine, euomunt humiditatem decliuem ad nigredinem. Et quidam euomunt, quod ſimilatur ſucco porri. Et quibuſdã aduenit Caros aut Coma ex grauitate comeſtorũ malorum, & non ſequitur eos malicia uiſionũ & Caros aut Coma tantum, ſed conſequitur eos inquietudo, & permixtio intellectus, ex humore malo, qui aggregatur in orificijs uẽtriculi. Veruntamen omnes iſtę ægritudines non accidũt, niſi quando alia læduntur membra, & læditur ſtomachus læſione eorum. Propriè autem non ſunt ut deſtruatur ſenſus, & corrumpantur comeſta, quando natant in eo, quia de conſuetudine comeſtorum eſt, ut firmentur in concauitate ſtomachi, & propriè, quando ſunt, tardæ corruptionis, non corrumpuntur. Et ægritudo quæ accidit mulieribus nominatur Pica, Gręcè κίσσα. & eſt appetitus comedendi lutum, carbones & quæ ſunt illis ſimilia, plurimũ accidit, cum læſione membri. Et fortaſſe putreſcit aliquid in ſtomacho, & facit accidere paucitatem delectationis & nauſeam, donec ille cui accidit illud, neſciat exponere qđ accidit illi. Et fortaſſe adhęret in ſtomacho humor, in panniculo intrinſeco, ſimilis glutino, & facit accidere ſyncopen, & fortaſſe natat in interioribus eius, & attrahit uomitum. Accidentia igitur ægritudinum quę fiunt in uentre, & ſtomacho, ſunt iſta. Cognitionem autem cuiuſq; eorum, dicemus deinceps ordine.

*Subinde accipit ſtomachũ non pro ore uentriculi, ſed pro ipſo, uentriculo.*

*Pica.*

### De intemperie calida ſtomachi & uentris. Cap. II.

ACcidentia quæ conſequuntur malam temperaturam calidam ſtomachi & uentris, ſunt uehementia ſitis, inflammatio, delectatio ex rebus frigidis, & læſio à contrarijs eorum. Quapropter ſi eſt cum humore cholerico, mũdificamus ipſum in primis, cum ſolutione cholerę, & extrahimus etiam cum uomitu, ſecundum declinationem humoris, & tollerantiam infirmi. Quia ſi humor eſt contentus in ſtomacho, & infirmus aſſuetus eſt uomere, mundificamus eum cum uomitu, & mouebimus eum

cum post comestionem piscium recentium, & potum aquæ hordei, cum oxymelite, uel syropo acetoso, cum saccharo confecto, uel qui fit ex aqua & saccharo. Si autem est in concauitate stomachi, & infirmus non consueuit uomere, utamur medicamine solutiuo, & damus ei Hieræ Picræ drachmam unam, myrobalanorum citrinorum drachmas duas, conficiemus utrasque cum oxymelite, & damus cum decocto absynthij, quod decoctum est cum ficubus & tamarindis, fumo terræ, passulis mundatis & rebus decliuibus ad amaritudinem. Et damus ex hoc medicamine multotiens donec mundificetur stomachus à cholera. Si autem cholera effunditur ad stomachum ex epate, & reliquo corpore, euacuamus eam post phlebotomiã uenæ, cum aqua casei, & cum oxymelite, & myrobalanorũ citrinorum, scammonea assata in cotonio, & sale Indo, & saccharo. Et nutriatur cum cibis frigidis & humidis, sicut sunt coturnices, perdices decoctæ, aqua granatorum acetosorum, agresta, aut pulli qui fiunt secundum hunc modum, & damus in potu oxysaccharam, & aquam granatorum acetosorum, & aquam decoctionis prunorum. Quod si ægritudo est ex malicia complexionis calidæ, absque materia, confert eis lac uaccarum, de quo est butyrum extractum solum, & cum illis trochiscis.

*Victus frigidus & humidus.*

*Si calidior stomachus citra materiam.*

*Trochisci ad maliciam complexionis stomachi & uentris calidi, & febrem inflatiuam, & sitim.*

Recipe spodij, santali albi, seminum cucurbitæ dulcis, semin. cucumeris, citrulli, portulacę añ. drachmas quinq;, rosarum siccarum drach. septem, camphoræ drachmam unam, berberis aut succi eius drachmas sex, boli Armeni drachmas quatuor, summa est decem. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua portulacę, aut cum aqua cucurbitę, & informentur trochisci. Detur ex eis semel cum lacte à quo extractum est butyrum, cum aqua agrestę, aut cum acetositate citri, aut cum rob succo medicato quod dicunt de ribes, & ponatur super os stomachi deforis emplastrum humectatiuũ, sicut emplastrũ, quod fit ex rasura cucurbitę, & portulacę, aut salicibus, † alcubub, santali albi, & camphora, aqua rosarũ, & quę sunt illis similia. Et comedat medullam cucumeris, & citrulli, granata acetosa syluestria, pruna, & illis similia. Et ultimo oportet, ut regatur cũ omni quod infrigidat & humectat.

*† atulub.*

*De intemperie frigida stomachi & uentris.* Cap. III.

QVod si lędatur stomachus ex frigiditate absque materia, damus ei theriacę drachmam unam cum uino antiquo, aut sagzeneam confectionem opiatam cum miua, aut omorusiam cum aqua menthæ, aut methridatum cum aqua mastiches, & spicæ, schœnosanthos, aut diamoschum amarum, factum cum aloë & absynthio. Et si est, cum materia frigida, mundificamus eam ante omnia cum uomitu post cibos subtiliatiuos, sicut sunt pisces saliti, & raphanus. Et demus eis in potu pilulas stomachicas, aut pilulas de aloë, aut pilulas de speciebus. Et post mundificationem sufficientem, damus oleum Ricininum cum aqua de radicibus, & Hieram. Et si aliquid fuerit impedimento, damus eis oleum de amygdalis dulcibus & amaris cum aqua de radicibus, aut cum omorusia.

*Medicamen ad stomachum læsum & infirmum ex frigore.*

REcipe mastiches, trochiscorum de rosis añ. drachmas tres, charabe, menthę siccę, mellissę, xiloaloës crudi añ. drachmas duas, Commixtis omnibus, terito & cribrato, Da ex eo cochleare 1. & bibat post ipsum miuam æger, aut uinum odoriferum, aut aquam anisi, & mastiches, aut aquam decoctionis gariophil. Et ex eis quę conferunt etiam sunt syropus de absynthio, & diacyminum, confectio de piperibus, & zingiber conditũ, & myrobalani chebuli conditi cum melle & speciebus. Et nutriatur cum aqua ciceris, iure carnis & auibus paruis. Et bibat uinum antiquum odoriferum, alcandiacon, aquam mellis cum speciebus, & uinum passum, quod fit ex passis & melle. Et ponantur super stomachum exterius, res calidę boni odoris, sicut syropus de lilio, almeisusen, cum ambra, moscho, & xiloaloës crudo, & quę sunt illis similia. Et uaporetur stomachus foris cum aqua gariophillorum maceris, nucis moschatæ, & cardamomo, & quæ sunt illis sisimilia. Et inunge ipsum cum oleo sambuchino, aut oleo balanino, aut oleo costino, aut oleo de lilio, & reliquis quę sunt illis similia.

*De inflammatione seu phlegmone uentriculi.* Cap. IIII.

VTere ergo in curatione eius statim post phlebotomiam rebus infrigidantibus, & permisce cum eis aliquid de aromaticis, quæ stypticitatem faciunt & stringunt. Incidenda autem in primis uena

iecoraria,

iecoraria, quam basilicam dicunt, si nihil prohibeat. Et post illud da aquam solani, & aquam endiuiæ solam, cum cassia fistulari, & accipiat inde usque ad diem septimum, & in octauo adde parum de aqua fœniculi, ad aquas prædictas, & aquam apij, cum drachma media trochiscorum de rosis. Et si caliditas est adhuc multa, & apostema inflammatum, tunc non oportet ut addas has medicinas, sed da aquam solani & endiuiæ tantum cum trochiscis de rosis, & aliquid de succo absynthij, & mastiche. Et nutries eum usque ad diem septimum cum melle, atriplicibus, præsertim ea specie quam Sarmacum dicunt, ammixto oleo omphacino, & oleo amygdalarũ dulcium. Et post septimum diem cibabis ipsum beta, & pisis, seu phaseolis decorticatis, mesi appellatis. Da in potu in initio statim Iulep, & aquam granatorum. Et post maturationem ægritudinis secaniabin, & fiant emplastra in principio ex rebus frigidis, sicut sunt, solanum, arnoglossum, rasura cucurbitæ cum farina hordei, folijs salicum, uiolis siccis, & quæ sunt illis similia. Et permisce cum eis post septimum diem cymas chamæmeli, melilotum, absynthium, spicam, radicem althææ, santalum rubeum, auellanam Indicam, crocum, & baccas lauri. Galenus quidem consueuit uti in apostematibus stomachi ceroto facto ex aloë, & mastiche, & cæra cum oleo balsamino, Cere accipiebat aureos octo; & liquefaciebat eam in æstate cum oleo rosarum, In hyeme uero, cum oleo balsamino unciam unam, Quum ergo infrigidatur permisce cum eo aloën, & mastichen contrita, & accipe ex eis aureum unum. Si autem æger est debilis, & non continet cibum, adde etiam emplastro, quod confortet, aureum nempe unum rob agreste exiccati, proijciatur in primis in cerotum, deinde medicinæ reliquæ, demum succus absynthij, misceatur loco succi, rob agrestę, & in hora utrosq;. Quantitas autem cære & olei balsami respondeat quantitati cæterarum medicinarum quę ingrediuntur, Quum autem aggregantur, ex medicinis alijs, sume aureos quatuor, ceroti uncias quatuor cum dimidia, cęre uncias duas, & uncias duas ex oleo balsami. Cum ergo apostema antiquatur & induratur, tũc utere omnibus coloribus medicinarũ, eo in quo sit aliqd aromaticitatis, & ex medicinis lenientibus & resoluentibus, secundũ similitudinem cõplexionis emplastri facti cum meliloto, nam permixtiões huius emplastri sunt multæ, quoniam conueniens est apostemati uiscerum quæ sunt sub abdomine, quando alteratur parumper, donec fiat uelut una

commixtionum. Confert apoſtemati epatis, & altera apoſtemati ſtomachi, aut pulmonis, aut muſculorum uētris. Et ego quidem iam omnes iſtas deſcriptiones in permixtionibus emplaſtrorum collegi.

### De nauſea & uomitu. Cap. V.

NAuſea & uomitus accidunt ex materia quæ coartat, aut quantitate ſua, ſicut cibus copioſior quàm uirtus tollerare poſſit, aut in qualitate ſua, ſicut materia, quando eſt acuta mordicatiua, horribilis, acetoſa, bilioſa, aut in genere ſuo toto, quando eſt multa mala. Et quando in interioribus ſtomachi cōtinetur, facit accidere uomitū, prę ter quod nutriatur infirmus, præcipuè quando eſt multa & quando eſt uiſcoſa & rugis ſtomachi annexa, tunc fit nauſea, & hæc eadem aut generatur in ipſo ſtomacho, aut prouenit ad ipſum ex membris alijs. Quandoq; autem nauſea eſt, cum debilitate uirtutis, tunc minuere oportet quantitatem cibi, aut mutare qualitatem eius, deinde redimus ad confortandum ſtomachum cum rebus contrarijs maliciæ complexionis, quam propter debilitatur uirtus. Si uerò nauſea & uomitus ſunt ex humore malo, retento in ſtomacho, ſi eſt phlegmaticus, ſoluimus ipſum, adminiſtrādo quietem & ſomnū, & prohibeatur cibus, & adminiſtrentur res quę calefaciunt & digerunt. Si autem eſt crudus cum eo quod diximus humor, adminiſtramus etiam res inciſiuas, ſubtiliatiuas. Et ſi eſt bilioſus, aut melancholicus, curamus ipſum cum eo quod eſt ſubtilius, & minus coartans, ſcilicet cum uomitu ſemel poſt potum aquæ hordei, & ſemel poſt potum aquæ calidæ. Illos autem in quibus eſt humor uehementis uiſcoſitatis & craſſitudinis, poſt humorum extenuationem & inciſionem, mundificamus cum pilulis de aloë. Eſt quādo debilitas non eſt in ſtomacho tantū, ſed in toto etiam corpore, ut impellatur ad ipſum aliquid quod expellat, propter ſuperfluitatem ſuam, uice aliqua inferius cum ſolutione, quando ſtomachus eſt fortior uentre, & uice aliqua expellatur ad ipſum, quod expellat ſurſum, quoniam intentio eſt è contrario illius.

De Eructuatione. Cap. VI.

ERuctuatio fit propter euacuationem uentositatis inflatiuę, & significat aut humorem phlegmaticum ex quo generatur, aut debilitatem stomachi. Et hoc etiam aut accidit ex humore egrediente à natura qui uincit in stomacho, aut ex malicia complexionis tantum. Et quando eructuatio est absque æqualitate, tunc ipsa impellit cibum in stomachũ, & prohibet ipsum recipere digestionem. Et quando omnino prohibetur, tunc accidit in stomacho inflatio & nocumentum magnum, quam obrem necesse est, quando eructuatio & uentositas sunt absq; æqualitate, ut sedes ipsum cum destructione causę, quę facit ipsam accidere. Si est phlegmatica, euacuamus eam cum medicinis quas prędiximus. Et si ex debilitate, curamus maliciam complexiõis quę facit ipsam accidere cum eo, quod est contrarium ei. Cum ergo prohibetur uentositas ab exitu, administramus res resoluẽtes inflammationem, sicut anisum, aloë, folia rutę, carui, calamintha, cyminum, mentha, ammeos, mastiche, gariophilli, & quæ sunt illis similia.

De Singultu. Cap. VII.

SIngultus est motus quem facit natura in reliquis partibus stomachi, quando expellit humores noxios, tunc illę res non obediunt ad expellendũ. Et singultus quidem accidit, aut ex euacuatione, aut ex repletione, aut ex mordicatione, aut ex malicia complexionis frigidę. Repletio autem accidit aut ex multitudine comestionis, aut ex humoribus qui inspissantur in corpore stomachi. Euacuatio autem fit aut ex medicina quæ multiplicat in solutione, aut expulsione egrediente ab æqualitate, aut prohibitione longa à comestis. Et mordicatio fit, aut ex humore bilioso, qui generatur in stomacho, aut effunditur ad ipsum, aut propter rem calidã, acutam, quã suscipit homo ex potu uini antiqui puri, aut sumptione confectionis diatrionpipereon, aut propter corruptionem cibi & maliciam complexionis frigidę. Fit autem propter gulositatem, sicut aduenit pueris, propter stomachi ipsius substantiam, sicut aduenit decrepitis, & illis qui infirmantur ex ægritudinibus cronicis. Et accidit singultus etiam ex parte alia, quando in epate est inflammatio magna, & facit accidere in stomacho ægritudinem.

Cura

*Curatio singultus.*

NEcesse est in primis ut curetur singultus qui est ex repletione cum uomitu, & similiter singultus qui est ex mordicatione, nam quando est ex humore contento in stomacho, si natat ad superiora tunc euacuatur cum uomitu, post commestionem raphani & potum aquę calidę quæ iam bullit cum anetho & sale. Et si est submersus in rugis stomachi euacuamus cum Hieræ Picrę antidoto, & pilulis de aloë, & pilulis de speciebus. Et si singultus est ex malicia complexionis frigidæ, tunc oportet ut curemus ipsum cum rebus calefacientibus, extenuantibus quæ partim more emplastri inducuntur, partim in potu sumantur. Aut cum motu necessario, scilicet motiõe cum tussi. Res autem calefacientes, & extenuantes sunt, semen apij, macer, cyminum, anisum, zingiber, calamentha, asarum, spica, aristolochia rotunda, acorus, castoreum, quod accipitur cum aceto scyllitico. Confert etiam hoc medicamentum: Recipe castorei drach. s. costi amari tantundem, petroselini Macedonici drach. 1. Sumatur cum aqua sisimbrij, aut decoctione calaminthæ, anisi & masticħes. Et etiã ex eis quę conferũt, est cortex pistaceorum rubeus exterior, quando coquitur cum radice schœnosantos ęquali pondere, & bibitur ex utrisq;. Atq; secundũ hunc modum, quando accipiũt petroselini, & cyperi, cymini, carui singulorum drach. 5. Et datur potio eius aureus, cum aqua sisimbrij, aut decoctione calaminthæ, masticħes. Aut detur sisimbrij pondo drach. 2. cymini, carui drach. 2. cum uino puro. Conferunt etiam cortices lentisci, seu atila, quando exiccantur & teruntur, & datur ex eis pondo aureus 1. cum aqua. Et si generatur singultus in stomacho ex flatibus crassis è crapula obortis, damus infirmo rutã siccam cum semine suo in uino. Quod si cum flatibus est humiditas, damus ei nitrum cum aqua mellis. Et si euenerit singultus ex humoribus crassis, confert ei scylla, quando sumitur cum uino. Hęc autem omnia quæ diximus noxia sunt illis, quibus aduenit singultus ex euacuatione, quia ipsi indigẽt, † quæ sunt eis similia. Illis autem stomachis quibus nocet humor cholericus, & facit eis accidere singultum, conuenit in primis mundificatio humoris, cum uomitu, post potum aquæ calidæ, & oxymeli, & post ipsum aqua hordei cum aqua granatorum dulcium, & aqua cucurbitæ. Et si ex siccitate est singultus, tunc damus in primis aquam calidam, cum oleo de amygdalis dulcibus, & oleo uiolarum. Deinde datur eis aqua hordei, aqua cucurbitę, & citrulli, & mucilago psyllij, & lentitia seminis

† *quæ sunt contraria eis.*

citoniorum,

citoniorum,cum oleo de amygdalis dulcibus,& oleo de semine cucurbitę dulcis. Et ad ultimum administrentur res humectantes, interius & exterius in hac dispositiõe. Et si singultus est ex phlegmone quæ fit in epate, tunc incipimus in primis cum phlebotomia basilicæ titillicaris, Deinde damus aquam solani, & aquam endiuiæ, cum cassia fistulari. Et si est illic inflammatio, damus etiam aquam hordei cum oxymelite, & ponimus super epar emplastra quę conueniunt phlegmonę quę fit in epate, sicut emplastrum factum ex duobus santalis & semperuiuo.

### *De inflatione quæ fit in stomacho.* Cap. VIII.

VEntositates fumosæ, quæ nominantur etiam inflatiuę, generantur in partibus uentris, quando resoluũtur humores uentosi, & comesta, de proprietate quorũ est ut resoluãtur in fumũ, quoniam sunt ex caliditate parua, quia frigiditas parua non generat fumũ, quoniam ipsa non subtiliat. Caliditas autem uehemens uincit cibum & subtiliat ipsum, & prohibet ipsum resolui in fumum, si cibus ipse non est ex illis, ex quibus est possibile generari fumum, tunc enim, generat uentositates nocentes diminute, quæ morantur haud diu, donec euacuentur eructuatione una, aut altera. Ad uentositates autem inflatiuas conueniunt medicinæ extenuantes & calfacientes, quando teruntur cum oleo de spica & colantur & funduntur in clysterem, sicut, cyminũ, fœniculum, semen apij, petroselinũ, carui, anisum, leuisticum, siseleos, macer, & quę sunt illis similia. Et si in membris officialibus est frigiditas, decoque in oleo aliquo rutam, & nigellam, baccas lauri & castoreũ, Et si est illic aliquid apostematis, adde medicinas calidas uehementis caliditatis, & decoque in oleo aliquo, rutæ loco anethũ, & permisce cum eo adipem anseris & gallinæ. Hæc non conueniunt nisi abscessibus magnis. Paruis uerò conuenit etiam uaporatio extrinseca cum milio calefacto. Et ex eis quæ sanãt inflationẽ & punctionẽ, ex uentositatibus est electuariũ factũ ex seminibus, quãdo sumitᵉ in potu cum uino, & theriaca, & sagzenęa, mithridatũ, diacyminum, confectio diatrion pipereon, diacalamintha, & secundum hunc modum administra decoctionem anisi. Recipe anisum, mastichen, origanũ, aristoloch. rotundam. Ista enim sanant dolorem ex oppilatione, & crassitudine uentositatum crudarum accidentem. Confert item tragema quod fit ex semine anethi, ammeos, semine rutæ, calamintha sicca, & castoreo. Illos autem quibus aduenit inflatio

ex bile

ex bile nigra, iuuat uaporatio quę fit cum aceto in quo decocta sunt chamęmelum, anethũ, sambuchus, semen rutę, baccę lauri, daucus & semen apij.

### *De cibi fastidio & amißione appetentiæ.* Cap. IX.

DEstructio appetitus & diminutio eius, fiunt, aut ex malicia cõplexionis stomachi, aut ex aliquo humore qui continetur in eo. Et significatur malicia complexionis frigida, ex contrario horum accidentium, quia ipsi non sitiunt, neq; tollerant res frigidas, & accidit eis eructuatio acetosa. Humor autẽ qui retinetur in stomacho, si est subtilis cholericus, mordicat stomachũ, & facit accidere nauseam & sitim. Si uero est crassus, uiscosus, horum nihil accidit, est enim communis duabus dispositionibus simul. Humores quando sunt retenti in interioribus ipsius stomachi, tunc faciunt uomitum, & si sunt annexi, aut irretiti in rugis stomachi, tunc faciunt nauseam, & non faciunt uomitum, nisi sit in stomacho superfluitas cibi. Illis autem quorum appetitus destruitur per humores frigidos, oportet ut demus eis abstergentia, & mundificemus eos per uomitum superius, aut per solutionem uẽtris, inferius. Si autẽ sunt irretiti, euacuamus eos per uomitum, cum Hiera Picra, pilulis de aloë, & pilulis de speciebus. Et post mundificationem, damus eis ad rectificationem malicię complexionis, electuarium diacyminum, aut confectionem diatrion pipereon, aut myrobalanos chebulos conditos, aut zingiber conditum, yringum, aut quod centumcapita uulgo uocant, Arabes secacul dicunt, aut citrum conditum. Et ex his quæ conferunt etiam est syropus de absynthio. Quorũ autem destruitur appetitus ex humoribus cholericis calidis, utimur in primis in curatione eorum rebus, quę temperant & extinguũt, deinde euacuamus eos cum myrobalanis citrinis, & fumo terræ, & decoctione absynthij, & damus eis diacitoniten cum scammonea. Et si non indigemus ea, multiplicabimus medicamentum ex aloë. Et post illud damus ad confortandum stomachum, decoctionem absynthij, spicæ, rosæ, fumiterrę, passularũ, cum cassia fistulari, & tripheram minorem cum xiloaloës crudo, & mastiche contritis. In illis autem quorum appetitus destruitur propter debilitatem uirtutis, qua influit desiderium, quoniam uirtutes omnes debilitantur propter maliciam complexionis membrorum, in quibus sunt humores mali, oportetq; ut secundũ quantitatem maliciæ complexionis, curemus cum contrarijs rebus, nam si est acuta, aut calida, curamus eam cum eo quod accipitur cum aceto, sicut est endiuia, fumus terræ, lactuca, aqua granatorũ acetosorum, aqua

rum, aqua agrestæ, acetositas citri, lac acetosum, & quæ sunt illis similia. Si uero est frigida, curamus eam cum uino antiquo, & miua, & capparibus quæ infunduntur in aceto, melle, alcaudicon, & oliuas quæ infunduntur in aceto & aniso. Et si necessitas exigit, damus confectionem diatrion pipereon, & confectionem de calamintha fluuiali. Et ex eis quæ conferunt etiam est theriaca, & mithridatũ. Confert etiam medicamen Galeni, de quo dicitur quod confortat stomachum & rectificat ipsum, & confert illis quorum destruitur appetitus & non digerunt cibos suos, de quo dicam in antidotario. Et oportet ut scias, quod destructio appetitus est significatio magna in reliquis ægritudinibus cronicis, & quod fortiores quidem significationes & plures in debilitate uirtutis, qua desiderat est, quando infirmus aliquid appetit, & gustatum fastidit, & nihil sumit ex eo, Et id finem destructionis appetitus significat, cum penitus nihil desiderat. Hæc omnia etiam accidunt in potu.

### De appetitu canino. Cap. X.

CAnina appetentia affectus ille à canum nomine uocatur, qui desiderant uorare multum diuersum cum fame absq; sacietate. Et accidit, aut ex malicia complexionis oris stomachi frigidæ, aut propter humorem acetosum, qui accumulatur in eo, aut ex euacuatione multiplicata, quæ accidit reliquo corpori. Et hoc quidem fit ex debilitate uirtutis retentiuæ, à retentione cibi, & propter illud expellitur, aut difficultate caliditatis, quæ finit ipsum, & hæc caliditas non est in ore stomachi, imò in reliquo corpore, quia sequitur appetitum, qui accidit ex malicia complexionis frigidæ in stomacho, aut humore frigido retento in stomacho, solutione naturæ superflua. Illi autem cui accidit ex multitudine euacuationis, non sequitur simile illius. Et damus eis etiam cum rebus quę rectificant maliciam complexionis facientem accidere ægritudinem, cibos pingues, & uinum multum sufficientis caliditatis, & uinum simile huic est rosatum, & rubeum in colore suo, præter quod sit in sapore suo stypticum. Et illis quibus aduenit hæc ægritudo, ex malicia complexionis frigidæ, aut humore acetoso, in uino est iuuamentum magnum, ut testatur Hippocrates libro secundo Aphorismorũ, uicesimo primo. Famem uini potio soluit. Et necesse est in initio cibi sumere cibos crassos, pingues, calefacientes, & reliqui cibi eorum, fiant, cum pinguedine multa, & non sit in eis acetositas neq; stypti-

citas, deinde præcipimus eis bibere ex uino quod prædiximus, quia hæc ęgritudo alleuiatur cum huiusmodi regimine, & quando medicatur etiam tempore longo sanatur, & si accidit in hac ægritudine solutio naturæ, confert electuarium Alcanzi.

De Bulimo, hoc est, prægrandi & uehementi fame.
Caput XI.

BVlimus fames est magna & eius intentio est uehementia priuationis cibi, & paupertas membrorum, scilicet quod significat super illud deriuatio nominis huius, quia λιμός est fames, & βου particula alijs uocibus adiecta significationem earum adauget. Hæc autem ægritudo & appetitus caninus communicant, quoniam paupertas & diminutio cibi sunt inuentæ in utrisq; simul. Et diuersæ sunt in hoc quod uirtus appetitus est sana, & membra sunt repleta, & uirtus est inferior facta, & appetitus est in casu, & continuatur cum ea etiam diminutio & siccitas, & frigiditas, & debilitas. In illis autem quibus accidit hæc ægritudo quocunq; modo, oportet ut confortentur naturæ cum ratione aquæ frigidæ, & aqua rosarum infrigidatæ super faciem eorum, & demus eis in potu res boni odoris delectabilis, sicut uinum antiquum odoriferum, in quo commixta sunt camphora, xiloaloës, & syropus almesusen. Et suffumigemus eos semper cum xiloaloë Aromatizato, & ambra, & ponamus super iuncturas eorum emplastra ex aqua rosarum, & aqua myrti, & syropo de lilio, camphora, musco, & croco, xiloaloë contrito, gallia, rosis, & quæ sunt illis similia. Et stringemus manus eorum & pedes ipsorum, & excitemus eos pungendo duas mandibulas eorum inferiores, & tenendo capillos eorum. Cum ergo conualescunt à syncopi da eis panem infusum in uino commixto, aut alio ex eis quæ confortant uelociter. Et oportet ut curemus eos post illud studiose cum cibis conuenientibus, donec confortetur debilitas eorum.

De appetitu

*De appetitu inordinato qui Græcè Citta, Latinè Pica dicitur.* Cap. XII.

SCito homines malos cibos non desiderare, nisi quando superfluitas mala adhæret rugis stomachi. Et plurimũ quidem accidit hæc complexio mala mulieribus quando inpregnantur, & nominatur hæc ægritudo κίττα Grece, Pica Latine. Et desiderant quidem mulieres acida & austera, & absurda, & fortasse desiderant res quæ dicuntur acrumina, sicut lutum, ostraca, uasorum fictilium frusta, aut carbones, aut alia ex rebus alienis. Et cõsequitur eos hæc ægritudo secundum plurimum usq; ad mensem secundum, aut tertium, & alleuiantur mense quarto, quoniam pars humoris, euacuatur per uomitum, & pars eius digeritur, & pars eius nutrit fœtum. Hæc ægritudo etiam accidit uiris, quãdo uenit huiusmodi humor ad orificia stomachi, Iam ergo remouetur in hoc, quod curatio eorum est cum mũdificatione illius humoris, scilicet cum uomitu & potu medicinę, soluentis illud quod est in stomacho & uentre, sicut solutio pilularum de Hiera, de aloë, & de speciebus, & confert etiam hoc medicamen.

*Modus decoctionis ad eum qui comedit lutum, & cuius corrumpitur stomachus, & cuius citrinatur color & in quo timetur hydropisis.*

REcipe calycum glandiũ drach. 8. aloës drach. 16. eupatorij drach. 6. radic. schœnosanthos drach. 4. mirrhæ drach. 2. terantur omnia, & decoquantur cum duabus lib. aquæ usq; ad medietatem, & detur in potu omni die pars tertia libræ.

*Alia decoctio ad appetitum luti.*

REcipe calycum glandiũ drach. 2. passul. mundatarum drach. 7. anisi drach. 3. myrobal. nig. belliricorũ, emblicorum añ. drach. 5. scoriæ ferri contritæ infusæ in aceto acuto, exiccatæ torrefactæ super patellam drach. 10. Decoquatur cum uini austeri drach. 8. & tantundem aquæ usq; ad medietatem, Coletur & detur ieiuno stomacho septem diebus.

*Medicamen incidens desiderium comedendi lutum.*

REcipe cardamomi maioris & minoris, cubebæ añ. partem unam, sacchari taberzed quantum de omnibus, & detur ex eo, ieiuno stomacho aur. 1. cum aqua tepida.

*Aliud.*

REcipe cymini, carui, ammeos añ. partem unam, detur ex eo mane, masticetur masticatione bona, & deglutiatur liquor eius, & confortetur, uesperi etiam sumere licet.

De Bupina, id est, uehementia sitis. Cap. XIII.

ACcidit quandoq; desiderium admirãdum bibendi aquam sublimis admirationis, quando est in crenis stomachi humor malus contentus, aut salsus, aut ex bile, aut ex ebullitione humiditatis in stomacho. Os enim stomachi facit accidere sitim, plus quàm reliqua membra, deinde uenter, gula, pulmo, epar, & ipsum intestinum ieiunum. Oportet autem studium & sollicitudinem in paucitate sitis esse, quum à siccitate stomachi oritur & locorum per quę ab ore ad stomachum humiditas defluit. Fiat autem præparatio per somnum. Homines uerò quidam sitiunt in somno, propter caliditatem comestorũ, Hij curantur potu aquæ frigidæ. Quidam autem desiderant potum rerum horribilium saporum, ex malicia complexionis uincentis, sicut qui desiderant cibos malos. Inquit, Galenus

*Historia.* uidi quosdam cecidisse in sitim continuam & mortui sunt in ea, quoniã ipsi comederunt uiperas sitim facientes, eoq; dipsadas appellatas, Quidam etiam ex messoribus infirmati sunt hac eadem infirmitate, quoniam ipsi bibe-

*Causæ sitis uariæ.* runt uinum in quo mortua est dispas uipera. Alij uerò biberunt uinum antiquum & inebriati sunt, Et alius, quoniam uoluit tollerare sitim, Alij, quoniam deficiente aqua in nauibus, bibebant aquam maris, & multo plus sitiebant cæteris, Quibusdam uerò propter uehementia pharmaca sumpta factæ sunt punctiones, & mortui sunt ante alios. Et cognoui uirũ cui accidit febris Causos, qui non abstinebat à potu aquę frigidæ, & febris augebat, & non saciatus est, sed moriebatur. Et ultimo, sitis fit aut ex caliditate, aut siccitate, ant ex utrisq; simul, aut propter humorem salsum, putridum qui coaceruatur in stomacho. Si ergo est ex caliditate, tunc sanatur cum rebus acetosis, sicut oxysacchara, quam Secaniabin de saccharo dicunt, & aqua granatorum acetosorum, & aqua prunorũ, rob de ribes, & quæ sunt illis similia. Si aũt ex siccitate, tunc est necesse ut administretur aqua frigida, &

*Pilulæ contra sitim.* aqua hordei, aqua cucurbitę, & psylliũ, & illis similia. Si uerò ex caliditate & siccitate simul, tunc curatio eius est aqua frigida, & aqua citrulli, lactucę, hordei, & cucurbitę, Et faciemus pilulas ex semine lactucæ, citrulli, portulacę, diatragachanto, glycyrrhiza. Demus ut sumãtur, & fricemus caput cum oleo rosa. cuius infrigidatione facta, infrigidentur etiam pedes eorum. Et est necesse ut fit infrigidatio amborum, Si aër est calidus cum aqua uehementis frigoris, & si est frigidus, tunc cum decoctione utrorunque.

Sciendum quoq; quod curatio sitis, quæ accidit ex siccitate gulæ, est somnus, & qui accidit ex caliditate, uigiliæ uel inquietudo. Quum uero ex caliditate cordis & pulmonis, attrahatur naribus aër frigidus. Si uero ex humore salso putrido in stomacho, sumatur potus aquę frigidę.

### *De malicia digestionis.* Cap. XIIII.

MAlicia digestionis non fit nisi aut ęgritudine in uirtute digestiua, aut ex errore foris accedente. Virtus autem digestiua non læditur nisi aut ex substantia sui ipsius, propter maliciam complexionis, aut ex quibusdam ægritudinibus instrumentarijs, sicut almesire, aut æstuatione, aut inflatione, sicut apostema phlegmaticū, seu phlegmone, & apostema melancholicum, & quæ sunt illis similia. Error uero qui est extra corpus, aut est propter superfluitates in stomacho, aut ex comestis, aut ex temporibus anni. Sciendū autem quod omnis malicia complexionis fortis dissoluit uirtutem. Si ergo est calida, corrumpit comesta, ita ut ex quibusdam eorū odoretur odor rancidus, aut lutosus, aut limosus, & ex quibusdam eorum odoratur odor fœtoris piscium, aut aliquid putrefactionis extraneæ horribilis. Et accidit illi qui hāc habet ęgritudinē sitis superflua, & si malicia digestionis est ex malicia complexionis frigidæ, tunc non fit sitis neq; febris, & remanet qualitas comestorum, ita ut non resoluatur, neq; alteretur penitus. Quod si imprimat in eis uirtus digestiua parū, accidit eructuatio acetosa, & causa eius est, aut frigiditas stomachi, aut phlegma retentū in eo, aut multitudo eius quod sumitur ex cibis, aut ex frigiditate eorum. Et ista omnia debilitant uirtutem innatam, sicut quando ponit quis super paruum ignem ligna multa, aut ligna humida, quamuis sint pauca, extinguitur. Si autem illud idem, quod comeditur, est paucę caliditatis, & est inflatiuum, tunc uenter repletur uentositatibus fumosis, & maliciam complexionis calidæ aut frigidæ, sequitur malicia digestionis. De proprietate uero humidę & siccę, non est, ut cum eis sit læsio stomachi, similiter, donec destruatur operatio eius absq; tempore longo, sed in huius humiditate accidit hydropisis. In siccitate autem, aut decrepita ętate, accidit marasmus, cuius proprietas est extenuatio cum siccitate. Et in omnibus istis ægritudinibus quæ accidūt in eo, scilicet officialibus, non prohibetur uirtus digestiua, nisi à cōplemento suæ operationis tantum. Et fortasse accidit malicia digestionis præter quod lædatur stomachus in aliquo, aut ex multitudine comestorū & bibitorū, & exitu eorum ab ęqualitate, aut propter qualitatē

eorum,aut ex hoc quod comeditur hora inconuenienti, aut propter exitum suum ab ordine,Aut propter uigilias uel inquietudinem. Verũtamen priuatio digestionis quando accidit ex malicia qualitatis suæ, non fit nisi cum corruptione,& similiter propter exitum eorum ab ordine & incõuenientia horæ. Est autem hora inconueniens,quando homo comedit citonia & granata,& postea utraq; condita cum oleo & garo,& quando comedit mane non præmisso aliquo exercitio. Corruptio autẽ quoniã quãdo comesta,sunt calida biliosa,tunc eructuatio est fumosa. Et si fuerint phlegmatica frigida,tunc eructuatio est decliuis ad acetositatem. Et similiter quando sunt in stomacho superfluitates similes istis,& simile huic administramus etiam in ęgritudinibus stomachi ipsius ad illud,Si quid alteratur ex comestis in stomacho,est fumositas,si autem accidit ex ipsa natura, tunc faciens hãc ægritudinem est caliditas,si uero acetosa,tunc frigiditas. Veruntamen nescio an causa sit ex malicia complexionis,aut ex humore malo retẽto in ore stomachi,ita ut demus infirmo cibaria cõtraria per naturam ipsorum ad illum modum corruptionis,& pręcipimus ei ut euomat ea. Et si alteratio est ad fumositatem,damus ei panem,aut chondrũ,aut cibum ex chondro seu tritico quem chondarusium dicunt. Si autem acetosa,damus mel. Quia si causa est malicia complexionis absque humore in uenis, panem & chondarusiũ,quando euacuantur cum uomitu incipiunt iam alterari quadã alteratione. Si est ex humore,uides eadem delibuta illo humore. Si autem ille humor est suspensus in rugis stomachi,tũc est necesse ut sequatur eum nausea,Nam si est calidus,sequitur eum sitis,& si est frigidus,sequitur desiderium cibi. Et oportet ut consideres an in epate sit læsio ex ægritudine,& quę sit species illius ægritudinis,& similiter etiã inquire de essentia splenis. Hactenus de corruptione eorum quę eduntur. Tarditas autẽ digestionis non fit,nisi quando cibus qui comeditur est difficilis concoctionis, multus in comparatione ad uirtutem stomachi, aut in comparatione ad somnum. Et quando destructio digestionis,est apparens manifesta,tunc scias quod uirtus digestiua,quę est in stomacho est debilis debilitate completa,propter multitudinem comestorum, & quia pertranseunt æqualitatem, aut propter uehementem frigiditatem. Si ergo corruptio uirtutis digestiuæ,est causa maliciæ digestionis,tunc oportet ut confortemus eam. Et si ægritudo est causa officialis,tunc quando curatur & sanatur redit uirtus digestiua. Et si malicia digestionis est ex comestis horribilibus, & nociuis, tunc necesse

*Labor cibum præcedat.*

necesse est ab eis prohiberi,& uti loco eorum,eis quæ sunt eis contraria. Et si est ex multitudine eorum,tunc necesse est ut minuamus eos.Et oportet ut intelligas illud etiam in reliquis ægritudinibus, quia in ordine eorum, oportet ut in primis administretur illud quod est uelocis digestionis,deinde post illud quod est confortatiuum. Et si est propter humores frigidos qui natant,ut phlegma, tunc oportet ut euacues eos per uomitũ, post comestionem raphani, & potum aquæ calidæ, in qua sunt anethum, sal,calamintha,& oxymel scylliticum. Et si humores sunt suspensi in rugis stomachi, euacuamus eos. Exhibendo pilulas de Hiera, & de aloë, & de speciebus. Post mundificationem,administramus quod rectificet maliciam complexionis frigidæ,sicut confectio diatrionpipereon, & confectionem de calamintha,& electuarium alcaudicon,diacyminum & diacitoniten.Et confert etiam syropus de absynthio, & post illum damus ad confortãdum stomachum,tripheram minorem cum mastiche,xiloaloë,trochiscis de rosis & charabe,& aniso cum miua. Si aũt humores sunt cholerici,acuti,tunc oportet ut mundificetur post uomitum , cum aqua calida, & aqua hordei cum oxymelite,& potu decoctionis myrobalanorũ citrinorũ, cum fumo terrę,& absynthio.Si aũt non sunt cholerici,acuti,& sunt crassi,tũc damus decoctionem absynthij solam,aut cum Hiera . Et si stomachus post euacuationẽ humoris cholerici indiget cõfortatione,damus ei lac uaccinũ,postquã decoquũtur in eo mẽtha,apium,cortices citri,& sisimbriũ,Deinde cõcutitur etiam mane bene, & extrahitur butyrũ ex lacte,& datur ex eo ut bibat secundum quantitatem uirtutis,& quantitatem digestionis cum tortellis & gallia, & xiloaloë crudo. Si autem cum paruitate digestionis,sunt solutio naturæ & descensus humoris cholerici, & sitis multa, damus electuarium diaspermaton, hoc est, ex seminibus ,aut sufuf, quod dicitur Micletæ,& est sufuf de granis granatorum cum syropo de citonijs puro.Si autem illud quod euacuatur cum uentris deiectione non est cholericum, & stomachus est frigidus , & est in eo sonitus, damus ei electuarium Alcansi cum aqua quæ currit ex aqua ferri. Et confert etiam hoc medicamen ad confortandum stomachum post euacuationem. Recipe granorum granatorum assatorum drachmas decem , radicis barbæ hircinæ ( quam Arabes Tharathith nominant)drachmas 5.galliæ,cardomomi añ.drach. 1.granorũ myrti,mastiches añ.drach.1.cyperi drach. 2. terantur & cribellent,& detur ex eo pondus drach. 2.ex medicinis cum syropo de citonijs.

 Si autem

Si autem cum lenitate naturæ sunt uentositas & uomitus, tunc confert hoc electuariũ ad solutionem naturæ cum uentositatibus & uomitu. Recipe granorum granatorũ acetosorum drach. 30. granorum myrti drach. 25. cyperi, calami aromatici, cymini, carui infusi in aceto, aut aqua agrestę, aut aqua sumach, torrefacti, gallię, tarathith, bdellij Arabici añ. drac. 15. gummi drach. 4. terantur & cribellentur crassæ, & dentur ex eo drach. 3. cum uino antiquo, aut miua.

*Aliud ad maliciam digestionis & confortat stomachum & stringit naturam.*

Recipe galliæ, masticheς, ammeos, zingiberis añ. drachmas 5. sumach drach. 10. granorum granatorum drach. 40. misce.

*De speciebus uomitus.* *Cap.* XV.

Vomitus fit aut secundum semitam crisis, aut absq; crisi. Et qui secundum semitam crisis fit, est aut laudabilis, quando est causa euasionis ab ægritudine, aut illaudabilis quando est e contrario illius. Qui autem est absq; crisi, aut ex multitudine comestionis, uel potus, aut ex fœtore ciborum & eorum rauciditate, aut ex superfluitatibus malis in stomacho, quando sunt cholericæ, aut acutæ, aut phlegmaticæ, aut frigidæ, aut melancholicæ, generatæ in stomacho ipso, nam ipsi sunt continui nocumenti. Ille aũt quæ accidunt ex superfluitatibus, quæ effundũtur ad ipsum ex membris alijs, non sunt continuę læsionis, sed quiescit stomachus in hora, donec aggregentur in eo. Vomitus uero qui secundum crisis semitam accidit, non est necesse ut abscindatur. Si autem multiplicatur, tũc oportet ut abscindamus ipsum, cum eo quod sit cõtrarium causæ, quæ fecit ipsum accidere, quia si est ex cholera citrina & natura est sicca, oportet in primis ut leniatur cum clysteri facto ex chamæmelo, uiolis siccis, hordeo excorticato, sebesten, althea, penidijs, saccharo rubeo, donec attrahatur materia inferius. Deinde damus in potu post illud aquam prunorum & tamarindorum. Et si natura est sicca, tunc damus syropum de malis purum, aut aquam agrestæ, aut rob granatorũ, aut rob cotoniorum, aut rob de ribes, aut rob de citris, & hanc decoctionem. Recipe granorum granatorum acetosorum drach. 20. masticheς drach. 1. decoquantur cum libra aquæ donec remaneat medietas eius, & coletur, & addatur ad ipsam xiloaloës crudi contriti drach. 1. & gallię bonę drach. 1. & demus ex ea in potu. Si ergo non abscinditur uomitus per hoc, tunc coquito corticem pistaceorum rubeorum, Da in potu ex eius decoctione cum pauca gallia. Quod si non

abscinditur

abſcinditur uomitus, da aquam extremitatũ cymarum uitium, ut maſticet. Et ſi nec hoc modo abſcinditur, & uirtus eſt fortis, phlebotoma uenam baſilicam titillarẽ, donec ſedetur acuitas cholerę, & ebullitio eius, & inflammatio ipſius, & quieſcat. Et confert ex cibis, ſi eſt febris, decoctio quę fit ex aqua ſumach cum coriandro humido & ſicco cum oleo abluto, & aqua agreſtæ, aqua acetoſitatis citri, & granatorum acetoſorum, confert etiam alſeruſcati, & eſt quod fit ex berberis. Si autem non eſt febris, decoquatur cum rebus, quas diximus, adurati. Et pone ſuper ſtomachum emplaſtrum, quod fit cum aqua citoniorum, & aqua malorum, pirorum, roſarum, myrti humidę, & almeſſuſen, roſis tritis, ſantalis albis, gallia, & ramich, ladano, xiloaloẽ crudo pauco, camphora, croco, & quę ſunt illis ſimilia. Quod ſi uomitus eſt ex phlegmate & non eſt multus, neq; continuus, donec lædat naturam, tunc eſt neceſſe ut mundificetur ſtomachus, ſi eſt phlegma retentum in interioribus eius, cum uomitu, poſt potum aquę calidę in qua decocta ſunt anethum, ſal, calamintha, cum oxymelite ſcyllitico. Si autem eſt adhærens ſuſpenſum in rugis ſtomachi, erit mundificatio cum potione Hieræ Picrę, aut pilulis de aloẽ, & de ſpeciebus. Et poſt mundificationem confortetur ſtomachus cum miua, & aqua malorum, cum uino antiquo, & rob granatorum facto cum melle mundo. Et confert hęc decoctio. Recipe granorum granatorũ drach. 30. menthę, ſiſymbrij an̄. bacchaten paruam, decoquantur cum 2. lib. aquę, donec remaneat medietas, & coletur, & addatur xiloaloẽs crudi & galliæ an̄. drach. s. Detur ut bibat ipſam ſemper. Alia: Recipe granorum granatorum acetoſorum, menthę, ſiſymbrij, foliorum citri recentiũ, & corticum eius, an̄. drach. 10. cymini, carui drach. 4. decoquantur & colentur, & adijciatur in ea pondus drach. 1. ramich bonę, & detur in potu mane & ſero. Et ſyropus de abſynthio, & eſt iuuatiuus ualde, quia cum mundificatione ſua confortat. Et confert etiam huiuſmodi diſpoſitioni, diamuſcum amarum, & electuarium de citonijs. Et cibetur de coctione facta ex aqua granatorum acetoſorum, aut granis eorum & coriandro ſicco, cyminoq; calamintha, & ruta, & ſpica, & gariophil. & cinnamomo. Et ponatur ſuper os ſtomachi ſemper emplaſtrum factum cum ſpeciebus calidis, ſicut gallia, calamus Aromaticus, ſpica, maſtiche, crocus, abſynthium, xiloaloẽs Aromatizatum, & gariophilli, alſeſumir, & eſt, Alkeil, uinum uetus odoriferum, & ſyropus de lilio, muſcus, & quæ ſunt illis ſimilia.

Curatio

*Curatio uomitus accidentis ex cholera nigra.*

VOmitus quidẽ qui accidit ex ea, si non multiplicatur eius nocumentum super naturam, non oportet ut abscindatur, & si multiplicatur oportet ut abscindatur, ita ut attrahat in primis inferius, cum clysteri, in quo sit acuitas parua, & ponatur super splen, & os stomachi exterius emplastrum factum ex meliloto, myrto, ladano, & usnea cum uino astringẽte, deinde detur in potu syropus factus ex aqua granatorum, in qua decocta est mentha, aut factus cum fructibus. Et ad ultimum, nos curamus unamquamque specierum uomitus ex bile nigra, secundum quantitatem materiei facientis ipsam accidere. Quæ autẽ est ex adustione bilis citrinę, curamus eam cum rebus, quas diximus, in capitulo uomitus ex bile citrina. Et similiter oportet ut regatur ille cui accidit ex adustione phlegmatis. Cum ergo abscinditur uomitus, oportet ut administrẽtur ea, quę securitatem faciunt ex aggregatione huius humoris in stomacho, dando in potu semper infirmo decoctiones factas ex myrobalanis nigris, & chebulis, & epithymo, & sale Indo, & agarico. Cum autem in splene etiam est aliqua ægritudo, administra phlebotomiam uenę basilicæ lienaris, ex manu sinistra & medicinas quæ rectificant splenem.

*De uomitu sanguinis.* Cap. XVI.

VOmitus sanguinis non fit nisi aut ex stomacho, aut ex epate, aut ex utrisque. Et egreditur sanguis ex ambobus, aut propter rupturã, aut propter corrosionem, aut eruptionem. Ruptura autem fit, aut ex causa intrinseca, aut extrinseca. Extrinseca est, sicut percussio, aut recalcitratio, aut suppuratio, aut carnis constrictio, aut casus, aut tensio, aut saltus, aut uociferatio. Intrinseca est, quando materia est multa, & uas in quo aggregatur est lene, subtile, aut ualde durum. Corrosio autem fit, aut propter superfluitatem acutam, aut ex humore salso, & nitroso. Eruptio uero fit, aut ex uehementia motus uirtutis expulsiuę, aut ex debilitate uirtutis retentiuę, orificiorum uasorum, aut ex multitudine eius, quę est in uenis. Istis ergo dispositionibus confert, in initio phlebotomia uenę basilicę, deinde quod retinet sanguinẽ, sicut trochisci facti ex charabe, aut usus trochiscorum prędictorum, in sputo sanguinis. Et illud quod abscidit sanguinem uehementer est, aqua arnoglossi, aut uirgę pastoris, aut cum bolo Armeno, & terra sigillata. Item aqua pluuialis, quando in ea infunduntur bolus Armenus, & spodiũ. Confert etiam & hoc pharmacũ ad sanguinis profluuiũ.

*Sistentia sanguinem.*

Medicamen ad uomitum sanguinis.

RECipe gummi Arabici drach.15.charabe,coralli,coriandri sicci,spo dij,ros.rub.seminum portulace,balaustiorum,succi barbæ hircinæ, amydi añ.drach.10.cornu ceruini adusti,& acatiæ ablute añ.drach.8.boli Armeni,terre sigillate añ.drach.7.aluminis Iameni drach.5.quidam addunt opij drach.2. Terantur & cribrentur, & dentur ex eo drach.5. cum aqua pluuię,aut cum aqua portulacę.Et sit cibus lens excorticata,decocta cum aqua agreste,aut aqua rhois,& balaustiorum,& ponantur super epar & stomachum emplastra infrigidantia,& stypticitatem facientia,quoniam abscindunt ascensionem sanguinis.

De Solutione uentris inordinata. Cap. XVII.

SOluitur uenter quandoq; uelociter, quandoq; tarde, quandoq; etiam impulsionibus multis in numero,& quandoq; impulsionibus diminutis numero.Et fortasse euacuatur cibus digestus,& fortasse euacuatur corruptus ex eo quod currit ad uentrem desuper,& ex eo quod generatur in ipso quandoq;. Aut euacuatio est supra consuetudinem, tunc est aut propter grauitatē multitudinis eius, quod recipitur super stomachū, aut quod stomachum mordicat acuitate sua,& uadit propter illud ad expellendū illud, Aut propter uiscositatem ciborū,& lubricitatē eorum,& proprie quando ambulat qui accipit illos successione susceptionis illorū,aut ex debilitate eorum,quoniam cibaria sunt diminuta à necessitate, sunt etiam superfluitates eorum diminutę,& si sint crassa,pontica tardantur in descensione. Et non est tarditas euacuationis superfluitatis, & antecessor eius, propter debilitatem stomachi, aut intestinorum tantum, sed propter debilitatem lacertorum,qui sunt super stomachum,& pectus.Et superfluitas est minor in comparatione quātitatis comestorum,quando illud quod ex eis aduenit ad membra,est additum super quantitatem,& est plus quantitate comestorum, Aut ex diminutione eius, quod aduenit ad membra corporis,aut propter illud quod currit desuper ad partes uentris. Et euacuationes quidem continuæ fiunt, aut propter debilitatem, aut ex mordicatione. Et nos quidem iam multotiens diximus,super debilitatem instrumentorum stomachi,quæ fit ex malicia complexionis. Mordicatio autem fit, aut ex uirtute uenenosa,quæ est in comestis,aut ex corruptione eorum, aut propter superfluitatem acutam quæ currit ad stomachum,aut generatur in eo, sicut accidit in excoriatione & ulceribus

malis,

malis, aut ex mollificatone lacertorum continentium anum, Accidit enim alui deiectio absq; uoluntate. Et † humectatur superfluitas supra quantitatē quando peruenit ad epar res parua ex humiditate ciborum, & ex siccitate ex contrario illius, & fit descēsus superfluitatis cum uirtute, aut propter multitudinem currentis ad stomachum & stimulantis eum super euacuationem. Aut propter debilitatem uirtutis retentiuæ, quę est in stomacho, aut ex uirtute illius expulsiuæ, quæ est in stomacho, & intestinis. Et fit contrarium illius ex causis quæ sunt contrariæ illis, & possibile est ut etiam retineatur ex frigiditate aëris.

† augmētatur.

### De Lubricitate uentriculi. Cap. XVIII.

STomachi lubricitas non est nisi ægritudo uentris, & intestinorum, qua accidit ut lubricent comesta uelociter, propter quod alterētur penitus, neq; qualitate sua, neq; ipsorum substantia. Fortasse enim accidit propter ulcera quæ sunt in facie uentris, & intestinorum, egressa ex humore cholerico acuto, & similia Aphthis, hoc est, pustulis quæ accidūt in oribus puerorum. Similiter quando transeunt comesta per loca in quibus sunt ulcera, tunc quando coartantur ex eis coguntur expellere ea, & uelociter, præter quod recipiant aliquid alterationis omnino. Et fortasse est propter debilitatem stomachi & intestinorum, quę accidit propter maliciam complexionis, sicut diximus ante, & malicia complexionis accidit per qualitatem simplicem, aut cum materia. Quando autem lubricitas intestinorum est ex ulceribus, tunc sentitur cum illo mordicatio. Et quando est ex debilitate, tunc euacuatio fit absq; mordicatione, quoniam descensus facientis ulcera, est cum superfluitate, Nam lubricitas intestinorum sanatur per comesta & bibita, facientia stypticitatem uelociter. Et si nō descendit, peruenit infirmus ad excoriationem intestinorum. Et quando est lubricitas intestinorum ex debilitate uirtutis, aut membra, quæ diximus, sunt suscipientia ægritudinem, tunc ipsa est dispositio mala, difficilis dissolutionis, Propter illud ergo fit quod perducit ad hydropem, quoniam in ea est aliquid retētum ex humoribus. Et non fit hydrops successione lubricitatis, id est, lienterię intestinorum, nisi quando accidit ut non alteretur cibus, neq; penetret, imo corrumpatur & humectetur, quare impletur uenter uelociter, quando non euacuatur. Et ex significationibus laudabilibus in lubricitate intestinorū, est oxyregmia, hoc est, acida eructatio, sicut testatur Hippocrates libro sexto Aphorismorum, primo. In longis leuitatibus intestinorum

norum si ructus accidus fiat, qui prius non erat, signum bonũ. Quod si ægritudo est ex malicia complexionis calidę cum materia ex cholera, damus infirmo aquam agrestę, & aquam malorum, & aquam granatorum acetosorum, & citoniorum acetosorum, & pirorum austerorum, & ex eis quę conferunt etiam sunt rob de citris, & rob de ribes, unumquodq; per se, & cum trochiscis de spodio, factis cum semine acetosę, Et post hæc detur eis, aqua cremoris hordei decocta cum milio. Et si elõgatur ægritudo, damus ei lac uaccinum, de quo extractum est butyrum, cum bolo Armeno, & terra sigillata, & spodio, & charabe, rosf. balaustijs, corticibus tharathith, & quæ sunt illis similia, & sit lactis uaccini quantitas librę medię, & ex medicinis drach. 5. Et fiat emplastrum stomacho, & mirach, & peritonęo cum emplastris infrigidantibus, stypticitatem facientibus, sicut citonia, & extremitates myrti, mala, rosæ, balaustię, gallę, santali, crocus, xiloaloës crudum, ramich, ladanum, & quę sunt illis similia. Et cibetur infirmus ex milio decocto cum oleo abluto & lentibus excorticatis decoctis cum aqua agrestæ, aut aqua rhois, aut aqua granatorum acetosorum, acetositate citri, & folijs citri, apio & coriandro sicco. Et si ęgritudo est ex malicia complexionis sola absq; materia, damus ei lac uaccinũ de quo extractu est butyrũ cum spodio, rosis, semine acetosę, & berberis. Cõfert etiam lac aprinum, quando decoquitur cum aqua pluuiali, donec cõsumatur aqua & permaneat lac, Et sit lactis selibra & aquę selibra, & esto lac caprillum. Secundũ modum alium. Sumitur lactis caprarum dulcis libra media, aquæ sumach rhoisue quarta librę & aquę agrestę, decoque ea cum lapidibus calefactis, aut ferro ignito, donec depereat ex eo medietas, & coletur, & misceatur cum eo aqua granatorum acetosorum unc. 3. & detur. Et emplastretur stomachus & uenter cum emplastro ex lenticula, & rasura cucurbitę, farina hordei, balaustijs, rosis, gallis, & quę sunt illis similia. Et dentur in hora somni aquę agrestæ unc. 3. cum unc. 1. rob citoniorum cum psyllio, & semine acetosæ torrefacto, gummi, bolo Armeno, & spodio. Omnia quæ conferunt ad excoriationem, conferunt etiam huic ægritudini. Si autem ægritudo est ex phlegmate aggregato in stomacho & intestinis, confert ei uomitus post comestionem raphani & reliquorum cibariorum. Et administrentur res calefactiuæ, subtiliatiuæ cum theriaca & mythridato, & omorusia cum uino antiquo odorifero. Confert etiam syropus de absynthio, & calidicon, & miua, & oxymel scylliticum, & electuarium Alcanzi. Stomachus

quoque emplaſtretur cum emplaſtro ex ladano, cipero, maſtiche, ſquinanto, calamo Aromatico, gallia, xiloaloē, nuce moſchatę, gariophillis, aniſo, aqua myrti, ſambuchi, ſumach, & ſyropo de lilio, & quæ ſunt illis ſimilia. Et cibabis illū caule canabit appellata, & paruis auibus decoctis cum aceto & apio, & corticibus citri, & ſiſymbrio. Et ſi eſt lubricitas inteſtinorū ex debilitate uirtutis retentiuæ, quę eſt in ſtomacho, aut inteſtinis, tūc confortamus debilitatem eius cum eo quod ſtringit. Et damus ex medicamine facto ex gallia & ramich, & calamo Aromatico, cipero, maſtiche, ſemine apij, cymino, carui infuſo in aceto, & ſemine myrti, gallis, balauſtijs, & granis granatorum. Et damus ex eo drach. 3. cum miua. Et ſi neceſſitas exigit damus electuariū cum aqua ramni humidi, aut medicamen factū cum ſumach, quando bibitur cum aqua xylocaractę humidę, aut tragemate ex granis granatorum, cum rob de citonijs puro, & electuarium de citonijs, aut electuarium alcanzi, quando bibitur unumquodq; eorum cum rob de myrto. Et conferūt etiam trochiſci de balauſtijs, & trochiſci facti cum barba hirci, & ponātur exterius aqua myrti, roſarū, almeſuſen, citonia, & pira, contrita bene cum gallia & Ramich, xyloaloē, croco, & gallis, roſis contritis, balauſtijs, calamo Aromatico, cyperi, & deireti, & uinum ponticum. Confert etiam emplaſtrum factum de abſynthio. Et iſte eſt modus.

*Linimentum ad diarrhœam & ſolutionem uentris.*

REcipe abſynthij Romani unc. 1. & infundatur in uino auſtero, per noctem, & miſceatur cum eo mane ſuccus foliorum myrti, ladanum, Ramich, & ſubmergatur in eo pannus lini, & ſubfumigetur cum xiloaloē Aromatizato. Et ponatur ſuper ſtomachū & uiſcera, poſtquam linueris ea cum hoc linimento. Recipe thuris, maſtiches, acatię, aluminis Iameni, aloēs, apij, corticū radicis mandragoræ, ſeminis hyoſcyami an̄. drach. 4. ſauich, hordei, roſarum ſiccarum, rhois, galliæ, balauſtiæ, ſucci barbę hircinę, gallarum uiridium, memithę, lycij an̄. drach. 1. Terantur bene, & cōficiantur cum aceto, & aqua myrti recētis. Et ſi non eſt caliditas, line mirach, cum uino & meſuſen, & line illud ſuper mirach totum, & retro ſuper ſtricturam dorſi, & dimitte donec cadat per ſeipſum. Et ex eis quæ conferunt etiam eſt emplaſtrum factum ex ſungo arboris. Et accipe emplaſtra, quę conueniunt huic morbo, ex eis, quæ dicemus in lib. ultimo. De cibis autē damus ea quæ ſtringunt, & ſtypticitatē faciunt, ſicut lentes excorticatę decoctę cum

aqua agrestæ, aut cum aqua citoniorum & malorum acetosorum cum ger minæ palmæ sylvestris, aut milium cum oleo omphacino, aut acetosa mollita, aut decoctio facta cum passulis & granis granatorũ. Et si non est febris, decoquemus ei coturnices & pullos cum rebus prædictis. Confert etiam usus coturnicis farcitæ, cum cymino, caruo, rhoi, granis granatorum, & apio, & ruta, & coriandro sicco, & quæ sunt illis similia, & decoquant cum aceto. Et confert oryza decocta cum oleo. Et pulverizetur super ipsum sumach; & si forte grave sit infirmo comedere eiusmodi, dabis ei tortellas tritas absque saccharo, & sauich granorum granatorum, & sauich de mespilis; & sauich de nabac. Et da in potu rob de citonijs purum, & rob de myrtho, & rob de ribes purum, & rob de agresta purum. Et confert etiam bibere syropum de fructibus, factum ex citonijs, piris, & malis, & zahahur, & nabac, & mespilis, & granis myrti, & sumach.

## De Cholera. Cap. XIX.

CHolera est hæsitatio comestorum quæ non digeruntur. Horum autem comestorũ quæ non digeruntur, aliqua moventur sursum, aliqua vero ad inferiora. Et in huius ęgritudinis initio facilis est tolerãtia, donec quando evacuantur comesta, quæ corrupta sunt, in fine autem fit fortior dolor, quoniam mordicatio accidit in stomacho, & intestinis, & læduntur, & sunt dolores proprie in stomacho & dolent intestina coniuncta cum eo, per communitatem, & evacuantur comesta, quæ corrũpuntur, & sunt acetosa & corrupta, & in eis est amaritudo parva, donec ipsa mordicant gulam per vomitum quem faciunt accidere, & mordicatur intestinum rectum, per evacuationem. Quum ergo evacuantur comesta, sequuntur evacuationes aquosę, puræ & cholericæ, & accidunt inquietudo, angustia, nausea, & fortasse extenuat corpus, & evacuat cum eo quod similatur loturę carnis. Et odoratur ex eo odor azemnati, & cum hac extenuatione pulsus mollificatur necessario. Et submerguntur tempora, & minuitur nasus, & permutatur pulchritudo faciei totius, ad dispositiones mortis, & infrigidantur manus & pedes, & accidit sudor frigidus & spasmus in manibus & cruribus, & accidunt eis omnia quæ accidunt eis super quos multiplicatur medicamen solutivum. Et hæc ægritudo est acuta, & non habet intermissionem, imo appetit iuvamentum medici periti & prudentis,

quem non terrent accidentia mala quę apparent ex eo, quia omne quod sumitur, expellitur uomitu. Et sitis in hac ęgritudine est accidens difficile, & non est possibile ut detur ex potibus quantitas ad necessitatem sitis, ut sedetur, quoniam quod bibitur expellitur uomitu. Accidunt et uigilię. Si uero dormit infirmus, iuuamento multo iuuatur, et resoluitur ægritudo tota. Hæc quidem ægritudo plurimum accidit infantibus. Viris autem decrepitis si eueniat, peruenit cum eis ad uehementiam, & proprie illis quorum lacerti sunt crassi humidi, & cooperit eos rubedo, quia proprie illi sunt inclinati ad extenuationem & liquefactionem carnis. Et plurimum quidem accidit cholerica passio in æstate. In autumno uero est ualde mala, Hyeme uero raro accidit. Quæ uero fit ex corruptione digestionis, uice una post aliam est bonę dispositionis, illa autem quæ accidit post priuationem digestionis, est multum difficilis, & proprie super illum cui accidit raro. Et quando cholerica quidem passio est ex cibis non digestis, sicut diximus, oportet ut uomitu, quod corruptum est, expellatur. Et fortasse natura mouetur ad uomitum donec abstergitur os stomachi, quia hoc est iuuatiuum, resoluitur etiam punctio & mordicatio, & propter remotionem causæ, quę facit accidere ægritudinem, quoniam res extranea quæ generatur ex cibo, qui corrumpitur facit accidere uomitum, sicut medicina quę datur ad uomitū & attrahit à corpore. Propter illud ergo totus uomitus fit per uomitionem, sicut illi qui bibunt elleborum, si bibant aquam in qua decoctū est baurach, & sedatur uomitus eorum, quoniam uirtus quæ attrahit res quæ egrediuntur in uomitu, abluitur & egreditur, & sufficit dare in potu istis aquam calidam multum. Quando autem euacuatur cibus qui corruptus est, oportet ut abscindatur, & cognoscitur hoc in quantum illud, quod euacuatur est uiscosum, cholericum, & stomachus spasmatur, & extenuatur corpus, & minoratur pulsus, & est consequens non secundum æqualitatem, & propter illud oportet ut cooperiatur uenter & calefiat propter dolorem, & propter oppressionem. Et inungantur etiam lacerti, & ponatur super uentrem emplastrum quod sumitur ex citonijs & cabs. Et misceantur cum eo flores uitis, & barba hyrci, acatia, sumach, balaustia, cortices granatorum, sauich hordei, & detur in potu aqua granatorum acetosorum, & aqua citoniorum, pirorum ponticorum, & malorum. Et si desiderant aquam, da eis ex aqua frigida quantitatem uncię unius & semis, postquam infunduntur in eo flores uitis, aut rosę recentes, & spodium

paucum

paucum, aut tortellæ, aut sauich de granis granatorum cum aqua menthę & gallia. Et cura ut dormiat infirmus post potum horum prædictorum in domo temperati luminis & aëris. Et si das aliquid frigidum, tunc da ex eo parum, ita ut non lædat stomachum & uirtutes naturales, & si expectant, aquam calidam, iuuantur plus. Quod si ægritudo est ex illis, quæ non resoluuntur, & pulsus spargitur & magnificatur frigus & multiplicatur sudor & singultus, & damus ei ex uino quod est forte, ponticum, odoriferum, delectabile parum, cum aqua de citonijs & medullis panis, Et si est possibile sorbeat illud calidum paulatim. Et si lædit eos sitis, da eis in potu farinā ptisanæ hordei cum aqua granatorum, & si uomitus non cessat, tunc oportet ut ponas in primis in inferiore parte uentris super sumen uētosas, si autem non morantur super uentrem ipsum, tunc pone eos inter duas spatulas. Et præcipe infirmo, uētosis adhuc appositis, ut dormiat, cura tamen ne locus incalescat, muta ergo ipsas donec euentetur locus ex obduratione aëris. Et quando cibus diu moratur in stomacho, mollifica attractionem uentosarū paulatim. Nam si huiusmodi solutio est iuuatiua, scilicet, Roratio aquę, si cogimur peruenire ad eam, & iacere, & res delectabilis, quæ attrahit somnum super lectos, & loco dormiendi si est illud ex eis quæ delectant infirmum, & compressio delectabilis, & olfactus rosarum, & myrti, & uini, & mala citonia, & pira, & emplastra somnum conciliantia. Quod si fortior fiat solutio naturæ, tunc permisce amydum torrefactum cum decoctione papaueris & galliæ. Spasmū autem qui accidit in manibus & pedibus, & cruribus, oportet placare cum pannis quos submergis in lacte calido, & pone eos super lacertos in quibus est spasmus, & line eos etiam cum ceroto humido. Læduntur etiam à spasmo lacerti duarum mandibularum, tunc linias eos oleo calido. Quod si infirmus abhorret cibaria, adeò ut ipse non acciipiat etiam sauich, tunc oportet ut des eis fructus quos masticet, & elige ex eis illos, qui sunt austeriores & minoris aquositatis, sicut sunt mala acetosa, & mespila, & zaharur, & citonia, & pira, & uua appensa, & quæ seruantur cum succis uuæ, & masticent cum eis etiam ramos eius, & si comedunt ex eis, quę diximus, non debet eis prohiberi. Et quando confortantur parumper, lauētur die tertio, & similiter paulatim eos cibemus, donec redeant ad consuetudinem.

De Diarrhœa. Cap. XX.

DIarrhœa accidit quando in corpore eſt repletio multa, adeò, donec quando homo cibatur, & nõ digeritur cibus in ſtomacho & inteſtinis ſicut oportet. Et non eſt poſſibile ut penetret ad membra corporis propter repletionem, quam diximus, quapropter quãdo eſt multitudo humiditatis, expellit ad inferiora, & repletio quę eſt in corpore, finitur per reſolutionem. Et hęc quidem ægritudo recipit curationem ſtatim. Verũtamẽ uomitus etiam proprie naturalis ſanat diarrhœam chronicam, ſicut inquit Hippocrates ille ſenex: Quibuſcunq; in diarrhœa diuturnę uomitus ſpontaneus ſuperuenit, diarrhœa recedit.

De ſolutione uentris quum materia à cerebro defluit. Cap. XXI.

ET hæc eſt materia alia quę effunditur ad cõcauitatem uentris, quã multi medicorum modernorum non cognoſcunt, & eſt illa quam dicemus, Nunc deſcendunt enim ex interiore parte cerebri rami, ad mundificandas ſuperfluitates cerebri, Nam ex eis ſunt, quę deſcendunt ad duas nares, & ex eis ſunt, quę deſcendit ad epiglottida. Dum ergo cerebrum permanet ſanum, tunc ſuperfluitates quę generantur in eo ſunt paucę, & non ſentitur earum euacuatio. Cum ergo læditur, generantur in eo ſuperfluitates multę, quandoq; deſcendunt ad nares, & quandoq; ad epiglottida, & ex epiglottide fortaſſe ad pectus & ad pulmonem. Et de inde ad ſtomachum & uentrem, & ex eis utriſq; ad inteſtina, & humectatur ſuperfluitas & diſſoluit uirtutem in ſpacio temporis. Et ſi hęc ægritudo generat ægritudinem phthiſis, peruenit cum eis ad mortem, & curatiões huius ægritudinis ſunt, ut non currat ex capite aliquid ſimile huic.

De ſolutione uentris ex effuſione materiei, aut ex ulceribus inteſtinorum. Cap. XXII.

ET hæc eſt materia alia quæ dicitur materia effuſa, ad concauitatem uentris, & ipſa prolongatur, & non ſequitur eam febris neceſſario, neq; deſcendit in eis utriſq; res multa, ſed parua, ſubtilis, cholerica. Et non accidit in die multotiens, extenuatio autem & reliqua accidẽtia quę ſequuntur ſolutionem naturę, ſunt contraria reliquis iſtis ægritudinibus. Et uidetur quod huic ægritudini ſunt duę cauſę, quarum una eſt ex corruptione humorum qui ſunt in corpore, ita quod nõ eſt poſſibile ut nutriant

corpus,ſed redeunt & currunt ad uentrem & inteſtina ſecundum aſſiduationem paulatim. Altera cauſa, ſunt ulcera, quę ſunt in uentre & inteſtinis, ſicut ulcera quæ accidunt ori puerorum multotiens, & dicuntur Alchola Arabice. Et differentia inter hanc ægritudinem & inter Tegma eſt, quod cauſa huius ægritudinis eſt, in inteſtinis, & cauſa Tegmatis eſt multitudo comeſtorum, & corruptio eorum, propter illud ergo eſt hæc ægritudo longa, & Tegma acutum. Eſt ergo neceſſe in hac ægritudine ut rectificetur corruptio humorum, & curentur ulcera inteſtinorum, ita ut mundificemus ea cum aqua mellis, & quę ſunt eis ſimilia, deinde faciemus ea cum rebus exiccantibus.

*De Exuberatione uentris.* *Cap.* XXIII.

ET eſt ſolutio uentris accidens inteſtinis ſecundum ſemitam reſolutionis ſtomachi, & hæc eſt materia alia quæ effunditur & dicitur exuberatio uentris, & eſt ægritudo faciens paroxyſmum in diebus æqualis numeri, & deſcendit ex ea & punctio non ſanatur duobus diebus aut tribus, deinde ſtat & euacuatur, ſicut uentres ſanorum diebus multis, & plures ſcilicet uiginti, deinde facit paroxyſmum materia quæ effunditur ex capite ſecundum illam formam. Et cauſa huius ægritudinis eſt hæc, quoniam totum eius quod penetrat non finitur in nutritione corporis, neque in euacuationibus aſſiduis, quæ eueniunt ei, accidit ut aggregentur in eo ſuperfluitates & repleantur alauid, & hęc ipſa ſuperfluitas ubicunque ut aggregetur in corpore, expellitur & peruenit ad euacuationem. Dum ergo permanet habens hanc ægritudinem, ſtans ſecundum hoc regimen, & non curatur uomitu, neque euacuationibus alijs, ſunt horæ ęquales, quia aggregatio ſuperfluitatis eſt ex comeſtis æqualibus, & quantitas euacuationis æqualis in tempore æquali. Quod ſi in regimine & euacuatione ſit mutatio, tunc accidit ut abbreuietur ſpacium, aut prolongetur ſecundum quantitatem declinationis fœtoris rei, quæ mutatur uelocitate repletionis corporis, aut tarditate eius.

*De materia longo tempore ad cauum uentris meante, & ſolutionem chronicam faciente.* *Cap.* XXIIII.

ET hęc eſt ęgritudo alia ſtomachi longa, & fit quādo homo comedit ad ſacietatē uſq;, & digerit̄ cibus eius digeſtione integra, minuit̄ caro eius, & debilitat̄ uirtus eius de die in diē, & ſtomachus eius eua-

cuatᵗ, quãtitate eius qua nutritur, aut diminutione parua, quoniã orificia instrumentorũ quę descendũt ad stomachũ & intestina, corrũpuntur aliqua specierũ apostematis melancholici, propter illud ergo non est possibile cibum penetrare in corpus, quãuis compleatur eius digestio, Sed penetrat cum uino tantũ, comesta uerò euacuantᵗ inferius. Est ergo necesse tunc, ut dentur infirmo cibi, de quorũ proprietate est aperire orificia instrumẽtorum, si est oppilatio in intestinis, quę sunt superius. Si autem est in intestinis inferioribus, tunc nos curamus ea cum clysteri acuto, pręter quod remaneatur extenuatio corporis. Quod si curationem cõpleuerimus, post paululum confortetur corpus & uescatur.

*De alia affectione uentris concauitatem infestante, & solutionem inducente.* Cap. XXV.

INuenimus ægritudinem aliam, quæ est in intestinis, quam infirmus sentit sub peritonęo, siúe mirach eius ex uisceribus, quia est frigidũ & procul dubio non calidum, inflaturq́ue uenter eius, & descendit fex eius paulatim, & post laborem, & quandoque descendit cum eo frustum phlegmatis simile muco. Et causa eius est generatio phlegmatis in intestinis absque ægritudinibus. Et clyster in hac ęgritudine est iuuamẽtum magnum, quoniam abstergit & incidit phlegma, & mutat complexionem intestinorum, ita ut non generetur phlegma in eis post hęc amplius.

*De Exulceratione intestinorum seu Dysenteria.* Cap. XXVI.

EXcoriatio accidit quando currit uirus acutum ad intestina ex uisceribus quæ sunt supra ea. Et hęc quidem currit, aut propter humorem malũ in corpore, quando confortatur natura & expellit, quod commixtum est cum sanguine ex chimis extraneis; aut propter debilitatem uirtutis, facientis sanguinem, quæ est in epate, aut propter phlegmonem in epate ipso, aut propter illud quod currit & liquefit ex corpore & resudat ad ista membra, scilicet, intestina. Et fortasse rumpuntur in intestinis etiam uenæ, propter multitudinem sanguinis, sicut uenæ hæmorrhoides, Et differentia quidem inter excoriationem, & inter hæmorrhoidas est, quod in hæmorrhoidibus, non aperiuntur nisi uenę quę sunt in ano, & quę sunt in rotunditate intestinorum, aut in intestino recto, uersus caput eius superius. Et dicitur hæc quidem, quæ fit ex debilitate epatis, excoriatio sanguinea. Notabis autem unamquanque harum ægritudinum, quando consideras quantitatem corporis ipsius, quia si uincit in corpore humor malus,

& separatur

& separatur ab euacuatione naturali, & sentit mordicationem quandam, & præcedunt ex ea in principio euacuationes horribiles, tūc propter humorem malum, est excoriatio hæc. Et si incipit cum cholera citrina, tunc malicia eius est resolubilis, & uehementia eius est minor. Et si incipit cum cholera nigra, tunc non est sanationis spes, testante Hippocrate, Aphorismorum libro septimo, his uerbis: Exulceratio ex bile atra letalis. Quoniam est cum cancro in intestinis, Et in excoriatione, quę accidit ex effusione corporis euacuatur ex eo uirus diuersorum colorum, & substantiæ & odoris, & quod euacuatur est fœtidum ualde, & est simile in substantia sua pinguedini liquefactæ in olla, & non est aquosum, neq; ęquale, neq; in eo est crassitudo, imò in eo est totū æquale ad inuicem simile. Et quando prolongatur ægritudo, fit substantia eius propter adustionem, sicut substantia fecis uini. Febris autem hectica, quę est cum phthisi sequitur illum qui est in hac ægritudine, & non sentit forsitan eam. Quum ergo mutatur substātia effusionum, & color earum & ipsarum odor ad naturalem, Tunc manifestum est, quod ægritudo iam declinat, & minuitur. Et plures etiam quibus aduenit excoriatio ex apostemate epatis euadunt, quibus autem aduenit ex debilitate epatis, non euadūt. Inquit Gal. Ego cognoui multos ex illis qui infirmati sunt, ex hac ægritudine mortuos fuisse, paruitate cognitionis medicorū, de rebus quibus est necesse ut medicentur, quia propter acuitatē eius, quod euacuatur cum eo, fortasse euacuat̃ cum eares oleagina. Quū ergo extēditur tempus, euacuant̃ etiam frusta subtilia intestinorū. Propter illud ergo, quū medici curant illud, curatione eius, in cuius intestinis sunt ulcera tantū, & redeūt à curatiōe epatis, tūc ipsi sunt causa mortis. Et quandoquidē plures medicorū non possunt discernere ægritudines, ꝓpter quas fit per aluū deiectio sanguinis, tūc oportet ut denudemus sermonē in illo. Dico ergo qđ sanguis, qui euacuat̃ ex hæmorrhoidibus apparētibus, non deperit apud infirmū ipsum. Et sanguis qui descēdit desuper, fortasse descēdit in inceptione subito. Et fortasse pręcedit ipsum euacuatio cholerę, de cōsuetudine cuius est, ut accidat secundum plurimum, & euacuatio rei alterius ex ueneno, quod mordicat, & abradit. Si autem est descensio sanguinis multi subito, præter quod pręcedit ipsum euacuatio sicuti heic, tunc scias quod aliquod instrumentorum iam corruptum est per semitam studij naturæ, quod ipsa expellat quod grauat super eam, quia motus huius euacuationis sanguinis est uehemēs, & quiescit uelociter. Et cū hoc etiam non destruit̃ uehementia appetitus infirmi, sicut consueuit accidere quando euacuatio sanguinis etiam

*Historia.*

etiam ex debilitate epatis fit. Et fortaſſe accidit raro euacuatio huius ab initio ægritudinis epatis, & ſecundum plurimum euacuatur in inceptione ægritudinis epatis uirus ſubtile, ſimile ablutioni animalis nuper admodum decollati. Et fortaſſe accidit in initio ægritudinis epatis, ut accidat euacuatio ſubito, quando aggregatur repletio in corpore, cum debilitate pauca in epate. Et poſt initium ægritudinis, conſequitur infirmum deſtructio appetitus ex toto. Quandoq; enim euacuatur ſanguis bonus in colore, & ſubſtantia non multus, & quandoq; cum cholera citrina, & Curati animalis pinguedinis inteſtinorum, deinde poſt hoc etiam euacuantur, ſicut fex ſanguinis, quando epar eſt malæ diſpoſitionis in hora ſua, & poſt cum euacuationibus proprie, quando cum eis eſt cholera, euacuatur aliquid ex partibus inteſtinorum, & ſunt ea quæ dicuntur alcothotar, quoniam ex acuitate eius quod euacuatur abraduntur feces inteſtinorum intrinſecæ. Quum ergo abraduntur partes magnæ ex huiuſmodi inteſtinis, & egrediuntur, donec ſit poſſibile homini nominare eas carnem, tunc ægritudo eſt mortalis, ſicut, inquit, Hippocrates: Quoniã non eſt poſſibile ut naſcatur caro in huiuſce ulceribus, neq; ut conſolidetur. Et cognoſcitur excoriatio alia, quę nominatur ſanguinea, ex hoc quod euacuatur ſanguis abſq; dolore, & ex hoc euacuatur à principio uſq; ad ſtatum ſanguis ſolus. Si autem euacuatur in principio cholera, deinde poſt illud incipiunt inteſtina & chorata eorum, deinde ſanguis, & in fine ſanies, tunc eſt excoriatio ex bile, quia bilis quãdo deſcendit ad inteſtina, tunc ipſa in principio pertrãſit, & euacuatur tãtum. Quum ergo extenditur tempus in tranſitu eius, abradit pinguedinem inteſtinorum, deinde tangit cholera ſubſtantiam inteſtinorum ipſorum, & excoriat ea, propter illud ergo euacuatur ſanguis paulatim, & aliquid ex partibus inteſtinorum. Et in fine, quando colligit ulcus ſaniem, euacuatur ſanies. Et iterum, ſi eſt euacuatio ſanguinis cum reuolutionibus, tunc excoriatio eſt ſanguinea. Et ſi extenuatur corpus totum, & non nutritur, tunc eſt excoriatio ſanguinea, & ſi non extenuatur, tunc eſt excoriatio cholerica. Et ſi ſentit infirmus dolorem in epate, tunc eſt ſanguinea. Et ſi autem in inteſtinis, tunc eſt cholerica. Et quoniam diſſenteria, ſcilicet, ulcus eſt in inteſtinis gracilibus & craſſis, Oportet ut ſcias, differentiam inter illam quę eſt in craſſis. Quia apparens manifeſtum, ex ſubſtantia eius quod euacuatur ſcitur, & ex hora euacuationis ex diſpoſitione commixtionis eorum. Vnde ex ſubſtantia quidem eius quod euacuatur taliter, oportet ut ſit po-

*Diſcrimen inter ulcus craſſorũ & tenuium inteſtinorum.*

ſitum:

situm: Si euacuatur aliquid ex leni, tunc necesse est, ut cōsideres hoc, Nam si est magnum multum, tunc est ex intestinis crassis. Et si est minutum, tunc est ex intestinis gracilibus. Hora autem euacuationis suæ est, quod sentit aliquid doloris in umbilico, & statim euacuantur superfluitates, quæ faciūt accidere dolorem, tunc dolor est in intestinis inferioribus, & si euacuantur post spacium longum, tunc dolor est in superioribus. Ex parte uerò permixtionis eorum est, quia si sanguis est permixtus cum choratiti intestinorum, & quod excoriatur ex eis est commixtū cum fece permixtione decenti, tunc ulcus est ex intestinis superioribus, quoniā permiscentur longitudine uiarum suarum, quod si non est hic permixtum cum fece, tunc est ulcus in intestinis superioribus. Et iterū si descendit cum cortice de pinguedine aliquid, tunc ulcus est in intestinis crassis, & si non est in ea aliquid de illo, tunc est in intestinis gracilibus, quia in intestinis gracilibus, propter superfluitatem caliditatis locorum suorum pinguedo pauca, & illud est propter propinquitatem suam cum epate. In inferioribus autem propter humiditatem suā coagulatur pinguedo plus. Et si sentitur inferius, tunc est in crassis. Et est necesse ut consideramus: Nam si est aliquid adhuc quod currat ad intestina, abscindamus causam eius. Si enim est causa eius malicia complexiōis, in reliquo corpore, euacuamus in primis hoc. Et si apostema iecoris est causa, aut in quibusdā uisceribus reliquis, oportet ut curemus illud cum rebus quę conferunt. Et similiter si est in epate debilitas, & propter illud descendit uirtus ad intestina, est studium nostrum de epate ipso cum rectificatione maliciæ complexionis, facientis euenire illud, oportet ut abscindimus illud, quod effunditur & resudat, & currit ex corpore, per destructionem causę facientis illud. Quū ergo abscinditur, quod currebat totaliter, tunc oportet ut redeamus ad curationem ulcerum quæ sunt in intestinis. Incipiamus ergo ut prohibeamus infirmum, si possibile est à cibo duobus diebus, aut plus, secundum quantitatem uirtutis. Et si febris dimittit, tunc per tres dies aut quatuor administramus lac decoctum, quia est medicamē conueniens ad excoriationem, & reliquas materias calidas, quæ sunt in concauitate uentris. Et oportet ut decoquamus ipsum ita ut proijciamus in ipsum lapides ignitos, donec consumatur multitudo aquositatis, quæ in ipso existit. Et melius lapidibus sunt, frusta ferri igniti, quum proijciuntur in lac, quia in ferro est qualitas faciens stypticitatem, cōfortans. Et oportet post illud, ut detur eis panis infusus aqua granatorum acetosorum, dein

sorbitio

forbitio spissa facta cum lacte, est enim cibus iuuatiuus & medicamentũ ma
*Astringentiũ tres species.* gnum. Si autem remanet materia, quę effunditur, redi ad res constringen-
tes. Et earum species sunt tres, quia, ex eis sunt quæ faciunt illud, ita quod
stringunt, & ingrossant humiditatem quę currit ex eis, per hoc quod sty-
pticitatem faciunt, & repercutiunt, & stringunt corpora aperta, supra quã
necessarium est. Et ex eis, per hoc quod exiccant, quia, sorbitio spissa facta
ex candarusio nutrit quantitate necessitatis, & stringit, & incrassat. Et opor
tet ut hęc accipiantur cum adipibus gallinis, & anseris loco alicuius olei, &
melior istis est adeps caprarum, melior uerò est adeps hirci, quia in eo est
uirtus exiccatiua. Et plus iuuamenti est in sorbitione, quæ fit cum milio &
pulverizatur super eam gummi torrefactum. Confert etiam sorbitio facta
ex ptisana hordei, & similiter quę fit ex decoctione papaueris albi, cum mo
dico amyli torrefacti. Et secundũ hanc semitã sorbitio, facta ex farre, quod
Arabes Adhorati nominãt. Et modus faciendi eam est, ut sumatur sumach,
& fundatur in aqua pluuiali die ac nocte, deinde exprimatur expressiõe ue-
hemẽti, & proijciatur in hanc aquam far seu adhorati, & dimittatur donec
humectetur. Deinde frica eam palmis tuis fricatione uehementi, donec re
soluatur ex ea aliquid expressione, deinde cola expressionẽ & remoue ab
ea crassum milij, & decoque expressionem, & commoue eam cum ligno
anethi, Nã ipsa inspissatur uelociter, donec sit sicut glutinum, Deinde cum
sale pauco torrefacto & oleo, aut pinguedine, est enim delectabilis. Et fit sor
*† Panno.* bitio iuuatiua ex † panerico sicco, qui in panem in Alexandria conficitur,
fortasse enim fit cum aceto permixto. Et fortasse fit cum infusione xilocara
cte, aut cum decoctione Alcalb, aut cum aqua rhois. Et oportet ut deco-
quantur cum omni sorbitione ex istis citonia, mespila, & alzaharor, & pi-
ra, & fortasse miscetur cum eis eliquid ex cęra. Si autẽ non est febris, opor-
tet, ut decoquat cum sorbitione facta cum oriza. Et ex his quę constringũt
etiã est lens, quę decoquet bis, & decoquet cum ea etiam arnoglossum, &
condit cum Ægyptio aceto cum oleo pauco. Et sit cibus ex tritico qui de-
coquatur cum portulaca, & conferũt etiam ex oleribus alijs acetosa, & cau
les qui decoquuntur bis. In carnibus quidem non est magnum iuuamentũ.
Si autem ægritudo prolongatur, administra eas necessario, & elige carnes
syluestres præ carne alia, & carnes uolatilium elige supra carnes ambulan-
tium, quæ uerò in aquis ambulant, postponenda sunt. Et in omnibus his eli
ge eas quę sunt leues, uelocis dissolutiõis, similiter & lenes, & in quibus est

aliquid

aliquid ſtypticitatis,ſicut caro coturnicis,perdicis,turturis,& ex illis quæ ſunt inter aues,& caro leporum,gazelorum,ceruorũ, arietum campeſtrium, inter ambulantia ,ſicut alhezige & alſeibat, inter piſces, & elixantur cum aceto commixto,& proijciantur cum eis grana myrti, piper, & cinamomum. Ouum quoq; ſi elixetur cum aceto,& comeditur,exiccat materiam; quæ eſt in ſtomacho. Et ſi miſceatur cum eo aliquid ex medicinis, quæ conueniunt,ad excoriationem & diarrhœam,& decoquas ea ſuper ignem lenem,quietum qui non habeat fumum,iuuat,iuuamento magno. Conuenit item ſi miſceatur cum rebus rob de agreſta, & ſumach,gallæ, cortices granatorum, mora, balauſtia, barba hirci, & quæ ſunt illis ſimilia; oportet autẽ ut caueatur à fructibus. Si uero ſtomachus abhorret iſtas res,abſolue eas ut comedant citonia, pira, mala, meſpila, ſiliquas aſſenias, nabati, zaharor,& granata ſtypticitatẽ facientia,item uuam, quæ reſeruatur in olla,& nabach ſiccam, glandes & caſtaneas. Ex potu autem confert ei in principio ægritudinis aqua & propriè pluuiæ,aut aqua fontium. In fine autem ægritudinis, & propriè quando debilitatur uirtus, & mollificatur ſtomachus, ſyropus de citonijs purus,& ſyropus factus ex fructibus facientibus ſtypticitatem. Quod ſi non eſt febris,neq; caliditas,damus eis aliquid ex uino ſtyptico nigro commixto. Et oportet ut ſollicitus ſis,de eſſe medicinarum ſtudio uehementi, ita ut recipiantur in hora ſua, quia medici dant medicinas quæ conſtringũt in principio ægritudinis,& hoc eſt error,& ſimiliter quando dimittunt infirmum donec debilitetur,& fortius fit ulcus, tũc properant abſq; proficuo ad medicinas, de proprietate quarum eſt, ut cõſtringant, ut commune prouerbium ſonat: Bonum conſilium poſt conſumationem litis. Quando autem ulcus eſt in inteſtinis ſuperioribus, non eſt conueniens, niſi ut adminiſtres in primis medicinas ſimplices in potu, deinde ſi neceſſitas exigit, adminiſtra medicinas compoſitas. Narrabo autem ex unoquoq; duorum generum, quod probatum eſt experimento, nempe, pſyllium & gummi, bolus Armenus, quando aſſantur, conferunt iuuamentũ magnum, quando ſumuntur drach. 3. quando ſumuntur cum ſyropo puro decoctionis. Et hoc medicamen ſequens eſt iuuatiuum ulcerum, quæ ſunt in inteſtinis gracilibus.

*Pharmacum ad inteſtinorum ulcerum optimum.*

Recipe pſyllij, ſeminis marubij, ſeminis portulacæ, ſem. arnogloſſi, ſem. maluæ, acetoſæ, altheæ an̄. unc. 1. ſpodij, marmoris inuenti in luto uiri

di,gummi,amyli añ.unc.2.boli Armeni,unc.7. Sūma est ingredientium rerum.12.assentur bene supra sartaginem,& da ex eo pōdus drach.5. cum aqua arnoglossi, aut uirgæ pastoris, aut portulacæ, aut cum mucilagine psyllij,aut cum aqua in qua infunditur gummi cum bolo Armeno,aut cum aqua pluuiæ,aut cum rob myrti puro.Et si est illic febris,dentur etiam trochisci de spodio,facti cum sem. acetosæ,cum rob de agresta puro,aut cum rob puro de malis. Vesperi autem accipiant psyllij assati drach.1.cum bolo Armeno & oleo rosato.Et si indigent medicinis cōpositis conferūt trochisci cum balaustijs,aut trochisci diacymini,& sunt trochisci de sem.& fructus ramni,& cymę eius etiam,& aqua decoctionis cupularū glandium,& radicis altheæ,& iuuat plurimū. Atq; secundū hunc modū, fructus quoq; mori immaturus quando exiccat, cōstringit ualde.Et ex eis quę conferūt excoriationi est cōfectio ex gallis & passulis Ramich appellata. Sed quādo ulcus est in intestinis inferioribus, tunc clyster est magis iuuatiuus. Et est necesse,ut administres ipsum,quando necessitas uocat ad illud. Nam si est cum excoriatione punctio uehemens,& solutio sanguinis,tunc non clysterizetur,nisi cum eo quod sedat mordicationē, & ex eo quod adhæret & retinetur cum fece intestinorum intrinseca,ita ut sit,eis sicut uelamen,& prohibeat ea tangi ab humoribus mordicatiuis acutis,qui descendunt ad ea,& ex eis quæ faciunt similia.

*Clyster ad solutionem uentris compescendam.*

Recipe orizæ persicæ drach.30.hordei excorticati drach.20. rosarū siccarum drach.10.adipis renum caprarum absq; sale drach.20. Coquantur cum tribus lib.aquæ, donec coquatur oriza & hordeum, & coletur ex eis quantitas libræ,& clysterizetur cum ea, & si adest inflammatio, tunc misceatur cum ea unc.s.olei rosati, si autem non adest febris, neq; inflammatio,tunc fiat absq; oleo.

*Clyster ad excoriationem.*

Recipe sauich hordei,orizę persicę ablutę multotiens añ. unc.1. balaustiorū,granatorū myrti,rosarū siccarū añ.drach.5. cupularū glandium drachmas tres,foliorum myrti humidorum drach. 20. Decoquantur cum tribus libris aquæ usque ad tertias, & coletur ex ea lib.semis,& cum ea misceantur aquæ foliorum humidorū psyllij, cum aquæ arnoglossi

tertia lib. unius parte, & proijciatur in ea uitellum oui assati liquefacti cum quantitate eius unc. 1. olei rosati puri, & ex marmore inuento in luto uiridi, trito cribellato drach. 1. coralli combusti in urceolo nouo lutati capitis in concauitate furni contriti & cribrati cum discussorio drach. s. cerussæ, & chartæ combustæ, plumbi combusti abluti, succi barbæ hirci, amyli, sanguinis draconis contriti & cribellati cum discussorio añ. drach. s. aggrega ea omnia & clysteriza cum eis. Si autem descensus sanguinis est absque punctione, & absq; febre, tunc ministra succi arnoglossi lib. mediam cum albumine oui non decocti, boli Armeni, amyli torrefacti paulatim, & succi barbæ hirci, cerussæ, plumbi omnium tritorum cribellatorum cum discussorio añ. unc. s. Conficiantur cum succo arnoglossi, aut succi uirgæ pastoris lib. 1. cum acatiæ, sanguinis draconis, gummi torrefacti cõtriti & cribellati añ. drach. s. aut cum aqua portulacæ cum luto laciniæ, & amylo, charabæ, mendasengi condito, & uitello oui, & oleo rosato. Aut solue clysterẽ cum aqua hordei decocti cum oleo rosato, bolo Armeno, & quæ sunt illis similia. Et caue quando clysterizas ne ingrediatur uentus, cum clysteri, ita ut sit compressio tua super instrumentum clysterizandi cum digitis tuis uice una, non uicibus multis, & antequã intromittas cannulam, inunge ipsam & unge anum, cum oleo rosato multo. Et postquam tu clysterizas calefac anum cum re calida, quæ præmissa est ad illud, quia hæc operatio est magni iuuamenti, in retinẽdo illud cum quo clysterizatur. Et sint res cum quibus calefit pannus, aut lana quæ iam submersi sunt in decoctione rei facientis stypticitatem, sicut ramnus & myrtus, galliæ, calyces glandium, balaustiorũ. Quod si in intestino est herpes exedens, & quod descendit est saniës, absq; sanguine, tũc necessariæ sunt medicinæ acutæ adurentes, & si herpes exedens, est in eo quod apparet de corpore, quando uidet ipsum prudens in curatione uulneris, tunc finit tempus cum administratione medicinarum, deinde cauterizat ipsum, post illud, quando considerat magnitudinem ægritudinis eligit statim, quod conuenit ei ex iuuamentis. Similiter quando est herpes exedens, in intestinis, oportet ut administres medicinas comburentes, quæ cauterizant statim, quoniam ulcus si magnificatur & maior fit, non confert administratio harum rerum. Medicinas autẽ de proprietate quarum est, ut hanc efficiant operationem nunc describamus.

*Ratio dandi clysterem.*

*Trochisci de auripigmento pro clysteribus ad excoriationem, quando currit ex eo sanies sola, & est causa herpetis excedentis in intestinis.*

RECipe duorum arsenicorum cuiusq; unc. 5. calcis non extinctæ lib. s. chartæ cõbustæ unc. 1. acatiæ unc. 7. succi barbæ hirci unc. 2. Teres & cribrabis, & confice cum aqua arnoglossi, fiant trochisci & siccentur in umbra, & sumatur ex eis medietas drach. & misceatur cum oriza Persica abluta multotiens, exiccetur & teratur, cribelleturq; cum aqua passularum tritarum cum granis suis, soluatur cum aqua, & coletur quantitas lib. mediæ & clysterizetur cum ea, aut clysterizetur cum succo plantaginis, aut aqua decoctionis sumach, & myrti humidæ, & corticum granatorũ, & rosarum siccarum, & cupularum, & quæ sunt illis similia. Quod si dolor est in intestinis superioribus & inferioribus simul, cum iam accidat hoc multotiens, & fortasse accidit per communitatem eorum in læsione aliorum, tũc non sis contentus solo clysteri, imò da infirmo in potu quo iuuetur. Quando uerò est ulcus in intestino recto solum, si possibile est peruenire collyrium ad ipsum, fac huiusmodi.

*Collyrium ad excoriationem intestinorum, & abscisionem sanguinis ab ano.*

RECipe sanguinis draconis, gummi Arabici torrefacti, succi barbę hirci, acatiæ, boli Armeni, marmoris luti uiridis, cerusæ plumbi, lithargyri, amyli torrefacti, cornu cerui combusti, añ. unc. 1. chartæ combustæ drachmas quinq;, climiæ argenti drachmas septẽ. Terantur & conficiantur cum aqua arnoglossi, aut cum aqua portulacę. Et fiant ex eis formę glandium & subponantur. Conferunt etiam emplastra facta cum citonijs & alcasb, & corticibus granatorum, acatia, balaustijs, ita ut coquantur cum aceto, & misceantur cum eis ptisana hordei, & rob de agresta, rosę siccę, & quæ sunt illis similia. Quidam etiam accipiunt ex trochiscis conferentibus ad hanc ægritudinem trochiscum unum, & soluũt ipsum cum aqua myrti, & liniunt illum super locum lęsum, sicut sunt trochisci, qui nominantur trochisci stellę. Con- *Trochiscus alter.* fert eis etiam emplastrum de petra lazuli, positum super dorsum.

De Tenesmo

De Tenesmo. Cap. XXVII.

QVando forte sit desiderium hominis ad conatum egerēdi, donec extendat intestinum rectum, & anus extensione uehementi & est quod egreditur in initio pingue mucosum, & apparet in eo corathati etiam, deinde apparēt in fece puncta sanguinis parua, & sanguis permixtus cum fece ipsa, tunc hæc ægritudo est in intestino recto & nominatur Tenesmus. Accidit autem ex superfluitatibus acutis, quę effunduntur & currunt ad hoc intestinū ex intestinis superioribus, & acuitate sua nocent, & stimulant super solutionem uentris assiduam, aut ex apostemate, quod est in hoc intestino, & propter grauitatem suam facit accidere corrosionem prouocantem ad ascellandam superfluitatem. In curatione uero illius oportet, ut attendas ad tres intentiones, scilicet prohibitionem eius, quod currit ex humore. Resolutionē apostematis, & sedationē acuitatis, & æquationē eius. Propter illud ergo oportet ut incipias cum rebus quæ ponuntur super mirach, & duo emunctoria, & radices duarum coxarum, calefacientibus, & oleo rosato permixto cum aliquantulo uini. Et similiter fac cum eo quod est inter duos testiculos & anum, & prohibe infirmum per unum aut duos dies à cibo, donec finiantur causæ materiei, deinde da post illud parum cibi, sicut panis infusus in lacte bene decocto. Et sic euacuabis, superfluitates cholericas, corrumpentes, & quod remanet in corpore temperatur. Cōueniens est etiam sorbitio facta ex oriza & cannarusio. Si autem natura est soluta, administra milium. Quod si ęgritudo firmatur, oportet ut medicetur locus cum rebus iuuatiuis, sicut est clystere factum ex aqua hordei cum quo coquantur oriza, & grana myrti, balaustia, cupulæ, & oriza persicę, & myrtus humida, cum uitello oui assati, & oleo rosato, amylo, & marmore inuento in luto uiridi. Quod si sanguis currit ex ano multus, tunc permisce cum eis barbam hirci, acatiam, bolum Armenū, & clysteriza cum eis, & lauetur infirmus cum aqua, in qua decocta sunt folia myrti recentia, rosę, balaustia, & cupulæ. Si autem est illic apostema, & tensio uehemens, calefac oleum sesaminum, & funde ipsum in clysterem & præcipe infirmo ut expectet, post clysterem horas multas, quia hoc resoluit apostema & dolorem. Conferunt etiam calefactio ex decoctione fœnugræci, seminis lini, maluæ, cum radicibus altheæ, resoluit enim apostema. Similiter fac emplastrum ex caulibus decoctis cum uitello oui, aut decoquētur rosæ, & lentes excorticatæ, & solanum, & sedeat infirmus in ea.

Ex istis rebus etiam fit emplastrum, quando eas multum teris, & decoquis & permisces uitellum oui, & oleum rosatum in eis, & facias emplastrũ cum eis. Et gallę quando decoquuntur & teruntur, & fit ex eis emplastrum forte, ad phlegmonem ani & exitum eius, & necesse est ut decoquas gallas, constrictione pauca cum aqua, & si indiges constrictione uehementi, tunc cum uino pontico, & si apostema melancholicum est in ano, administra hoc medicamen.

*Medicamen ad apostema durum in ano.*

RECipe Lithargyri, plumbi, adipis anatis, & gallinę añ. drach. 4. cære, drach. 1. uitellos ouorum duorum, olei rosati quantũ necesse est, permisceatur & administretur, si autem cum illo est inflãmatio uehemens, tũc rectifica illud linimentum secundum hunc modum.

*Linimentum ad apostema ani & fissuras accidentes in eo, & sedationem caliditatis.*

SVmatur plumbum ustum ablutum, cerussa plumbi, lithargyri, myrti, uitelli duorum ouorum, oleum rosarum purũ, Terantur in mortario, donec fiat sicut emplastrum, & liniatur cum eo. Quidam autem addũt marmor inuentum in luto uiridi, & scoriam argenti, alij accipiunt marmor solum, & faciunt emplastrum secundum hunc modum. Ponunt marmor supra sartaginem, & rotant super ipsum aquam solani, & conficiunt illud cum oleo rosato, & uitello oui, & faciunt cum ipso emplastrum. Si autem egreditur, & fiunt in eo ulcera, postquam abluitur cum uino faciente stypticitatẽ, aut cum decoctione medicinarum facientium stypticitatem, sicut sunt gallę, cupulę, balaustia, cortices granatorum, rosę, & quę sunt illis similia, tunc administra hoc medicamen.

*Medicamen siccum ad exitum ani in quo sunt ulcera.*

REcipe plumbi usti abluti drach. 8. florum rosarum, sumach. añ. drach. 4. mirrhę drach. 2. Teratur totum & pulverizetur.

*Collyrium quod ponitur in anum & abscindit tenesmon.*

SVmatur mirrha, cortices thuris, crocus, opium, gallę, capita granatorum, balaustię, gũmi torrefacti, Terantur & cribellentur cum discussorio, & cõficiantur cum aqua myrti, & fiant ex eis collyria instar glandium, & intromittantur in anum. Et si in eo sunt fissurę absq; caliditate & inflatione, administra hoc emplastrum.

*Emplastrum ad fissuras quæ sunt in ano absq; caliditate.*

REcipe medullę uaccinę unc. 1. picis Romanę unc. s. cerussę, plumbi, lithargyri, myrti, añ. drach. 7. cære albæ colatę uncia una, olei rosati unc. 4.

unc. 4. Liquefiat cæra, & pix, & medulla cum oleo rosato, deinde proijciantur cum eis cerussa, & lithargyrum, postquam per discussorium cribrasti, & permisce ea in mortario permixtione multa.

*Aliud medicamen quod confert.*

Recipe uzifur, balaustiæ, cerussæ, & lithargyri partes æquales, misceantur cum oleo rosato, & administretur.

*Aliud etiam conferens.*

Recipe medullę uaccinę, chamæli, partes æquales, Liquefiant & inungantur cum eo. Et si res expostularit medicinam quæ retinent uentrem, probatur quod sequitur.

*Aliud quod in hac ægritudine retinet materiam.*

Sumatur suffuf mycletæ factum cum nasturtio albo frixo, aut cymino carmeno, infuso in aceto per noctē & diē, & sem. lini, & seminib. porri frixis, masticħe, myrobal. nig. in patella coctis cū butyro uaccino. Et utat.

*Alius modus faciendi Tragematis ad Tenesmum.*

Recipe myrobalanorū chebulorū, emblicorū uniuscuiusq; unc. 1. Bulliat totū, ebullitione cum aqua de citonijs, deinde exiccetur & frangatur super patellam, donec exiccetur & teratur, & sumatur ex semine porri frixi, aut nasturtio frixo, & mastiche singulorū unc. s. boli Armeni unc. 1. Terantur & dentur ex ea unc. 3. cum syropo de citonijs.

*Alius modus conficiendi Tragema.*

Sumantur myrobalanorū chebulorū mundatorū drach. 20. infundantur in uino austero diē ac noctē, & exiccent, & sumat seminū lini, sem. almari frixorū añ. drach. 10. nasturtij frixi drach. 5. Sumant omnia cū aqua myrti humidę, & fiant trochisci subtiles, & ponantur in furno ut panis, donec exiccent, & non comburantur, & extrahe eos, & tere eos, & da ex eis drach. 3. cum uino, aut cum aqua. Quod si desideriū asellādi est assidue, prę ter quod infirmus aliqd deponat, tunc illius rectificatio est ignis sulphuris. Et oportet ut infirmus sedeat super sedē perforatā, & ponat anū super foramen & stringat in circuitu sedis ab omni latere aliquid, ita quod prorsus nihil ascēdat ex fumo, ad os & nares. Et ponat sub sede testa ignita, aut prunę & pulverizet desuper sulphur tritū, donec eleuet fumus multus & ingrediatur anū. Et ex hominibus sunt qui conficiūt sulphur cum adipe renū caprarū, & cum pinguedine de gibbo chamęli. Quod si tenesmus durat dies multos, confert ei clystere cum aqua oliuarū salitarum. Et oportet ut clysterizentur ex ea duę tertię librę unius, & post euacuatiouem administretur.

### De Hæmorrhoidibus. Cap. XXVIII.

HÆmorrhoidum species sunt tres. Ex eis enim sunt, quæ sunt longę, similes uerrucis. Alię sunt latæ & rotundæ, & color earum est coccineus, & similantur uuæ. Aliæ ex eis sunt, quę similantur moro. Deteriores autem omnium harum specierum sunt primæ, & proprie quæ sunt propinquiores in suo situ cannæ ueretri, quia hæmorrhoides quando apostemãtur, oppilant cursum urinæ, & illæ, quæ sunt retro non nocent multum. Illarum autem quæ sunt extra anum in orificio eius, nocumentum est leuius. Quæ uero intra anum, sunt difficilis curationis, quando non est facilis earum neq; tactus, neq; sensus, sicut illarum, quæ sunt exteri us, neq; attingunt eas medicamenta sicut oportet. Est ergo necesse ut aperi antur hæmorrhoides oppilatæ, scilicet ex quibus non egreditur sanguis, donec euacuetur, quod est in locis de sanguine malo, quia quando hoc faci mus sedatur dolor, quando autem uolumus aperire, linimus super eas aliquod acutum aperitiuum, sicut succus arboris Artanitæ, & succus cæpę acutæ. Et damus in potu infirmo myrobalanos conditos, & myrobalanos nigros frixos cum butyro uaccino. Confert etiam aqua pororum, quãdo bibitur cum oleo nucum. Esto autẽ aquę pororum unc. 2. & olei drachmæ duæ. Conferunt etiam pilulæ de bdellio, & triphera minor, & myclete, quando bibuntur. Et confert etiam hoc medicamen.

#### Aliud medicamentum ad Hæmorrhoides.

REcipe myrobalanorum nigrorum frixorum cum butyro uaccino, & seminis fœniculi añ. partem unam, terantur & cribellentur, & misceatur, cum eis de nasturtio quod sit æquale, & detur ex eo omni die cochl. 1. cum uini commixti quantitate uncię unius. Aut sumantur scorię ferri tritę, cribellatæ unc. 3. nasturtij albi drach. 2. detur ieiuno stomacho cum quantitate unc. 1. aquę porri, & drach. 2. olei nucis. Et fiat emplastrum cum porris elixatis, & mollitis cum butyro uaccino. Et suffumigetur anus ex radice capparis cum semine porri. Radix colocynthidis confert cum aqua porri, exiccat enim.

#### Suffumigium Gabrielis ad Hæmorrhoidas.

SVmatur radix capparis, apium, oleander, alhacul, amiden, lilium, & fructus anacardi. Conficiantur cum oleo sesamino, & fiant trochisci, Sitq; trochiscus quilibet, drach. 1. & sumatur stercus chameli, & comburatur, & ponatur super ipsum trochiscus unus, & ponatur super ea lilirellus perforatus,

perforatus, & ponatur super ipsum infirmus mane & uesperi, donec exiccentur & cadant.

*Aliud ad Hæmorrhoidas.*

Recipe radicum capparis, radicis scyllæ, colocynthidis, seminum marubij, sarcocollæ partes æquales. Terantur & cribellentur & suffumigentur sub ano, ipsi enim cadent.

*Aliud ad habentes exituras in Hæmorrhoidibus.*

Recipe sinapis albi, uenarum tinctorum, radicum capparis, colocynthidis, radicis moly, chalitinctorum, seminum usneæ, marubij, sarcocollę partes ęquales, Terantur & cribellentur, & suffumigetur cum eo.

*Aliud ad Hæmorrhoidas ex quibus currit sanguis.*

Recipe turbit, arsenici rubei, anacardi añ. partẽ unam. Teratur unumquodq; per se, & cribellentur, & misceantur, & cõcauetur fouea, cuius profunditas sit unius palmi & proijciantur super eam istę medicinæ, & accipiatur later & fiat foramen in medio eius, & ponatur super caput foueæ, & sedeat infirmus super foramen ęqualiter.

*Aliud ad Hæmorrhoidas & exitum ani.*

Recipe radicum capparis, radicũ colocynthidis, moly, fructus anacardi, hermodactylorum, euphorbij, singulorũ partes æquales. Terantur crasso modo, & ponatur super prunas & suffumigetur cum eis. Aut sumantur sarcocolla, arsenicum, cortices thuris, arthenici, lignum more, spolium serpentis, æquali omnium pondere. Terantur & cribellentur obiter, & ponatur super prunas & suffumigetur cum eo. Aut suffumiget cum fructu anacardi solo, aut cum bdellio. Si autẽ in ano est dolor propter exitum eius, fac sedere infirmum in uino Aldhelini. Ipsum enim sedat hunc dolorem sedatione mirabili, qui pertransit narrationẽ, & oportet ut inungatur locus semper cum oleo de nucleis chrysolinorũ, & cum oleo de nucleis Persicorũ. Hæmorrhoidibus aũt ex quibus currit sanguis, manifeste cõfert sessio in decoctiõe medicinarũ facientiũ stypticitatẽ, sicut myrtus humida, & fructus ramni, balaustia, cupulę, gallę, alumen, & quæ sunt illis similia, & sumatur in potu ex his pilulis.

*Pilulæ ad Hæmorrhoidas ex quibus currit sanguis multus.*

Recipe myrobalanorũ nigrorum, belliricorum, singulorũ drach. 10. limatiarũ combustarũ drach. 7. charabe drach. 3. zegi drach. 2. bdellij drach. 20. Sũma ingredientiũ est septẽ. Terant & cribellent & fiant pilulæ ex eis, & detur ex eis pondus drach. 2. aut 3. cũ aqua frigida, aut uino.

Aliud

*Aliud medicamen ex his quæ probata sunt ad hæmorrhoidas, & qui cacat semper sanguinem.*

Recipe scoriæ ferri, seminis porri, semin. ammeos an. drach. 2. fructus capparis sicci drach. 4. Terantur & cribellentur ac sumatur drach. 1. cum aquæ porri unc. 1. & aquæ calidæ unc. 2. Confert etiam medicamentū hoc quàm maxime.

*Pilulæ ad hæmorrhoidas ex quibus currit sanguis.*

Recipe myrobalanorū nigrorum, belliricorum, emblicorū an. drach. 5. zegi drach. 1. bdellij drach. 2. soluatur bdellium cum aqua porrorum & conficiantur medicinæ & fiant pilulæ, dosis drach. 2. Cibi autem conuenientes, si euacuatio sanguinis nimia est, oportet ut sint pauci, stypticitatem facientes, ex eis in quibus non fiunt superfluitates, sicut oryza, milium, & candarusium cum passulis contritis cum kersenati, & granis granatorum, & oleo de nucibus, aqua porrorū, & quæ sunt illis similia. Et qui habet hæmorrhoidas apertas, utatur cibis contrarijs, sicut res quæ mouēt sanguinem, & opprimunt ipsum. Conferunt etiam istis res quæ prouocant sanguinem menstruum, & si uolumus incidere hæmorrhoidas, tunc est necesse ut stringamus eas cum filo setæ, aut cum filo lini forti, & dimittatur ex eis una, sicut inquit Hippocrates libro sexto, Aphorismorū sententia duodecima: A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur, periculum est aquam inter cutem, uel tabem aduenire. Quidam uerò incidunt hæmorrhoidas cum medicinis acutis, quidam cum ferro.

*De speciebus punctionis.* *Cap.* XXIX.

Punctio quidem accidit, aut ex mordicatiōe superfluitatum acutarum, aut ex superfluitatibus acutis, crassis, & uiscosis, aut ex uentositatibus inflatiuis, quæ tendunt. In punctione igitur quæ accidit ex superfluitatibus acutis, oportet ut euacuētur superfluitates in primis, deinde administrentur post illud res æquales, sicut psyllium cum oleo rosato. Illa autem quæ accidit cum humoribus uiscosis & crassis, oportet ut curetur cum rebus subtiliatiuis. sicut nasturtium cum oleo. Illa autem quæ accidit ex uentositatibus crassis, oportet ut curetur cum rebus subtiliatiuis, sicut semen rutæ, cyminū, carmenū, ammeos, baccæ lauri, & quæ sunt illis similia.

*De Ascaridibus, Lumbricis & Vermibus.* *Cap.* XXX.

Causa generans ista est natura, quia ubique inuenit materiam, quæ cōuenit generationi, possibile est enim ei ut generet ex ea illud de proprietate, cuius est susceptio eius. Propter illud ergo quando

inuenit materiam in intestinis conuenientem generationi lũbricorum, ascaridum & uermium, prohibet ingredi in ea, & generationem. Et causa materiei est phlegma, quia sanguis & natura conuenit naturæ animalium. Veruntamen non est de consuetudine eius, ut effundatur in intestina, donec ex eo fiant lumbrici, & quæ sunt illis similia. Duę autem cholerę, quoniã sunt siccæ cum generãt animal, quapropter generantur lumbrici & ascarides, & uermes, in illis in quibus est pauca cholera, sicut sunt pueri, & illis quorũ fex est alba, & aggregatur eis ex gulositate & paucitate digestiõis, & comestione ciborum crassorum, frigidorum, in quibus sunt semper multę superfluitates. Et causa prima est putredo, Secũda caliditas ex putredine. Ex istis speciebus sunt, qui sunt longi & rotundi, lati, parui, graciles. Generatio autem lumbricorum longorum rotundorum est in intestinis gracilibus, scilicet, duodeno & ieiuno, & reuoluto gracili. Lati autem generantur in intestinis crassis, scilicet, orbo & intestino colo. Parui uero & graciles in intestino recto. Et cognoscitur una quæq; harum specierũ ex eo quod egreditur, quia lati ex eis & graciles euacuantur cito ab inceptione suę generationis. Et illud fit quatuor ex causis, quarũ una est propinqtas loci in quo sunt cum ano, Secunda propter latitudinem loci, Tertia propter paruitatẽ animalis ipsius, scilicet, ascaridum, & uermium paruorum similium uermibus, qui fiunt in aceto, quia res parua mouetur uelociter ex loco amplo. Quarta autem causa est debilitas ipsius animalis, ita quod non potest inuiscari corpori intestinorum, & teneri cum eo. Longorum autem rotundorum causa, istis causis contraria est, uerũ eorũ euacuatio non fit apud generationẽ eorum, oportet ergo ut cognoscamus eam ex accidẽtibus quæ sequunt̃ eam, quia cõsequitur generationẽ eorum mordicatio, nausea & pũctio. Attamẽ istis accidẽtibus non est accidẽs sufficiens ad significandũ ea, quia ista accidẽtia sunt etiã ex humoribus cholericis, retentis in intestinis. Propter hoc ergo indigemus ut uerificemus cognitionẽ eius, ex eo quod pręcessit generationem eorũ, quando pręcedit paucitas digestionis cõtinua, & appetitus multus, & gulositas, & assiduus usus multorũ ciborũ crassorũ. Et ex eo quod est stans, quoniam accidit ei punctio & mordicatio, & nausea. Et quãdo extenditur nocumentum à lumbricis, fit pulsus paruus, quietus, & infrigidatur quod apparet ex corpore, & strident dentes, & abstergunt labia semper, & retinetur anhelitus eorum & euomunt, & quandoq; ascendunt lumbrici ad stomachum & egrediuntur in uomitu. Et illi qui habẽt Tenesmũ, sentiũt

desiderium

desiderium egerendi apud caput intestini recti. Et quoniam lumbrici non generantur nisi ex humore crasso, frigido, humido, oportet ut patiens cibetur cibo subtili, calido & sicco. Et sit caliditas illius cibi, si est possibile caliditas, interficiens ascarides, uermes & lumbricos, & qualitas alia abstergens & leniens uentrem, quando interfecti sunt uermes ut non remaneant in intestinis, imo expellat eos. Et secundum hanc formam, oportet ut sint medicinæ etiam subtiliatiuę, calefactiuę, siccantes & interfitientes lumbricos, & expellentes eos per clysterem, & emplastra, & suppositoria quę attrahunt, & exire faciũt lumbricos. Quod autem attrahit & exire facit, aut est dulce, aut unctuosum, quod euacuat eos, quoniam ipsi non obediũt euacuationi dum uiuunt, sed tenentur in intestinis secundũ dispositionem, cuius dissolutio est difficilis. Quapropter necesse est ut interficiantur in primis, aut ponas ipsos inter mortuos & uiuos. Et non interficiuntur secundũ plurimum cum rebus amaris. In interfectione autem lumbricorum longorum rotundorum, sufficiunt absynthium & sceha, epithymum, mentha, lupini amari, aut aqua eorum, calamintha fluuialis, carui, semẽ caulis, & proprie de Baiara, & nigella. Etiam quando comeditur & ponitur supra uentrem deforis, & folia persici quando teruntur & ponuntur super umbilicũ, & rubea, & Bassæ, & cyperi, radix lilij cœlestis, & carthami, quando accipitur cum decoctione petroselini, & decoctione corticis granatorum dulcium & acetosorum. Et aqua salicum, costus amarus, cyminum, capparis, cortices radicum mori, & quæ sunt illis similia. Habens autem uermes paruos, clysterizetur cum aqua ricini, & cedrius liquor, & decoctum alcalcadis, & centaurij, quãdo clysterizatur cum unoquoq; eorum, per se, & cõiunctis. Confert etiam aqua oliuarum salitarum, quando clysterizatur ex ea cum muria, & clystere factum cum decocto absynthij, quando clysterizatur ex ea cum oliuis salitis. Et collyria facta ex sale, & nitro, & pulpa colocynthidis sunt iuuatiua ualde. Ascarides autem indigẽt medicinis fortibus ualde, sicut sunt, filix, costus amarus, cortices radicis mori, serapine, terræ Medicæ quę Cambil dicitur, & ista est compositio eorum.

*Medicamentum ad Lumbricos.*

Recipe costi amari drachmas 4. nigellæ drach. 2. medullæ alberengi drach. 3. filicis, Siraes dicunt Arabes, drach. 4. rubeæ terræ Medicę drach. 5. turbith drach. 10. terantur & cribellentur & dentur ex eo pondus drach. 4. cum lacte multo recenti, aut cum aceto, aut muria, & hoc medicamen

amen sumatur ieiuno stomacho mane.

*Aliud omnium optimum.*

RRecipe quod est interius alberengi, & turbith, siraes, salis Indi añ. drachmas duas, costi amari drachmas sex. Terantur & cribellentur, & dentur ex eo drachmę quinq; cum lacte recenter mulcto.

*Aliud ad idem pharmacum.*

RRecipe sandonici, lupinorum, alberengi excorticati, filicis, & terrę Medicę añ. drachmas quinq;, turbith drachmas quindecim. Terantur & cribellentur & dentur ex eo drachmę quinq; cum lacte † re enter mulcto. *† recenti mulcto.*

*Medicamen aliud solutione educens lumbricos absq; angustia.*

RRecipe radicem enulæ recentem. Teratur & exprimatur aqua eius, & dentur ex ea unciæ tres, ipsa nanq; extrahit lumbricos.

## *De Ileo, & est species Colicæ.* *Cap.* XXXI.

AAEgritudo Ileos accidit quando oppilantur intestina gracilia, aut ex apostemate, aut stercore duro, aut ex humiditate crassa, uiscosa. Galenus enim, inquit: Possibile est ut crassitudo & apostema melancholicum, & coartatio saniei constringant meatum intestinorum, ita ut non descendat ex eo aliquid inferius, sed quod illud accidat ex humiditate, est longinquum, quoniam stomachus dum permanet secũdum dispositionem naturalẽ attrahit desuper à gula, & expellit, & facit curr e inferius. Cum ergo egreditur à natura ascendit ad ipsum etiam aliquid ab inferioribus, quia clyster fortasse ascendit ad uentrem multotiens, ita quod uomitu expellatur. Et in ægritudine Ileo quando malum est letale, uomitu expellitur stercus. Et non ambigimus nos, quin stomachus in huius dispositione non attrahat quod ascendit ex intestinis ad ipsum, imò non recipit illud, quod ascendit ex intestinis, nisi necessariò, quia de natura intestinorum est, ut faciant currere quod cõtinetur in eis inferius. Cum ergo ægritudo est aliqua, & incipit ab inferioribus motus fortis, tũc fex retenta in intestinis uadit uersus superiora, quia aliquid humoris, quando uadit uersus anum, & prohibet ipsum aliquid, redit ad superiora, & similiter quãdo prohibetur exitus uentositatis, etiam redit ad superiora, & per huius accidentia fit motus intestinorum horribilis. Et fortasse etiam accidit motus eorum, propter maliciam complexionis ut destruatur & fiat Ileos, ex huiusmodi causa. Etiam fit

*Ileo ægritudo fœtida.*

hæc ægritudo mortalis, inter omnem ægritudinē quæ accidit, & proprie fœtida, & non nominatur fœtida, nisi quoniam in eo quod euomit infirmus est stercus. Et similiter, quando est anhelitus eius fœtidus, aut totum corpus eius est fœtidum, quia uidi hanc ægritudinem accidisse multotiens, & raros euasisse. Et nominatur hæc ægritudo Hudurusas, quando apparet aliquid apostematis in intestinis gracilibus, ita quod quasi iam dirumpitur cum chorda. Si autē hæc ægritudo est ex apostemate, quod fit phlegmon, tunc incipiamus à phlebotomia uenæ, deinde demus aquam solani, alchekengi, & aquam alubleb, cum oleo de amygdalis dulcibus, & cassia fistula. Si autem apostema est frigidum, damus infirmo oleum Ricininum cum aqua de radicibus, & cassia fistula. Et ponātur deforis si apostema est calidū, emplastra infrigidantia, expellentia, sicut emplastrum factum ex rosis, santalis, auellana Indica, collyrio memithe, farina hordei, & quæ sunt illis similia. Et si est frigidum, emplastramus ipsum cum emplastro facto de chamæmelo, folijs lauri, semine lini, & fœnogræci. Et si est ex humore phlegmatico crasso, damus ei pilulas de aloē, de serapino, & Hiera. Deinde oleum ricininum, aut oleum de alcalinga, cum aqua de radicibus. Et si est ex stercore duro, tunc incipimus cum administratione clysteris lenis, & comprimimus solutionem uentris cum collyrio, & administramus omnia quæ conueniunt illi qui habet colicam. Illis uerò quibus non euacuantur cibi ex uehementia uomitus, datur cyminum, carui cum rhoi, seu sumach, & cum syropo de granatis facto cum mentha.

### De doloribus Coli. Cap. XXXII.

AEgritudines quę accidunt in intestinis ex colica, non accidunt nisi aut ex apostematibus, quę sunt in eis, aut ex humoribus uiscosis fixis in rugis eorū, aut ex humoribus acutis mordicatiuis secūdum aliquem modorum difficilis dissolutionis fixis in eis, aut ex uentositatibus crassis, uaporosis retentis in eis. Et accidentia cōmunia quę continuantur cum hac ægritudine, & ægritudine renum, sunt nausea & uomitus, & dolores, & retentio magna alui, & uentositates quarum uiæ sunt ut egrediantur superius & inferius. Veruntamen ista accidentia in hac ęgritudine sunt uehementiora, & plus consecutiua, quàm ipsa sunt in dolore renum, & non figitur dolor in loco uno, sed permutatur permutatione, & in dolore renum sunt debiliora, & sunt in uno loco. Et urina est etiam in principio ægritudinis

tudinis aquosa, clara, deinde post illud fit crassa, & habet sedimen, & in fine fit sedimen arenosum, & proprie quando est dolor colicæ ex apostemate, nẽpe phlegmone, tunc enim necessario sequitur ipsum febris, & dolor grauis, & sensus inflãmationis, & sitis. Et ista accidentia etiam sequuntur illum qui hac ægritudine laborat, propter humores mordicatiuos, cum dolore mordicatiuo, & siccitate in lingua & sentit cũ acuitate urinæ. Et si hęc ægritudo est, propter phlegma crassum, uitreum, aut uẽtositatem & inflationem, tunc accidens commune in ea est, frigiditas inferiorum, & dolores chronici crassi, propter frigiditatem humoris ipsius, & tensionẽ membrorum in quibus est contentus propriè, quia si ex humore est crasso & uiscoso, tunc est cum grauitate tensio, & si est ex uentositate crassa, & inflatione, tũc ẽst tensio absq; grauitate. Et si expellit natura fecem, declarat, quod, in ea sunt uentositates, & fortasse natat super aquam, & similatur in substantia sua stercori uaccino. Est ergo necesse, si ægritudo est ex phlegmone, ut fiat phlebotomia, si non prohibeat ab ea aliqd. Quod si phlegmone est parua, pone extractionem sanguinis ex iunctura, & si est magna, adeò ut difficilis fiat urina, cum læsione loci, ex membro ex quo euacuatur, tunc oportet ut extrahas sanguinẽ, ex uena quę est supra duos calcaneos etiam. Et post hoc pota infirmum aqua solani, aqua alchekengi, & aqua granatorũ, aqua foliorũ altheæ cum cassia fistula, & clysterizetur cum aqua hordei, & oleo chamæmeli. Et administra foris emplastrum ex uiolis humidis, & folijs altheæ, folijs solani, folijs alchekengi, postquã teruntur multum, & miscent cum uiolis siccis, althea, farina hordei, floribus chamęmeli, meliloto cum oleo uiolarum puro, & quę sunt illis similia. Si autẽ hęc ægritudo est ex humoribus acutis, ingeniabimus in euacuatione humoris mordicatiui, & in ęquatione & in unctione. Et incipiamus in potu dare aquam hordei, & post ipsam cum oleo in quo decocta sunt althęa, fœnugræcum, & pinguedo anatis recentis. Si autem humores sint mali ualde, & sunt retẽti in interioribus intestinorum, damus infirmo scãmoneam cum pilulis de aloẽ. Et si sunt submersi, fixi in rugis, tunc Hieram Picram. Et cibetur cum rebus infrigidantibus, non calefacientibus propter acuitatẽ humoris, & non sint ex eis quę alterantur uelociter. Illi autem quibus aduenit colica passio ex humoribus frigidis, aut ex uentositate & inflatione, oportet ut curentur cum rebus incisiuis, subtiliatiuis, paucę caliditatis. Et clysterizet ex uẽtositatibus crassis, cum clysteri facto, ex oleo subtili, in quo decoquũtur semina resolutiua uen- *Carminatiua.*

tositatũ, exiccatiua, sicut cyminũ, semen rutæ, apij, anisum, & carui, & quæ sunt illis similia. Et est necesse ut oleũ, in quo medicinę decoquunť, coletur, & liquefiat cũ eo pinguedo anatis, aut gallinę, & non sit salita neq; antiqua. Et si hoc oleũ non cõfert & dolor remanet, itera clysterẽ cum hoc oleo, & pmisce cum eo castoreum, siue euphorbiũ, & ex oleo sumãtur unc. 9. ex castoreo & euphorbio fabæ quãtitas & minus. Et quidã permiscent cum hoc. clysteri, serapinũ & assam, & gũmi balsami, & oleũ rutę. Et decoctio hyssopi, & anethi, quando clysterizať ex ea cum oleo de ruta, est iuuatiua ualde, quia sedat dolorẽ, & resoluit uentositates. Quod si propter difficultatẽ doloris non penetrat, administramus loco clysteris glandẽ, factam ex pulpa colocynthidis, sale, & melle, nitro, & semine rutę. Et inungatur cum oleo rutaceo antequã immutať. Et administra emplastra cum milio, est enim iuuatiuũ ualde. Et da in potu desuper oleum Ricininum, & Hierã Picrã, cum aqua decoctionis anethi, fœnogręci, fœniculi, anisi, mastiches, & seminis apij, & ammeos, cordumemi, seminis rutę, dauci, ficuum siccarum mundatarum, & quę sunt illis similia. Et si soluantur naturę eorũ, in omnibus tribus diebus cum potiõe ex pilulus de serapino, & pilulis factis cum Neremisch, conferunt etiam istæ pilulæ.

*Pilulæ ad dolorẽ Coli ex uentositatibus crassis, et ex humore crasso, frigido et uẽtoso.*

Recipe serapini, bdellij, opopanacis, secacul, sem. apij, ammeos, cordumemi, rutę, zingiber. sem. anethi, macropiperis añ. drac. 3. Hierę Picrę, turbith añ. drac. 10. colocynthidis drac. 7. myrobal. citrinorũ drac. 5. sem. althęę. drach. 4. teranť & cribel. Et resoluanť serapinũ, bdelliũ, apopanacũ cũ aqua rutę, & conficianť cũ eis reliquę medicinæ, & fiant pilulæ, & denť ex eis drach. 3. cũ aqua anisi. Et cibi qui cõueniunt sunt qui subtiliãt.

*Allium.* Et ex eis magis iuuatiuũ est alliũ, quoniã resoluit humiditates & uẽtositates ualde. Verũ oportet, ut deť ex eo quãdo non est febris, neq; caliditas, & ex

*Isfidabegi.* eis quę cõferũt ualde est decoctio facta cũ caule, & Isfidabegi, quę fit ex gallo antiquo farcito, cũ aniso, et ammeos, apio, ruta, anetho, porris, & quę sũt illis similia. Cõfert etiã decoctio facta ex decoctione prunorũ. Qđ si dolor est ex humorib. crassis & uiscosis, tũc incipimus & damus in potu res incisiuas & subtiliatiuas humorũ, sicut oleũ ricininũ, cũ aqua de radicib. subtiliatiuis, calefactiuis cũ Hiera, Deinde euacuanť cum clysteri acuto, sicut est illud quod fit ex centaurio, colocynthide, chamæmelo, meliloto, & scylla, tritis omnib. & anetho, & fœnugræco, semine lini, & ficubus, furfure, & bdellio,

& bdellio, opopanaco, serapino, oleo ricinino, & de spica, & felle taurino, melle & muria. Confert etiam decoctio cucumeris asinini, quando miscetur cum muria, & melle, & clysterizatur cum ea. Si uero non minuitur dolor, faciemus infirmum sedere in Solio aquæ, in qua decocta sint chamæmelum, melilotum, anethum, Seusaram, amaracum, folia lauri, & caules. Et inungimus locum dolentem cum oleo de spica, & chamæmelino, aut oleo de ruta, aut de lilio. Si autem accidit colica passio ex stercore sicco, tunc oportet ut incipiamus dare cibos humidos, deinde moueamus solutionem stercoris, cum clystere ex aqua, in qua decocta sint chamæmelum, althea, sebesten, & oleum sesaminum, penidij, & sal contritum, & nitrū. Et damus ei in potu decoctionem factam cum passulis mundatis, & ficubus, & sebesten, cassia fistula, cum Hiera Picra, & oleo de cherua. Et ex eis quæ conferunt a proprietate ad reliquos dolores colicæ, quando non est apostema, est stercus Lupinum album, quando bibitur, & quando suspenditur foris, & bibitur etiam solum, cum uino, aut aqua, aut cum turbith, & aniso simul. Et suspēditur cum filo lanæ quod sit ex lana arietis, quem contriuit lupus, aut pauca ex corio cerui.

IANI DAMASCENI QVINTI LIBRI FINIS.

## PERIOCHA VOLVMINIS SEXTI.

IN hoc uolumine uniuersi operis Sexto, de omnibus ac singulis fere Iocinoris affectibus primum, mox de Lienis afflictionibus agitur, Inde super Renum & Vesicæ cruciatibus. Post hæc de Arthridite, hoc est, articulorum, coxendicis ac pedum omne genus doloribus, succincta quidem sed consummata, quum generatim, tum speciatim tractatio fit.

## ELENCHVS EORVM QVAE IN SEXTO LIBRO COMPLECTVNTVR.



De communi

# IANI DAMASCENI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, De Medendi ratione Liber VI. D. GERARDO IATRO Cremonenſi interprete.

## De Iocinoris imbecillitate. Cap. I.

*Quatuor iocinoris facultates.*

IOcinoris imbecillitas, aut propter aliquam complexionis maliciam ſuperantẽ, aut in ſubſtantia eius, aut in inſtrumentis ſuis, aut in materijs retentis in inſtrumentis accidit. Et epati quidem ſunt quatuor uirtutes, illa quæ attrahit ſuccoſitatem ciborum, poſt factam concoctionem in ſtomacho, & in inteſtinis, & illa, quæ retinet eam donec alteratur, & illa, quæ, ponit, eam fecem & alteratam ad ſanguinem, & illa, quæ abſtergit ſuperfluitates generatas in eo. Si autem debilitatur uirtus attractiua, tunc fex fit mollis. Et ſi ſtomachus eſt debilis, fex deſcendit indigeſta, & ſi uirtus corrumpitur retentiua, quæ eſt in eo, & fit, quod humor non tardatur in epate, quod neceſſarium eſt, in digeſtione eius, peruenit ad membra indigeſtus, & accidit in toto corpore exiccatio. Et quãdo corrũpitur uirtus alteratrix, tũc quandoq; mutatur cibus, qui uenit ad epar, ad qualitatem horribilem, & quandoq; remanet ſecundum naturam ſuam ſpacio longo, præter quod recipiat digeſtionem, & quandoq; digeritur media digeſtione. Et deterior harũ trium eſt habitudo prima, quia, ſanguis alteratur ad diſpoſitionem, qua fit malus, & peruenit ad corruptionem communem. Secunda eſt minoris corruptionis quàm prima. Tertia eſt minoris corruptionis quàm illę ambę, & cum eo peruenit cibus ad ſpeciem rubedinis, ex ſpeciebus ſanguinis. Et duas pręcedentes ſpecies ſequitur euacuatio, & uomitus ſpecierum multarũ diuerſorum colorum, & ſubſtantię. Speciem uerò tertiam, ſequitur euacuatio ſimilis loturæ carnis animalis, ex propinquo tempore decollati. Quando autem corrumpitur uirtus cxpulſiua quæ eſt in epate, peruenit ad membra ſanguis immundus, & ſequitur ipſum malicia complexionis, & accidentia alia quæ accidunt, quare corrumpitur quod apparet de corpore.

*Calidioris iocinoris comites.*

Et malicia quidem complexionis aut calida, aut frigida, aut humida, aut ſicca, aut compoſita ex iſtis quatuor. Verũtamen ſi eſt calida, tunc ipſa gignit ſanguinem,

guinem,& comburit ipſum, & ſequitur inde liqueſactio & excoriationes. Et principiũ illius eſt liqueſactio in humoribus. Et poſt hæc caro epatis ipſi us excoriatur,& liqueſit,& euacuatur ex parte ſtomachi bilis uehementis fœtoris & craſſitudinis,& eſt pura in colore ſuo,& accidit uomitus chole ricus,& deſtructio appetitus cibi,& ſitis uehemens,& febris fortis. Si autẽ eſt frigida,tunc ipſa ponit ſanguinem craſſum difficilem in curſu ſuo. Et ſo lutio quæ uenit ex ſtomacho non eſt conſecutiua,neq; multa atq; fœtida,& eſt appetitus cibi uincens,& ſitis diminuta,& in principio infirmus non fe bricitat. Cum ergo extenduntur dies,inuadit eum febris,quando corrum pitur ſanguis,qui eſt in epate.

*Frigidioris naturæ iocinoris comites.*

Malicia autem complexionis ſiccę,ponit hu mores ſiccos,craſſos ualde,& ponit corpus totum fuſcũ, ſiccũ, & faciem mutatam,& inſpiſſat fecem,& minuit eam,quia fex deſcendit in huiuſmodi diſpoſitione ſicca,& ſequitur ſitis.

*Naturæ ſicciorìs comites.*

Maliciam uero complexionis humidæ ſequitur contrarium harum cauſarum,quia non fit cum ea ſitis, neque fex eſt ſicca,neque apparet in corpore fuſcus color,neque extenuatio,neque facies mutatur,ſed ponit humores ſubtiles ualde, aquoſos, & propter il lud fit etiam fex humida. Ita ergo oportet ut ſignificetur ſuper maliciam complexionum ſimplicium,quæ uincunt ſuper epar.

*Naturæ humidioris comites.*

Super compoſitas autem,ſi accipis plures ſignificationes ex illis,quas diximus, poſſibilis eſt tibi ſignificatio, cum iſtis eiuſdem ſignis, quæ componuntur.

*Temperaturæ iocinoris cõpoſitæ.*

Nunc ue ro redeamus ad rememorandum rectificationem harum complexionum, quando corrumpuntur. Neceſſe igitur eſt ut ſint in his duæ intentiones in curatione maliciæ complexionum, quæ ſunt in epate, ſcilicet,contra rietas ſpeciei, ex qua uincit malicia complexionis & confortatio epatis ipſius. Et prima quidem completur cum eis, quæ ſunt contraria cauſæ inuentæ. Secunda cum medicinis bonorum odorum, quæ miſcentur in rebus, quæ adminiſtrantur interius, & exterius, quia ſicut diximus multotiens, non oportet ut ſit ſtudium noſtrum in deſtruendo cauſam, quæ facit corruptionem tantum,ſed etiam ad ſecundam ſubtilitatem ipſi us membri læſi,& propriè quando lęditur aliquod membrorum principa lium,aut illud,cui eſt operatio communis,ſicut epati. In cõmunitatibus au tem oportet,ut conſideres ad huiuſmodi accidentia. In primis uero tunc ſi eſt læſio epatis,propter maliciã complexionis calidæ,tunc adminiſtramus res infrigidantes,extinguentes caliditatem ipſam,interius & exterius. Et demus infirmo aquam hordei,& reliquas ſpecies endiuiæ,& propriè ama

*Curatio calidioris intemperiei epatis.*

ram ex

ram ex eis, quia quamuis in hac non sit caliditas apparens, tamen cum ea est apertio oppilationum sufficiens, & hoc est necessariũ in omnibus ægritudinibus epatis. Conferunt etiam lactuca, olus Iamenum, quod blitum dicitur, chrisolocanna, sicla, quando fit cum aceto. Et si uirtus est debilis, & indiget multitudine cibi, tunc da ei carnem coturnicis & gallinæ. Et caueantur ab omni decoctione in qua cadunt tuguebil, id est, species quæ administrentur cibis pro condimento. Et cõueniunt ex piscibus Aradirathi. Et ex fructibus granata, mala cotonia, uua, & azaharur, & pira. Sed detur eis parum, quoniam multotiens nocet administratio eius, quod expellit semper. Et imponatur epati exterius emplastrum factum de extremitatibus uitis, & folijs rosis, semperuiuę, myrto humida, & quę sunt illis similia, sed misceatur eis aliquid ex folio, mastiche, spica odorifera, cum cera, & oleo de citonijs, & oleum factũ cum arbore mastiches, & oleo myrtino, & oleo alcola. Hæc ergo est curatio maliciȩ complexionis epatis calidȩ. Si uero uincit ipsum epar, malicia complexionis frigidȩ, tũc oportet ut detur panis infusus cum uino & chandicon, & caules decoctæ tribus uicibus, & condiantur cũ Aromatibus, & dentur ex carnibus, quæ sunt uelocis digestionis, sicut perdix, & paruę aues. Ex piscibus autem oportet ut penitus prohibeantur, & similiter ab omnibus fructibus abstineãt. Quod si malicia cõplexionis humidæ, aut siccæ fuerit in epate, oportet ut medicentur cum rebus conferentibus. Et eligantur ex eis, res de proprietate quarum est, humectare, & exiccare, preter quod appareat calefactio earũ & infrigidatio, & hoc in inceptione. Nã ipsę cum magnificant, faciunt cadere in hydropisim carnosam. Et hæc quãdo prolõgatur peruenit ad marasmon. Et eius intẽtio est eminẽtia umbilici, Propter illud ergo factę sunt utræq; simul incurabiles. Et si curant, tunc humida ꝓpinquior est ad sanationẽ, quã sicca. Et secũdũ similitudinẽ huius oportet ut cogites in curatiõe maliciæ complexionũ compositarũ. Quia, quãdo excipis cũ similib. causis, q̃s diximus, possibile est tibi, ut resistas unicuiq; specierũ maliciȩ complexionũ cõpositarũ, cũ prudẽtia & cognitiõe.

*Frigidioris intemperiei curatio.*

*Compositæ intemperiei curatio.*

*De apostematibus quæ accidunt in epate.* Cap. II.

Apostematum quę accidunt in epate, alia sunt quæ fiunt, in eius gibbositate, alia, quę in ipsius concauitate: Si in gibbo eius fuerit, tũc facilis fit eius cognitio, per tactum, pręcipue quãdo apostemata sunt magna, & lacerti qui sunt super uentrem sunt repleti. Si autem in concauitate eius, tunc cognoscitur, per accidentia, quæ sequuntur ipsum, scilicet, grauitas

grauitas in latere dextro, tussis parua, color linguæ in principio rubeus, deinde in fine denigratur, & destructio somni, sitis, quæ non sedatur, uomitus bilis flauæ qui similatur uitello oui. Deinde in fine fit, ut ærugo æris, & cum illo acidit dolor, donec infirmi mirach totum attrahitur sursum, & fortasse consequitur dolor usq; ad furculam, & inferius extenditur usq; ad terminum hypochondriorum. Ista accidētia sunt etiam communia apostematibus, quę accidunt in gibbositate epatis, quoniam apostemata quæ fiunt in gibbositate epatis, distinguuntur ab apostematibus, quę fiunt in concauitate eius. Quoniam dolor in eis fit fortior attrahendo anhelitum & excitat tussim magis, & extenditur dolor ex eis, usq; ad furculā dextram, plus, donec quasi extrahatur exterius, & apostemata quę fiunt in cōcauitate epatis diuersa sunt, ab illis quæ sunt in gibbositate epatis, per destructionem appetitus, & per nauseam, uomitum choleræ, & uehementiam sitis. Huiusmodi accidētia quæ diximus etiam adueniunt ei, in cuius epate est almesure cum febre uehementis caliditatis intēsiua, & siti uehementi. Si autem apostemata in epate sunt calida, pręter quod epar sit debile, tunc uenter constringitur. Si aūt apostema est cum debilitate, non constringitur. Et non fiunt apostemata in carne epatis sola, imò fiūt etiā in pāniculo sparso, & super ipsum & in lacertis, quę sunt supra ipsum, sed differentia est inter ea per figuram apostematis ipsius, & per qualitatem doloris. Nam apostemata quę fiunt in lacertis qui sunt in epate, non sunt elōgata. Nā si sunt in lacertis extensis, in longitudine, est eorum extensio etiam in longitudine. Et si sunt in lacertis obliquis, & in lacertis qui sunt in latitudine, tunc extensio eorum est ad latus, aut in latitudine. Et apostematum quidem quę fiunt in epate figura est decliuis ad rotunditatē, & similiter si est apostema in carne eius, tunc dolor est grauis, & si est in panniculo, qui est super ipsum, & in instrumentis quæ sunt in eo, tunc dolor est acutus. Et in apostematibus quidem calidis in principio si uirtus est fortis, & corpus repletum, est indigens euacuatione, & consentit super illud ætas, hora, tempus, & consuetudo, tunc phlebotomabis basilicam in dextro latere. Et post hæc sis studiosus in regimine, quia, necessitas regiminis certi, quum sit epar apostematum, indiget tunc cibis & potibus, & medicinis de proprietate, quarum est, ut aperiant, & illa quę secundum hunc modum non sunt uiscosa, imò in substantia sua sunt subtilia, & in qualitate sua mordicatiua. Quę autem secundum hunc modum, mordicant membrum apostematum, & stimulāt ipsum, uel excitant.

Propter

Propter illud ergo uocat necessitas ad medicinas subtiliatiuas, in quibus non est mordicatio, ut est aqua mellis. Veruntamen scis quod omne dulce obstruit splenem & epar, Illud ergo ad quod peruenit regimen sanum, est aqua hordei, quia abstergit & non mordicat, & ex medicinis secaniabin. Aqua autem granatorum, & malorum, & reliqua quæ stypticitatem faciunt, sunt ex illis quæ oppilant os stomachi, scilicet, ea in quibus est stypticitas & ponticitas, quoniam prohibent choleram euacuari, tunc addunt in apostemate epatis, & proprie quando est in concauitate eius, quia omne quod mordicat, aut omne quod oppilat facit accidere superfluitatem corruptionis, quando apostema est in concauitate epatis. Sed quādo est in gibbositate eius, tunc corruptio est minor, quàm sit in dispositionibus, quas diximus, quoniam res quæ sumūtur alterantur, antequàm perueniant ad gibbositatē epatis. Et quando apostema est in gibbositate epatis, tunc confert etiam aqua hordei quando descendit, & iuuamentum rerum quæ prouocant urinam cum æqualitate cōfert, sicut sunt aquæ in qua decoctæ sunt, radices apij. Si uerò est dolor cum inflammatione uehementi, tunc accipiat infirmus aquam solani, & aquā endiuiæ cum secaniabin. Cum ergo extenditur tempus & maturatur apostema, tunc administra in curatione apostematum quę sunt in gibbositate epatis, quę prouocant urinam cum uirtute, sicut azarum, phu, petroselinum, centauriū minus, cymæ squināti, macer, succus eupatorij, absynthium, camepythys, & reliqua quæ conformantur eis, faciunt & hoc etiam trochisci de berberis. Et administra ei in concauitate epatis, cuius est apostema, res quæ soluunt naturam, & permisce in cibis eorum, ut sunt sicla & lublep. Et in declinatione ægritudinis administra medicinas fortes, sicut aloē, agaricum, turbith, myrobalanos citrinos, & quæ sunt illis similia. Licet etiam euacuare per clysterem. Et in initio administra aquam mellis, in qua permixti sunt sal & nitrū. In declinatione ægritudinis, si remanserit ex apostemate epatis aliquid durum, ut lapis, permisce clysteri medicinas ualde fortes, sicut hyssopus, calamintha, colocynthis, centauriū minus, quia lapideitas remanet in epate, aut splene, quando negligit medicus consistentiam utriusq;, & dat infirmo cibaria uiscosa, aut non dat ei quod aperiat & abstergat. Et pone super ipsum exterius emplastra, & cerota composita ex medicinis compositis resolutiuis, & ex medicinis factis cum speciebus, & glutinationem facientibus. Et incipe in primis cum ceroto ex oleo rosato, & emplastris quibus sit, hæc eadem uirtus. Sicut

tus, sicut emplastrum, factum cum duobus santalis & cum semperuiuo. Et post maturitatem administra cerotum, & emplastra ualde fortia. Et sit materia rerũ quas exterius administras in initio, farina hordei, casb, citonia, mastix, absynthium, rosę, chamęmelũ, melilotum, semen lini, cera, oleum purum ex oleo de citonijs, & oleo rosarum. Et in fine ęgritudinis administra styracem, lilium cœleste, & mirrham, azarum, † usneam, polyum cum oleo de lilio cœlesti, & oleo de spica, de chamęmelo, anethino, narciscino, & de lilio albo. Si autem remanserit ex apostemate aliquid lapideitatis, tũc oportet ut curemus cum eo, quod dicemus paulo post. Almesure autem quod fit in epate, & est apostema calidum, communitas horum eorundem iuuamentorum est conueniens. Et secundũ proprietatem, si almesure est in concauitate epatis, tunc oportet ut administrẽtur medicinę quę euacuant cum facilitate choleram. Et si est in gibbositate eius, tunc administrentur res quę prouocant urinam cum facilitate, quia quando febris fit fortis in infirmis, cum istis medicinis, oportet ne cibẽtur cum eis, quę sunt apparentis caliditatis. Et oportet ut dentur eis cibi infrigidantes, quę non faciunt oppilationem, sicut aqua hordei, & quę sunt illis similia.

*† Aliâs usnen, id est, stercus passerum.*

*De grumis quæ accidunt epati.* *Cap.* III.

SCias quod de proprietate apostematum melancholicorum, quę fiunt in epate, est, ut medicentur in principio cum emplastris mollificatiuis cum quibus permixtę sunt medicinę, quibus cum medicantur apostemata epatis sanguinea. Cũ ergo extẽditur ęgritudo diebus multis, & figitur durities, non est possibile curare eam, sicut, inquit, Galenus in tractatu suo ad Glauconem, quia, ex necessitate est, ut hanc duritiem sequatur hydrops. Ex illis ergo qui hac ęgritudine infirmantur, sunt, qui moriuntur uelociter per solutionem naturę, quoniam quando oppilantur orificia uenarum, quę deferunt cibum ex concauitate epatis ad latera eius, tũc cibus necessario descendit ad inferiora uentris. Et ex eis sunt, qui moriuntur ex spacio longo temporis, & in curatione illorum, qui sanãtur, modus est, ut aperiantur meatus epatis & abstergãtur, quia super illud quod significat intentio, est quod in curatione eius ęgritudinis est indigentia huius tantum. Et quoniam membrũ in quibus sunt grumi, seu lapideitas ex humoribus uiscosis, crassis, fixis in corporibus suis fortes, tunc necessarium est, ut ægritudo sit frigida, & non sunt necessaria in ea nisi res quæ subtiliant, & incidunt humorum crassitudinem & resoluũt, illud quod subtiliatur, & istę

*Curatio.*

ſunt,medcinę calidę ſubtiles.Et modus tertius cum iſtis rebus,eſt,ut mem brum,in quo eſt lapideitas ſit præparatum,ut medicinę iſtę,quas diximus, inipſum penetrent. Et hoc fit quando miſcentur ei res mollificantes, quia membrum induratum ut lapis,ſi non eſt præparatum receptioni operationum medicinarum ſubtiliantium,tunc non reſoluũtur medicinæ ex eo,niſi illud qđ eſt ſubtile ex materia faciente accidere grumos lapidis inſtar, ſtatim cum approximant ei iſtę medicinę.Craſſum autem non induratur,niſi, ſicut lapis,ſuper quem accenditur ignis,& remanet,& non reſoluitur penitus propter uictoriam uirtutis ſiccitatis ſuper lapidem. Verũtamen iſti modi ſunt communes etiam reliquis mẽbris,& in epate non oportet,ut ſit magis uincens,in medicinis compoſitis,niſi quod calefacit & ſubtiliat, quoniam epar non eſt niſi ſicut res generata ab humiditate coagulata. Materiam medicinarũ quibus complentur intentiones,quas diximus,in eo quod prę miſſum eſt,iam diximus,ſed denuo repetemus.Scias ergo quod ex medicinis ſimplicibus,quę ſubtiliant craſſitudinem,& aperiunt & abſtergunt,ſunt abſynthium,grana alben,ſiſymbrium,crocus,maſtix,grana alfrigdi.radix rubeæ,radix pœonię, ſuccus eupatorij, quia ipſe etiam confortat epar, & oleũ deſpica,de maſtiche,radix centaurij minoris quando bibitur,& quando ponitur exterius,radix arnogloſſi,folia eius & ſicca, ſed melius illo eſt, ſemen eius, Et cortices radicum lauri quando bibitur cum uino odorifero quantitas medij aurei. Decoctio lupinorum amarorum, & farina eorum, quando ponitur exterius,& radix ſerpentariæ,& aliada,quia,abſtergit & mundificat omnia uiſcera,& ſubtiliat omnes humores craſſos,uiſcoſos. Et polyũ,& lacca,& chamedrys,Nam ipſę incidunt humorũ craſſitudinem, Et agaricus etiam aperit & mundat,chamæmelum autem quando ponitur deforis,reſoluit cum facilitate plus quã reliquæ medicinæ. Et ex medicinis compoſitis conferunt,medicina de lacca,diacurcuma,athanaſia,diacoſtũ. Et oportet ut ſcias quod non eſt in omnibus confectionibus quod conferat maliciæ complexionis calidę,& non conferunt niſi malicię complexionis humidę,aut frigidę,aut compoſitę ex utriſq;.Si autem in eis eſt,quod confert maliciæ cõplexionis calidæ,tũc non confert,niſi quãdo uincit humiditas,& eſt paucę caliditatis.Et conferunt iſtis infirmitatibus etiam oleum de cherua,& decoctio eupatorij,& oleũ amygdalinnm dulce, & amarũ,cum aqua de radicibus. Medicinę autem quę exterius ponuntur & mollificant duriciem,ſicut ſunt bdelliũ,medulla,adeps,& quę ſimilantur eis. Et neceſſe

*Cuiuſmodi oporteat eſſe medicinas epatis.*

*Extenuantia craßitudinem.*

eſt ut

est ut misceantur cum istis medicinis mollificantibus medicinæ, quæ prouocant urinam, sicut daucus, & est semen dauci æ syluestris, fœniculum, anisum, petroselinum, semen apij, siseleos, mirrha, & reliquę medicinæ quas diximus. Conferunt etiam res, quę confortant stomachum, & epar, sicut extremitas † uitis, rosæ, & olera quę fiunt ex illis. †Aliâs myrti,

*De exituris quæ fiunt in epate. Cap. IIII.*

QVando in epate est exitura, facit necessariam collectio saniei corruptionem. Quũ ergo administratur apertio cum ferro, est in ea uehementia magna & est impossibilis. Oportet ergo ut adiuuetur super eruptionem, ita ut misceantur in emplastris farina hordei, ficus decoctę, fimus columbarum, nitrum. Et pręcipiatur infirmo, ut comedat mel decoctũ, ficus siccas cum hyssopo, aut calamintha, & sorbeat aquam hordei, aut aquam farinæ hordei decoctam cum melle. Et semper utatur rebus quæ prouocant urinam, quousq; sanies discedat, uersus renes & uesicam, plus ualet quàm euacuatio cum solutione uentris naturali & uomitu. Et oportet ut propter illud accipiat inter dies, ex decoctiõe thymi, hyssopi, aut calaminthæ, aut centaurij, aut prassij, & hoc medicamen sequens, experientia enim compertum est.

*Medicamen conferens illis qui habent apostema suppuratum, dubelati appellatum, & est ex expertis & probatis.*

REcipe taraxaconis siccæ drach. 1. seminum almaru drach. 1. & s. fœno græci contriti drach. 1. misceantur cum unc. 5. lactis asinę, aut capræ, quod sit recenter emulctum, cum drach. 5. sacchari. Si autem cõstringitur aluus, tunc lenito eam cum pilulis de aloë, aut clysteri. Quũ ergo erumpit sanies, tũc si declinat euacuatio uersus renes & uesicam, tũc caue ab eis, quæ faciunt eam exire uersus uesicã mulũ, & caue etiam ab omni, quod facit materiã acutam, ne lædat uesicam & lædant membra per læsionẽ eius. Sed sumant semina cucumeris, citrulli excorticata, radices glycyrrhizæ, tragachantũ, penidiũ, & quę sunt illis similia. Et utantur cibis mollibus temperatæ complexionis, sicut mel, quod decoctum est cum mensura, & permixtum est aliquid de amylo, & lac, cuius aquositas est extracta, & sorbeant oua, & cibentur maluis elixatis cum decoctione hordei mundi à cortice, quod nominatur candarusium, & aqua hordei. Et utatur in hora, post horam etiam melle decocto, & uino dulci, & comedat habens hanc ægritudi- *Candarusiũ.*

 nem pisces

nem pisces aradradhi paruos, & carnem auis delitiosæ, & mollis carnis. Et si sanies euacuatur ad uentrem & intestina, tunc oportet ut comedat ex cibis, qui non constringunt naturā, neq; humectant multū, sicut candarusiū, cum syropo de malis antiquis, aut cum syropo de citonijs facto cum melle, & oua recentia statim elixata, & lac caprarū decoctum, & ytria quæ tri appellatur, & sorbitio temperata. Et si eruptio est in panniculo epatis, & euacuatur sanies in loco qui uocatur peritoneon, & est locus distinguens inter membra superiora & inferiora, & sunt membra in loco in quo aggregatur aqua in hydropisi. Tunc necessitas uocat ad administrandum ferrum & faciendam curationem paruam, super radicem coxæ dextrę, quæ nominatur inguen, & emunctorium usq; ad profundum, donec aperiatur panniculus distinguens inter membra superiora & inferiora, quod nominatur peritoneon. Cum ergo egredit̃ sanies, curamus apostemata cum emplastris, & regiminib. locū aūt perforationis, cum emplastris consolidatiuis curato.

**De oppilatione quæ fit in epate. Cap. V.**

OPpilationis quæ in epate fit causa nulla est, nisi humores crassi, uiscosi, qui aggregant̃ & coartant̃ in extremitatibus instrumentorū diuisorū in epate, uenę quę nominat̃ porta, & sequit̃ eam ex accidentibus, grauitas & dolor absq; febre, Cum ergo aggregat̃ in epate uētositas crassa, cui non est exitus, & est oppilatio, tunc penetratio abscindit̃, & prohibetur, & aggregatur repletio in meseraicis, & sunt uenæ graciles quę procedunt ex epate in concauitate eius. Et sequitur etiam uehementia apostematis partium, in quibus aggregatur, aut putrefactio humorū, qui multiplicantur. Et quādo putrefiunt & apostemantur, sequitur febris. Propter illud proculdubio oportet ut sit sollicitudo & studium de rebus, quæ euacuant uentositatem humorum, & subtiliant crassitudinem eorum, & abstergunt & mundificant, & non cum eo tantum quod in potu sumitur, sed cum eo, quod exterius ponitur. Medicinæ autem simplices, quæ in potu sumuntur in huius ægritudinis curatione, & conferunt, sunt oxymeli factum cum aceto scyllitico, & eupatorium, cum decoctione lupinorum amarorum, Et decoctio corticis capparum, & radicis schœnosanthos, & radicis fœniculi, & radicis capparum, & lilium cœleste, & mastiche, & anisum, Rheum Indicum, Raued seni dicitur, lacca, rubea, fœnugræcum, cassia lignea, passulę mundatę, ficus cum oleo, amygdala dulcia, & amara. Agaricus uero cū succo eupatorij, nō est minoris apertionis

& mundifi-

& mundificationis, quàm ea quæ diximus. Similiter herba absynthij, aut succus eius, polium, radix rubeę, spica, succus centaurij minoris, gentiana, acetum scylliticum, & syropus factus ex eo. Ex medicinis autem compositis, quæ fiunt, sunt diacurcuma, & dialacca, & confectio facta cum epate lupino, & quæ nominatur Athanasia. Et quando uolumus mundificare epar & aperire uias strictas, quæ sunt in eo, pręter quod calefaciamus ipsum, aut infrigidamus ipsum, tunc incipiamus cum medicamine bono, quoniã amaritudo uincit in eo ualde. Et in medicamine quod submergitur, facto cum camæpithyos, est eadem uirtus, quia etiam est amarũ. Nõ ergo est mirum si confert camæpithyos maliciæ complexionis epatis, cum sumitur ex eo, & cum radice endiuiæ amaræ.

*Medicamentum ex spica Romana.*

ET medicamen factum ex spica Romana est iuuatiuum non paruum, similiter, & eius permixtio. Recipe spicæ Romanæ partes treis, absynthij partem unam, terantur & cribellentur, & conficiantur cum melle despumato, & administretur. Spicæ uerò non est uirtus fortis in huiusmodi ægritudinibus, imò possibile est ut curetur cum ea epar, quod infrigidatum est & induratur. Et iuuamentum, trochiscorũ de absynthio, de lacca, de Rheumbarbaro, de aniso, quando bibuntur, est paruum. Confectio autem de Rheumbarbaro confert, quando accipitur cum aqua petroselini, & quidem dant in potu lac chameli, cum medicinis, quas diximus. Sed qui sit pastus fœniculum, apium, endiuiã, scheam, chamæmelũ, alcohen albam, radices squinanti. Confert etiam solutio naturę cum Hiera Picra, absynthio, polypodio, agarico, quando accipitur cum aniso, semine apij, mastiche, azaro. Et quando his medicinis uis uti necesse est, ut addas eis quasdã medicinas prouocantia urinam. Et confert oppilationi uehementi præcedenti extractio sanguinis, etiam quando phlebotomia fit ex iunctura dextra, & extrahitur cum mensura phlebotomiæ. Exterius conferunt emplastra facta cum farina lupinorum, & polio, rubea tinctorum, & semina prouocantia urinam. Hactenus de curatione oppilationis.

*De malo corporis habitu & inceptione aquæ inter cutem. Cap. VI.*

SCiendum quod malicia habitudinis, est habitudo quędam, quæ est, in inceptione hydropis, & hanc ægritudinem sequuntur hæc accidentia. Primum quod apparet ex illo, est inflatio in toto corpore, & propriè in digitis manuũ & pedum, & in facie, deinde fit color faciei & cor-

poris totius decliuis ad albedinem. Et post illud accidit etiam malicia digestionis, & uehementia appetitus, & mollificatur corpus totum & inflatur, & massę fermẽtatę assimilatur, acciditq; solutio naturę inordinatę, Interdũ nanq; soluitur supra modum, & interdum stringitur ex toto, & minoratur sudor & urina, & sequitur grauitas motus, & pigritia, & generãtur in uentre uentositates multæ, & accidit uentositas multa in mirach, & inflatio in duobus testiculis, & caliditas in gingiua. Et cum illo fit difficilis consolidatio ulcerũ, si accidat ut fiant in corpore ulcera, propter corruptionem humorum retentorum in eo, & corruptionem humiditatũ, quæ attrahuntur ad ea. Curatio ergo malicię habitudinis non est ita in rebus euacuantibus, sicut est in alteratiuis, quia illi cum quibus malicia habitudinis est ex hęmorrhoidibus de cõsuetudine, quarũ est ut accidant post incisionẽ cum ferro multotiens, & illi qui elongãtur à sanitate donec aggregatur in corporibus materia multa mala, oportet ut phlebotometur & euacuetur sanguis, secundũ mensurationẽ in tribus diebus aut quatuor. Reliquis, autẽ ab illis, non extrahat̃ sanguis penitus, si non est necessitas, cõtingens propter aggregationẽ materiei in corpore, & si non cõsentit ętas, tẽpus, regimen, uirtus, & quę sunt illis similia. Et est necesse illis quorũ pręcessit rememoratio, ut utãtur euacuatiõe cum Hiera Picra ante extractionẽ sanguinis, & post ipsum, quia extrahit materiã naturę terribilẽ, plusquã extrahat propriũ naturæ materiẽ, oportet etiã ut administres reliquas medicinas solutiuas. Et post euacuationẽ necesse est, ut exhibeas etiam res exiccatiuas, soluẽtes humiditatẽ in membris, confert etiam in hoc, multũ ablutio cum aquis salsis, aluminosis, & nitrosis, ac sulphureis, & exercitiũ temperatũ, descensus in mansionibus propinquis mari, & plus omnibus confert uomitus ante cibũ. Iuuantur etiam cum clysteri acuto liquefactiuo. Necesse etiam est, ut conuertamus plurimũ studij nostri ad prohibendum quod non aggregetur in corpore infirmi aliqd, ex superfluitatibus, imò administremus semper qđ soluit humiditates extraneas, cum pilulis factis ex pulpa colocynthidis, polypodio, agarico, epithymo, scãmonea, aloẽ, & reliquis quæ euacuant humiditates extraneas. Curatio ergo quæ confert huic ægritudini propriæ est, quàm diximus, nunc de hydropisi dicemus.

*Curatio.*

## De Aqua inter cutem. Cap. VII.

HYdrops aut fit ex epate, quãdo forte fit frigus, aut ex sanguine frigido, qui aggregatur in reliquo corpore. Fit etiam ex multitudine frigoris membrorũ aliorum de proprietate, quorũ est, ut infrigidãt corpus.

pus. Verũtamen iecur infrigidatᷓ, aut ex apostemate sclirotico, & est apostema melancholicũ, aut ex mutatione magna quæ sequitᷓ complexionem subito, sicut consequitᷓ illum qui bibit multã aquam frigidã & malam, etiam non sua hora subito, nam illud est ex eis quæ infrigidant mẽbra, quare infrigidatᷓ etiam epar per cõmunitatem eorũ. Et membra quidẽ quæ infrigidãt epar, aut infrigidãt uenas, quę sunt in gibbositate eius in primis. Mutaturq; epar totũ cum illo in spacio longi tẽporis, & sunt sicut pulmo, uelamen, & renes. Aut infrigidant uenas quæ sunt, in cõcauitate eius, & sunt sicut splẽ, stomachus, & intestina, nam de consuetudine eorũ est ut lædant, quãdo uenit ex eis frigiditas ad epar secundũ inæqualitatẽ. Fit etiam hydrops ex euacuatione sanguinis superflua, quando infrigidatᷓ epar frigore superfluo, & debilitatᷓ sicut cursus sanguinis menstruorũ, quando ægritudo est ab æqualitate. Et qui euacuatᷓ ex hæmorrhoidibus, quãdo est superfluę quãtitatis. Aliquotiẽs uero fit ex ægritudinib. acutis, sed illud non fit absq; medio. Cũ ergo mediũ est egrediens ab æqualitate, donec accidat in epate coruptio cõplexionis calidę, siccę, supra mensurã, tunc ipsum dissoluit uirtutẽ eius & accidit hydropisis. Species uero hydropisis sunt tres, una quidẽ earũ fit, ex multitudine humiditatis, quæ aggregatᷓ inter peritoneon & uelamẽ, quod est inter mẽbra inferiora & supiora, & inter intestina. Alia fit ex uẽtositate, quę replet ista loca. In tertia uidetᷓ corpus totũ sicut corpus mortui, qđ iam inflatũ est. Prima earũ est, quę nominatᷓ ἀσκίτης, Secũda τυμπανίτης, Tertia ὑποσάρκα, & in omnib. speciebus hydropis, inflatio pedũ est accidẽs cõmune, quoniã caliditas innata eis est debilis, & non expellunt uapores, ad illud quod apparet de corpore, ꝑpter illud ergo fit qđ uenit ad pedes, secundũ modũ cibi, resoluitur ibi & mutatur ad superfluitates malas. Qđ si dixeris, quare non inflantur manus? dicemus, quoniam manus sunt propinquę cordi, & quoniam cor est fons caloris naturalis, tunc iuuãtur a calore naturali, & non cõsequitur eas hæc corruptio. Alia causa, quia manus sunt facilioris motus quã pedes, propter multitudinẽ ergo motuũ suorũ resoluitᷓ quod effunditᷓ ad eas. Tertia causa est, qa de uaporũ crassorũ proprietate est, ut descendat natura inferius, propter illud ergo facit pedes inflatos. Et diarrhœa est accidens commune in hydrope, quæ accidit in locis uacuis uiscerum, quando accidit eis apostema, & si læduntur per apostema, tunc est ægritudo hydropisis. Et hoc fit ex duabus habitudinibus horũ locorũ, aut quãdo in eis est malicia cõplexionis prauę, & significãt illud dolores qui sunt in umbilico, uẽtre & anchis, & non resoluuntᷓ potu medicinarũ, neq; euacuatiõe,

*Tres hydropis species.*

aut propter apostema melancholicum quod fit in eis, & sequitur ipsum diarrhœa, quia cibus quãdo non peruenit ad epar propter coartationem eis accidentem, ex apostematibus ex repletione uenarum quibus fit penetratio, tũc ex necessitate quando cibus grauat super intestina, expellũt ipsum statim ad inferiora, & adiuuat super illud mordicatio, quæ generatur ex corruptione horum ciborum. Hydropisim autem quæ fit propter apostema epatis, sequitur motio tussis, & diminutio eorum ex eo, quod descẽdit ex fece, & siccitas. Si autem cum tussi fit sputum & fœtor, tunc non speratur de infirmo, sicut, inquit, Hippocrates libro 7. Aphorismorũ, sententia 48. His uerbis: Aqua inter cutem laborãs, si à tussi habeatur, deploratum est. Quia, hoc significat, quod pulmo iam repletus est istis materijs, propter illud ergo moriuntur uelociter, quoniam anhelitus eorum constringuntur & præfocantur. Et differentia inter hydropem, quæ accidit ex epate, & inter speciem, quæ fit ex locis uacuis uiscerum, est, quoniam inflatio quæ fit ex epate, descendit sub digitis, quãdo tangis eam super molliciem & remanet locus eius submersus, & post paululum redit ad habitudinem primam, & non est altera, quia causa inflationis illic est phlegma, & hæc causa eius est uentositas. In hydropisi autem quę fit propter membra anhelitus, tussis est accidens proprium, & inflatio crurium etiam, & proprie in hydropisi quę fit ex pulmone. In omnibus autem speciebus hydropisis, si est in aliquo uiscerum apostema, tunc necesse est, ut nostrum studium sit, ad rectificandum epar cum rebus, quas diximus in præcedẽtibus. Et administremus in primis emplastra quæ conueniunt, & potiones quæ conueniunt, donec resoluatur apostema & maturetur. Quod si in aliquo ex uisceribus non est aliquid apostematis, studium nostrum sit in rectificatione ægritudinis ipsius. Et administremus in speciebus hydropisis communiter res euacuatiuas, incisiuas, exiccatiuas exterius & interius. In Ascite, si non est possibile administrare medicinas, aut infirmus abhorret illas, tunc oportet ut administremus curationem cum ferro, si consentit ætas, tempus, & uirtus, & non euacuemus aquam uice una, imo paulatim, ut nõ debilitetur uirtus. In hydropisi autem carnosa, quam hyposarcam nominant, si principium est tantum propter abscisionem sanguinis, qui currit ex hæmorrhoidibus, aut prohibitionem sanguinis menstrui, aut ex causa repletionis sanguinea, tunc oportet ut properemus statim cum extractione sanguinis. Et sicut in igne, quando proijciuntur super ipsum ligna multa humida, & adpropinquat, ut extinguatur, *Comparatio.*

gũatur, eſt res magis iuuatiua remouere ligna ab eo, ſimiliter in caliditate innata, quando adpropinquat ut extinguatur, propter multitudinem ſanguinis uehementis frigoris, eſt maius iuuamentum extractio ſanguinis, in quacunque hora fuerit anni. Poſt extractionem ſanguinis, oportet ut adminiſtremus omnes ſpecies euacuationis aliâs, quoniam ſuperfluitates uincentes ſunt fixæ in omnibus membris corporis, & ſunt indigentes reliquis ſpeciebus euacuationis. Et propter illud eſt neceſſe, ut adminiſtremus ſolutionem uentris & expulſionem naturæ, & gargariſmata, & reſolutiones reliqui corporis totius. Quomodo autem omnia adminiſtranda ſint, & cui materiæ unumquodq; conueniat, nunc ordine diſtinguam, ſumpto à diæta exordio. Dico ergo quod exercitium conuenit in iſtis infirmis plus quàm omnes res, cum uectatione abſq; labore uehementi, imò ſit infirmus in aſcenſu, per illud quod uehitur, & poſt hoc ambulet ſuper terram parũ, & ſit terra ſuper quã incedit plana, & multiplicetur in ea puluis, aut arena, & ſint cũ infirmis, qui aſſiduè inungãt, fricando crura eorũ, & reuoluãt manum ſuã ſuper eam fricatione, quę ſit in ungẽdo. Et abſtergant infirmi inungendo corpora ſua cum manibus ſuis, quoniã humiditates craſſę, quæ ſunt in eis, ſubtiliant̃ hac operatione & reſoluũtur. Et eſt neceſſe medicanti, ut mẽſuret quantitatẽ motuum, & qualitatẽ eorum, ſecundũ quantitatẽ uirtutis, fortitudinis, & quantũ infirmus tollerare poſſit, ſecundũ quantitatẽ neceſſitatis, deinde poſt exercitiũ redeat ad adminiſtrationem calefactionis, quia in ea, eſt hydropiſis iuuamentũ magnũ. Si aũt ſol eſt calidus ualdè, tũc oportet ut eligat̃ calefactio cum eo, qa calefactio eius penetrat uſq; ad profundũ corporis cum æqualitate, donec exiccat quaſdã humiditates, & attrahit quaſdã earũ ad ſuperficiẽ corporis, & ſubtiliat quaſdã, & facit eas ue locis reſolutionis, & uiuificat corpus & exiccat uirtutẽ animalẽ, quæ eſt in corpore, & augmentat caliditatẽ innatã, quoniã uirtus ſolis, natura facit illud, in reliquis corporib. in quibus eſt uita, qa ipſa etiam facit naſci plantas & nutrit eas, & maturat fructus, & generat ſuccos, & propter illud facit redire corpora, in quibus debilitata eſt uirtus innata ad ſanitatem. Cęterũ in loco in quo ſedent hydropici in ſole, non ut uentus flet oportet. Et calfaciendi ad ſolẽ tẽpus eſto, ſolis curſu ſupra caput exiſtẽte, & oportet ut caput ſit totũ & dimittantur reliqua mẽbra nuda, detecta. Et oportet ut fiat illud ſemper ſuper arenam maris, & iaceat infirmus ſuper eam, & cooperiatur reliquum eius corpus, quia arena quando calefit caliditate ſolis, exiccat

*Medici officium.*

*Calor ſolis.*

*Inſolãdi ratio.*

& ſugit

& fugit sicut spongia humiditates. Quum ergo currit ex eis sudor, ex calefactione, tunc oportet ut inungãtur uice una cum oleo, & uice alia terantur nitrum rubeum contritũ assatum cum sale assato, & inspargãtur super corpus, quia calefactio in balneo humectat, & facit acquirere humiditatem & molliciem. Verum non indiget qui est in hac ægritudine nisi calefactione exiccante, non quę humectet. Propter illud ergo necesse est, ut utantur ablutione cum aqua calida salsa, quando indigent quiete ex labore exercitij, aut angustia calefactiõis. Administratio autem ablutionis cum aqua maris facta, & natatio in ea sit post diminutionẽ ægritudinis, Nam cum administratione harum rerum duplicatur iuuamentum magnum. Et in ablutione cum aquis thermarum resoluuntur ægritudines hydropicorum, quando consequitur ęgritudo terminum suum. Et oportet ut ex thermis eligantur calidiores, sicut illæ in quibus est nitrum, aut alumen. Et ex cibis dentur eis, illi qui sunt uelocis digestionis, & qui non grauant stomachum, & alleuiatur eorum descensus, præter quod alterentur ad aquositatem uelociter, sicut panis furni, in quo sunt semina quædam resoluentia uẽtositatem, sicut sunt semen fœniculi, apij, aut anisum, aut ammeos. Et oportet ut prohibeantur à comestione panis multi, quia quamuis bonus fiat panis, tamen non est possibile ut extrahat̃ ab eo crassitudo tritici, & eius oppilatio. Propter illud ergo si possibile est, ut sit comestio eorum cum mensura, uel pondere, non abbreuientur in illo, ut comedant ipsum cum aqua ciceris. Si aũt uolũt comedere aliquid ex oleribus, absoluãtur ex eis cãpestria quę calida sunt, siserum, calamintha, & olus quo dicitur dabrime, folia carui, fol. baucíæ, folia apij, & reliqua olera calida subtilia. Quibusdam etiam horis, licet ut accipiant de asparago, sicla, & aliquid ex maluis, porro, & chefolor, & sunt radices porrorũ mabati. Ex auibus syluestribus, sicut sunt coturnices, perdices, turtures, canebith, & quę sunt eis similes. Ex animalib. quadrupedib. hœdi, gazeli postq̃ ista decoquunt̃ cum quibusdã rebus quę subtiliant. Et teguebil si desiderat infirmus, ut comedat ea assata, cura, neq; enim in illo malũ. Cibent̃ etiã ex iure pisciũ aradradhi paruorũ, in iure enim horũ pisci um non est aliquid ex superfluitatibus, postquã proijciunt̃ in decoctione anisum, cinamomũ, & piper. Et prohibeantur à comestione granatorum, & ꝓprie illis qui habent Tympaniten, & comedãt ex nucleis pistaceorũ raro & ex uua, dactylis, uice tarda. De uino aũt non oportet ut utant̃ ullo modo ante cibũ, neq; cũ ipso, sed expectẽt post comestionẽ spacio lõgo. Deinde bibant

*Olera conferentia hydropicis.*

*Chefolor.*

bibant parum uice una ex decocto antiquo, claro, mundo, quia huiusmodi uinum prouocat urinam, & conseruat uirtutem, augmentat caliditatẽ innatam, abscindit sitim, & est medicamen magnũ hydropicis, melius omnibus reliquis medicinis. Ita ergo oportet ut sit regimen hydropicorũ. Et oportet ut nũc redeamus ad medicinas quę conueniunt eis. Ordine ergo nunc eas describam. *Vinum uetus clarum.*

*Curatio per medicinas.*

EX iuuamentis nobilibus in principio huius ęgritudinis est uomitus, & oportet, ut administretur secundũ diuersos modos, quandoq; em̃ administrat̃ ante cibũ, alia uice aũt post cibũ, & magis cõueniens est ille qui fit post cõmestionem raphani. Et oportet ut administret̃ frequẽter, in principio ægritudinis ante aggregationẽ humiditatũ, & multitudinẽ earum, & antequã debilitet̃ uirtus, & antequã attrahat̃ mirach ad inferiora, resiste ei cum uomitu, qa humiditates quando multiplicant̃, fit uomitus difficilis, & non possunt res quę resoluũt, resoluere ęgritudinẽ. Igit̃ necesse, ut redeamus ad administrationẽ medicinarũ quę euacuant, aquã uel minuunt, scilicet, quę educũt superfluitates extraneas cum urina, & cum solutiõe uẽtris. *Vomitus.*

Medicinę simplices quę educũt aquam cum solutione uentris sunt, succus herbę quę nominat̃ Ansir, & est alhacathir, quia hic euacuat hydropicum cum uirtute sufficienti, quãdo bibit ex eo quantitatẽ unc. 4. cum dimidia. Conferũt & folia eius, quãdo ponunt̃ deforis super loca inflata & eleuata, sed adponant̃, dum sunt humida, quia resoluũt humiditatẽ, & stringunt, & inspissant corpora quę mollificata sunt. Confert etiam aqua oleris quód nominat̃ kachyle, quãdo sumit̃ ex eo quãtitas lib. medię cũ saccharo. Confert etiam olus quod nominat̃ midarne in calefactione intestini, & est almezerion, similiter & aqua alkekengi. Alij utunt̃ succo radicũ lilij cœlestis, & squama ęris, quãdo sumit̃ ex eo drach. 1. cum uino bono pmixto. Euacuat enim aquã euacuatiõe sufficienti, similiter facit æs ustũ. Et oportet ut sumatur squamę æris quantitas 4. dauic, usq; ad 3. & qui est fortis sumat aureum, sed sunt nociua ambo stomacho, quapropter oportet ut conficiantur ante cum quibusdã rebus conferẽtibus stomacho. Et succus colocynthidis quãdo accipit̃, euacuat euacuatione sufficienti, similiter scãmonea, & uinũ dulce in quo infunditur colocynthis. Et ex eis quę minuunt aquam citrinam hydropisis etiam est almezerion, quãdo infunditur in aceto & exiccatur, & accipitur cum eo esula, cum quantitate necessitatis. Et euphorbium, quãdo acccipit̃ ex eo aureus, cum melle despumato & decocto, minuit *Aquagia.*

aquam

aquam citrinam & phlegma. Et similiter ammoniacum, quando accipiuntur ex eo quasi aurei duo cum melle. Serapinum etiam & semen urticę, quando excorticatur & conteritur, & conficitur cum melle despumato, & deglutitur. Ipsum enim minuit aquam hydropisis. Verum oportet ut non tangat linguam, ut epiglottim non adurat. Quidam autem medicorum dicunt, quod caro eritij confert habentibus hydropem carnosam, quando exiccatur, & teritur, & bibitur ex ea. Et omnes istæ res quas narrauimus, euacuant aquam hydropis cum solutione naturæ, illæ autem quæ prouocant urinam, sunt sicut calamintha, quando decoquitur cum aqua, aut cum aqua mellis, & bibitur. Et Azarum, ammeos, petroselinum, radices apij domestici & syluestris, asparagus, daucus, meum & Valeriana, acorus, spica Indica, spica Romana, polyum, chamępithys, siler mõtanus, semen fœniculi, & quæ sunt illis similia. Et hæc mutentur uicissim, quia illud quod homo consueuit accipere multotiens, fit sicut cibus. Et oportet, ut terantur istæ duæ medicinæ multum, quãtum possibile est, quia quando accipiuntur secundum habitudinem, sunt facilioris penetrationis, & peruentionis ad loca læsa, donec submergantur in eis. Istæ ergo medicinæ sunt simplices. Ex istis autem medicinis simplicibus, cõponuntur medicinę aliæ iuuatiuæ hydropicis ualde, ex quibus fiunt pilulæ, & confectiones, & quæ sumuntur contritæ, & quæ sumuntur cum lacte chamelarum. Ex pilulis autem, quæ conueniunt hydropicis, sunt pilulæ Philagrij, & pilulæ de serapino. Et meliores istis sunt pilulæ Bieren, Et pilulæ quę dicuntur pilulæ Bessaiæ, & pilulæ Sirach Arcuntyros. Et eius intentio est rex medicorum. Et reliquę pilulæ quę conueniunt huic habitudini, & quę continentur libro octauo. Ex confectionibus quę conferunt sunt dialacca maior & minor, & confectio Inda, quę nominatur kelkelengi, & Athanasia. Confert ex istis medicinis contritis etiam medicamen Philagrij.

*Medicinæ identidem uariandæ.*

*Globuli hydropicis conferentes.*

*Pharmacum Philagrij.*

RECipe squamę ęris, foliorum almezereon, anisi añ. partem unam, teratur & detur ex eo aureus 1. debilem habenti uirtutem, forti autem, & robusto aureus 1. & dimidius.

*Alius modus.*

RECipe corticis ęris drach. 1. teratur & misceatur cum medulla panis, fiant pilulę & deglutiantur, extrahit enim aquam cum uirtute.

Aliud

*Aliud pharmacum Philagrij.*

Recipe æris usti drach. I. & tria folia rutæ, & fimi columbini drach. I. & aliquid salis masse detur totum in potu cum uino. Si autem infirmus non sumit, & prolongatur ægritudo, & non obedit, Damus ei lac chamelarum diebus multis, postquam precipimus infirmo ut abstineat a cibo & potu, si est possibile, & demus ei cum lacte chamelarũ etiam aliquid de urinis earũ, cum myrobalanis citrinis, aniso, semine apij, sale Indo, & quę sunt illis similia. Cum ergo potamus eos tribus diebus, demus eis pilulas de serapino. Quod si uirtus est debilis, & non potest sumere ex pilulis de serapino, neq; tollerare multitudinem medicinarum, & euacuationem multam, damus ei lac chamelarum, cum drach. I. de serapino. Et quidem administrant in hydrope, presertim in Anasarca potum urinarũ caprarũ cum spica Romana. Et quidam administrant in solutione uentris medicamen, quod nominatur Iethemedah, & eius intentio est alymbil. Et exterius administra emplastra de proprietate quorum est ut resoluant, quod est in uisceribus & leniant omnia membra, quę sunt in concauitate corporis totius, & resoluũt ac incidunt humiditates, quę sunt sub panniculo, sicut emplastrum factum cum gummi pini, razieniti, nitro, adipibus uaccę, & cum ammoniaco, & farina thuris, & quę sunt illis similia. Conferunt etiam limacię incombustæ, quando teruntur cum cochleis suis, & ponuntur super uentrem hydropicorum, ita ut adhereant annexione qua sit difficile auellere eas, ipsę nanq; exiccant exiccatione sufficienti, & dimittãtur donec a seipso cadant. Et sunt qui liniunt hydropicos, stercore uaccino solo, cum oxymelite, & precipiunt eis ut iaceant in sole. Et quidã utuntur linimento cum stercore caprarũ solo, aut cum medicinis alijs. Quod si in epate est aliquid apostematis, tunc oportet ut fiat emplastrum cum herba absynthij, granis alben, spica, croco, & extremitatibus uitis, mastiche, meliloto, chamemelo, & oleis aromaticis. Et si in reliquis est membrũ lesum, fiat ei emplastrum cum semine lini, fœnogreco, farina nigellę, passulis mundatis, farina fabarum, & quę sunt illis similia. Et quoniam ex infirmis sunt, qui non tollerant administrationem medicinarum solutiuarum & prouocantium urinam, minuentium aquam hydropisis, & eligunt super potu medicinę, perforationem uentriũ suorũ, de hoc parum loqui necesse uidetur. Nos uidimus multos, quibus facta fuit perforatio uentris, & non euasisse ex eis nisi paucos, & ipsi quoniam post perforationem uentris usi fuerunt motu, & exercitio, & erant uirtutes eo- *Historia.*

rum etiam remanētes,& corpora non erāt extenuata multū, propter illud reor aliquos euasisse. Quapropter oportet ut nō administretur perforatio, nisi in corporibus quorum uirtus est fixa, & sanitas eorum est secundū quantitatem necessitatis sufficiens, & non descendit ad extenuationem & macilentiam, sed tamen quantum necesse est fiat perforatio cum cautela uehementi, quādo curamus eos, & faciamus eos cognoscere uehemētiam, quā habet cum perforatione, & timorem in quo est mors.

*De hydrope cum febre.* Cap. VIII.

SI cum hydropisi est febris, non oportet ut administres res quæ calefaciūt, neq; exterius super uiscera, neq; cum cibis & potibus, imo est necesse ut detur infirmo aqua solani, & aqua alkekengi, apij, alkakillæ cū lacca abluta, & Rheubarbaro, croco, & myrobalanis citrinis. Et proprie conferūt species endiuię amarę, & non sumant in potu cōfectiones calfacientes, neq; medicinas solutiuas multæ caliditatis, quoniā ipsę confortāt febrem & sitim, & adurant uiscera & apostemata, quia hydrops quæ fit ex ægritudinibus acutis non pertransit, ut sit nisi cum apostemate sanguineo, quod nominatur phlegmone. Propter illud ergo non est ei sanatio, quoniā non est possibile ut calefaciemus in ea, neq; infrigidemus. Quia res quę infrigidant nocent hydropisi, & res quę calfaciunt addunt in nutrimento incendij, & igneitatis, propter illud est necesse, ut curemus illos cum rebus temperatis, postquā nos resistimus ei quod ex utrisq; est maius. Nam si febris est magna, uincens, administramus res infrigidantes, quia de proprietate febris est, quando sedatur calor præter naturā, & fit caliditas naturalis æqualis, ut fiat uirtus fortis mutatiua, generatiua sanguinis, & generat sanguinē laudabilem, quare propter illud sanatur hydropisis. Febris enim ut destruatur non est possibile, nisi per illud quod ei resistit, & hydropisis non quiescit plane, nisi in primis quiescat caliditas extranea, quoniā caliditas etiam quādo prolongatur, possibile est ut generet hydropisim. Iam ergo oportet ut consideres omnes causas quæ præcesserunt, & quæ ex eis sunt presentes. Quum ergo stas super corruptionem complexionis uincentis, tunc presume super curationem eius, & non audias consilium eorum qui conueniunt in hoc, quod oporteat omnes calefieri hydropicos, siquidem non est uerum. Ego cognoui multos ex illis qui infirmati sunt hydropisi, ex caliditate & sanati sunt curatione infrigidantium, & iam certificatum est ei qui considerat id cum intelligentia, quod illud est possibile, ut sit ita. Nam si est

æquale

æquale & fixæ uirtutis, ex causa sanationis, tunc manifestum est quod corruptio complexionis, est causa debilitatis uirtutis. Et quando accidit in epate caliditas egrediens à æqualitate, tunc corrumpitur eius uirtus mutatiua & non mutatur cibus ad sanguinem, sicut oportet, Quare accidit tunc hydropisis. Quando uerò curamus curatione extinguente, donec redeant omnia membra ad æqualitatem, & refrenatur caliditas egrediens à natura, tunc generatur in epate sanguis conueniens, præter quod prohibeat ipsum aliquid. Iam ergo necesse est, sicut dixi, ut laboremus semper, quatenus stemus super causam facientem ægritudinem, hoc enim est unum ex canonibus. Et canones artis Hippocraticæ non destruuntur, & contraria non sanant nisi contraria.

### De morbo Arquato, quem Græci ἴκτερον uocant. Cap. IX.

Icterus quam Icteritiã dicunt, nihil est, nisi uictoria bilis citrinæ in toto corpore, & non uincit hęc, nisi quoniã aut non mũdatur ab ea corpus, secundũ quod est necesse, aut quod ipsa generatur amplius quã est necesse, aut ex aggregatione duarum rerum simul. Et causa prima non est nisi aut ex ægritudine, quę accidit in epate, aut in felle. Quia epar, quando apostematur aut induratur sicut lapis, aut oppilantur meatus eius, donec oppilant materię meatus, quibus mũdificatur fel ipsum, & coartãt ipsos, tunc necessariò quando permiscetur sanguis cum felle, & effunditur sanguis cũ felle mixtus ad omnia membra corporis, accidit ex ea icteritia. Et fellis fortasse lęditur totum corpus, & fortasse accidit in uno meatuum eius, aut in meatu, scilicet superiori, quo recipit cholerã ab epate, aut inferiori, in quo descendit fel ad intestina, & unusquisque eorum lęditur. Aut propter debilitatem, quę consequitur eam ex malicia complexionis, aut ex aliqua re apostematis, quod accidit in eo, & prohibet à penetratione. Quia meatus superior, quando debilitatur, tunc oppilatur donec non attrahat choleram, ab epate, & mundet ipsum, tunc fel apud illum permiscetur cum sanguine, & spargitur in reliquum corpus. Et secundum hanc formam etiam in meatu inferiori, quando non expellitur fel ad intestina, secundum consuetudinem naturalem, tunc ipsum redit ad superiora cum acuitate, & figitur in reliquo corpore. Et in ipso corpore fellis fortasse accidit, quod accidit in uesica recipiente urinam, quando impletur supra mensurã, quia, quãdo ipsum extenditur ex multitudine fellis quod aggregat in eo, & mollificatur adeò donec non potest expellere cholerã ad inferiora, sed redit ad supiora e contrario

Icterus ex liene.

trario rei naturalis. Et iam accidit huiusmodi icteritia ex doloribus splenis etiam, quia quando splen apostematur, aut debilitatur, donec non potest attrahere superfluitates melãcholicas ad se, tũc illę superfluitates permiscentur cum sanguine & sparguntũ per reliquas uenas, & perueniunt ad omnia mẽbra, & faciunt icteritiã. Quod si accidat etiam apud mundificationẽ cholerae citrinę, aegritudo aliqua uasi mundificanti, accidit icteritia permixta ex colore citrino, & colore nigro. Hęc est ergo res cholerę, quãdo nõ euacuatur propter debilitatẽ mundificantis, causa aũt quę ipsum facit generari plus quã necesse sit, est aut ex aliqua lęsiõe in epate, aut in uenis, aut in utrisq; simul, aut propter aliquid quod peruenit ad utraq; simul deforis, quoniam quũ in toto iocinore malicia cõplexionis uehementer calidę & siccę, aut in uenis, aut in utrisq; simul, donec muteẽ sanguis qui est in utrisq; ad cholerã, tunc accidit icteritia necessario ex sanguine cholerico, qui effundiẽ ad mẽbra. Quod aũt accidit deforis, tunc ipsum aut est ex eis, quę comedũtur, aut ex medicinis, aut ex ueneno, quia de proprietate ciborũ dulciũ, & unctuosorum est, ut alterẽtur uelociter ad cholerã, & secundũ hanc formam, sunt medicinę calidę acutę, quando accipiuntur assidue. Sed & uenenũ quando peruenit ad corpus, corrumpit omnes humores, qui sunt in eo, & mutat eos ad acuitatem uenenosam. Verũtamen totum quod narrauimus de istis rebus semper, non faciunt icteritiam, nisi secundum semitam accidentis. Et haec est causa tertiae icteriae, quia icteria fortasse accidit secũdum semitam crisis, praeter quod sit causa eius, aliquid eorum quae narrauimus, quando expellit natura cholerã ad exteriora corporis, & facit accidere hanc icteritiam. Si autem accidit hęc icteritia in principio ęgritudinis, illud est ualde malum, testante Hippocrate qui, inquit: Icteritia facta in febribus ante septimum diem, est mala, sed si appareat icteritia post digestionem, tunc ipsa significat consummationem aegritudinis, & mundificationem corporis, & uirtutem naturae. Et tuum est cognoscere differentiam inter utranq;, secundum hunc modũ, quia quãdo icteritia accidit in febre, & resoluitur febris, apud apparitionẽ eius statim, tunc est crisis bona. Et quãdo remanet febris post apparitionẽ, & non resoluitur, tunc icteritia non est nisi secundũ semitam accidentis, non secundũ modum crisis. Et iterũ icteritiã quę accidit ex phlegmone in epate, aut in duobus meatibus mundificantibus fel, sequitur grauitas in latere dextro & febris. Icteritiam uero quę accidit ex oppilatione, sequitur proculdubio grauitas, sed febris quandoq; accidit cum ea, & quandoq;

Dulcia facilè trãseunt in bilem.

quandoq; nõ accidit. Et similiter quãdo est in latere dextro ebullitio absq; grauitate, tunc significat corruptionem complexionis aliorũ membrorũ. Veruntamen omnes istę icteritiæ species, quas diximus, fiunt subito. Illa autem quę accidit ex corruptione cõplexionis uenarũ, aut ex cibis qui sumũtur, additur secundũ dies paulatim. Tua ergo interest, ut differentiam facias inter icteritiam quę fit ex epate, & inter illam quę fit ex felle, quando diligenter consideras urinam & stercus, quia si tingit̃ egestio cum felle, tunc non est ægritudo in felle, & meatibus eius, imò in epate. Quod si egestio est alba, tunc signat læsionẽ duorum meatuum mundificantiũ fel, & si urina est remanens secundũ calorem suum naturalem, tũc non est ægritudo in epate. Quod si color urinę est cholericus acutus, tunc significat lęsionẽ epatis, si urina est decliuis ad nigredinem, significat dolorẽ splenis. Egestio etiam in icteritia facta ex splene non est multę albedinis, quia natura retinetur, & exiccatur multum in huiusmodi causis. *Quibus signis discernatur inter icterum ex iocinore, et liene.*

*Curatio Icteritiæ.*

SI icteritia est secundũ semitam crisis, tunc non est uehemens necessitas euacuatiõis cum medicinis. Quia sufficit in curatione eius ablutio cum aqua calida, dulci temperata, & inunctio cum aliquo ex oleis resoluẽtibus, subtiliantibus, sicut est oleũ chamęmelinũ, anethinum, & oleum de lilio. Si autem icteritia est ex alia causa, tunc si accidit causa apostematis calidi facti in epate, tũc est necesse ut extrahat̃ sanguis, ex uena basilica titillari manus dextrę, quia non est magis iuuatiuũ in apostemate epatis quã est extractio sanguinis, & post illud accipiat aquã solani, & aquã endiuię, & cuscutę cum oxymelite. Cum ergo apparet digestio in urina, tũc oportet ut accipiat ex aloẽ bona cum aqua olerũ, quę diximus, & succo eupatorij. Quantitatẽ uero cuiusq; eorũ, ut tu discernas secundũ quantitatẽ uirtutis, confert etiam aqua hordei cum quibusdã rebus, quę prouocant urinã cum facilitate, sicut est, radix apij, aqua mellis subtilis, & ponat̃ super epar exterius emplastrũ ex duobus santalis, & emplastrũ ex semperuiuo. Si autẽ causa generationis icteritię est ex malicia cõplexionis in epate, aut in uenis, aut in utrisq; simul, tunc attrahatur sanitas ad maliciam cõplexionis cum rebus, quas firmabimus in sermone de epate, & euacuet̃ cholera cum decoctione myrobalanorũ citrinorum, fumi terrę, absynthij, prunorũ, tamarindorũ, & herbæ

eupatorij, radicis apij, fœniculi, passularũ mundatarũ ab interioribus suis, agarici, turbith, & Hiera Picra, sale Indo, & reliquis, quæ sunt eis similia. Confert etiam illis potus aquę casei coagulati cum oxymelite, quando accipitur cum myrobalanis citrinis, sale Indo, saccharo alhusir, & pòst illud utantur balneis & medicinis quæ prouocant urinam. Si autem icteritia est ex oppilatione, tunc oportet ut administrentur res, quę abstergunt in primis & aperiunt oppilationem epatis, sicut sunt trochisci de aniso, & semen apij, amygdalæ amaræ, azarum, absynthium, postquã miscentur cum turbit, agaricus, sal Indi, & fiunt ex eis pilulæ, & sumantur & nutriantur ex cibis ac potibus qui currunt hoc cursu, & incidunt & subtiliant crassitudinẽ humorum. Et post illud administretur medicamen quod euacuat cholerã. In illis autem quæ non iuuantur potu medicinę solutiuæ, oportet ut iteres, dando eis in potu medicamen quod sit magis uehemens illo medicamine uice secunda, & sit forte aperitiuum. Et oportet ut euacues eos secundo, secundum quantitatem quam tollerat uirtus. Et confert in hac specie icteritiæ etiam uomitus, fortasse enim aperitur oppilatio per motum laboriosum, quẽ facit accidere uomitus. Et confert eis quibus accidit icteritia ex oppilatione capparis conditus cum aceto, & fœniculum, sicla, apium, carnes animalium syluestrium sumptæ cum aceto scyllitico, & anisum, cymi-

Victus. num bibant ex uino quod est subtile, medium inter recens & antiquũ, quoniam recens generat oppilationem & humores crassos, & fortasse antiquũ conuertitur ad choleram uelociter, oportetq; ut caueat in omni regimine suo à facietate & paucitate digestionis. Cholera autem quando multiplicatur à susceptione ciborum, aut ex medicinis calidis, cholericis, tunc oportet ut euacues ipsam cum medicinis solutiuis, cum regimine temperato. Illi autem quibus aduenit icteritia ex corruptione complexionis calidę, oportet ut nutriantur ex cibis cum eis, quę infrigidant & humectant cum æqualitate, sicut aqua hordei, quia significat æqualitatem, & sunt cum ea abstersio & apertio, & non oppilat, & pręcipuè quando miscetur cum ea aliquid ex aceto. Cõfert & illis etiam aqua cucurbitę assatę, quando bibitur, & endiuia syluestris, pisces aradradhi decocti cum aceto, & apio, & secundum hanc dispositionem carnes pullorum, coturnicum, decoctæ cum aqua agrestæ, & aqua granatorum acetosorum, cum apio & melle, & medulla citrulli, aut medulla cucumeris. Ex panis conueniens est, cuius fermentatio

est

est bona, præter quod sit mundus, ut sit digestio eius uelox & non corrumpatur. Ex carnibus confert eis caro ericij, quia prouocat urinam. Et ex medicinis confert illud, in quo est uirtus quę subtiliat, aperit & prouocat urinam, & quod est ex hac proprietate ex medicinis simplicibus, ex eis quæ conueniunt illis qui habent icteritiam absq; febre, est gentiana, apium, costus, aristolochia, polyum, centaurium, † arthanita, & quę sunt illis similia. Illis autem quę cum icteritia habent febrem, conferunt acetosa, endiuia, solanũ, semen atriplicis, succus absynthij, radix rubeę, capillus ueneris, & horum omnium est magnum iuuamentum in icteritia. Confert etiam aqua raphani, & folia ipsius, similiter & rasura cornu ceruini, quãdo bibit drac. 1. cum unc. 4. uini permixti, conferunt Icteritiæ iuuamentum magnum. Et amygdalæ amarę cum aqua hordei, & sulphur, quando teritur & puluerizatur ex eo in ouo sorbili, & sorbetur, iuuat. In emplastris autem quæ ad ministrantur in latere dextro, oportet ut proijciatur ex herba absynthij, & cymis squinanti, quia resoluunt apostemata, & aperiunt oppilationes. Medicinę autem solutiuę, quę conueniunt ad icteritiam, sunt, aloë, scãmonea, succus cucumeris asinini, agaricus, elleborus niger, myrobalani citrini, & similia illis. Si autem uincit cholera nigra, tunc conueniunt illis epithymus, Lapis Armenus, myrobalani nigri, polypodium, & similia illis. Et ex illis componuntur pilulæ iuuatiuæ, sicut sunt quas narro.

Pharmacá. † Arthemisia.

*Modus pilularum ad icteritiam conferentium ualdè.*

Recipe agarici drach. 7. Hieræ Picræ, cuscutæ añ. drach. 6. myrobalanorum citrinorum, seminũ atriplicis añ. drach. 5. epithymi, myrobalanorum nigrorũ añ. drach. 4. salis Indi, seminis raphani, scãmoneę añ. drach. 3. anisi, sem. apij, sem. fœniculi añ. drac. 2. Sũma specierũ ingredientium sunt tredecim. Terãtur, & cribellentur, & cõficiantur cum aqua pluuiali, aqua fol. raphani, non decoctorũ, & fiant pilulę similes granis piperis, & sumãtur, sitq; dosis drach. 2. aut parũ plus, cuilibet secundũ suã uirtutẽ, & si mundificat corpus ex cholera, & non est in epate & felle ægritudo, & remanet in oculis, & reliquo corpore citrinitas, tũc oportet ut curemus cutem cum oleis resolutiuis, & abstersiuis, sicut est oleum laurinũ, & quæ sunt illis similia. Et exhibeamus ablutionem cum aqua dulci. Citrinitatem uero

oculorum cum medicinis fortibus, quæ submerguntur in aliquo, quæ funduntur in nasum, cum quibus fit caputpurgium, sicut succus arboris marinæ, & athanasię, & succus cucumeris asinini, quando resoluitur unusquisq; eorum per se, & misceatur cum lacte, & fit cum eo caputpurgium, confert etiam succus siclę, quia omnes eradicant citrinitatem, & euacuant crassam choleram, annexam capiti & mouent eam.

*De ægritudinibus splenis & curatione eius.* Cap. X.

*Quatuor uirtutes lienis.*

IN splene etiam fiunt ægritudines melancholicæ diuersæ, sicut fiunt in epate, quia accidit in eo debilitas aliquando, & apostema interdum. Et sunt in eo quatuor uirtutes sicut in epate. Vna earū est, quę attrahit sanguinem melancholicū ab epate. Secūda est, uirtus digerens hunc sanguinē quo nutritur. Tertia, quę expellit superfluitates melancholicos ad stomachū. Quarta, qua retinetur melancholia & sanguis crassus qui effundit̃ ad ipsum, donec recipiat digestionē. Dū ergo uirtutes istæ permanent remanētes, secundū dispositionē suam naturalē, tunc mundificat̃ corpus a superfluitatib. melācholicis, sicut oportet, & spleni etiam non inest ægritudo. Et quando debilitatur una earum, tunc nocumentū ingreditur super operationem, quę completur per eam, quia, si debilitatur uirtus attractiua, quæ est in eo, tunc effunditur sanguis melācholicus ab epate, ad totum corpus, præter quod sit mundus, & propter hoc denigrat̃ color eius, & accidit ex eo icteritia Nigra, ut diximus in capite de icteritia. Si autem debilitatur uirtus mutatiua quę est in eo, tunc secundum quantitatem, qua mutatur eius humor melancholicus, qui effunditur ad ipsum, sunt accidentia in corpore. Quia si est decliuis ad acetositatem, facit accidere uirtutem appetitus cibi, quando effunditur ad os stomachi, & si aduritur, facit accidere tristitiam melancholicam, & fortasse facit accidere subuersionem stomachi. Et nonnunquam accidentia alia multa, quando sunt multæ dispositiones. Virtus autem retentiua, quæ est in eo, quando debilitatur, tunc sequitur euacuatio humoris melancholici indigesti, quandoque per uomitum cum nausea, & quandoque per solutionem uentris, secundum declinationem superfluitatis & quantitatem eius. Et ista quidem accidentia, accidunt etiam ex uehementia uirtutis expulsiuæ, quando expellit natura hunc humorem & euacuat ipsum secundum semitam mundificationis, quando multiplicatur in corpore, supra modum, sicut diximus, quia accidit in epate quando expellit

pellit sanguinē ad mundificationem. Et discernitur inter utrasq; per superfluitates, quę continuantur in eis, ex eis quas facit accidere natura per facilitatem tollerantię eius, qui habet hanc ægritudinem, & per maliciam euacuationum ipsarum. Debilitas autem uirtutis expulsiuę facientis solutionē uentris, quę est in eo, facit accidere diminutionē appetitus, quia superfluitas melancholica effunditur ad os stomachi ex splene, per naturam, donec excitet appetitum & commouet ipsum. Propter illud ergo quando abscinditur ista superfluitas, debilitatur appetitus. Apostemata autem quæ fiunt in splene non sunt secundum plurimum, nisi dura, lapidosa propter crassitudinem humoris, qui uenit ad ipsum, & fortasse fit in eo etiam phlegmone, quia in eo sunt arterię multę continentes sanguinem calidum ualde, & iam extenditur & coartatur, uel opprimitur splen etiam ex uentositate inflatiua quæ continetur in eo. Et significatur in primis super apostemata quæ fiunt in splene per tactum proprie, quia propter duritiem ipsorum consequitur ea tactus uelociter, & quibusdam horis ex dolore qui accidit in furculā & in spatula sinistra, quia quando dolet uelamen, id est, diaphragma propter dolorem splenis, quando tunica, id est, diaphragma communicat etiam dolorem, quoniam dolor peruenit ad furculā & spatulam, quando peruenit tunica ad dolorem per uiam communitatis. Quapropter omnes quibus in splene eorum accidit dolor propter apostema magnum, spirāt in spiratione ueloci, frequenti & intercisa. Sicut pueri qui plorant, quia quando pectus dilatatꝰ, mouetur cum eo splen apostematū. Propter illud ergo dolet etiam, & propter illud quiescit pectus, inter illud quadam tranquillitate spacio quodam, quando addit in dilatatione, donec impleatur quod diminutum est ex eo. Et propter illud duplicatur attractio aëris, & cognoscuntur etiam apostemata facta in splene ex grauitate, quæ accidit in latere sinistro ubi est splen. Si apostema est phlegmone, tunc accidunt ebullitio & dolor ex grauitate & tensione. Si uero melancholicum, absque ebullitione, & non est caliditas, neq; dolor, imo accidit grauitas in duritie fixa. Communitas autem splenis ad epar in dolore, quando dolet, facit accidere hydropisim etiam, sicut superius diximus. Et uentositas quæ inflat splenē, & apostemat ipsum, & opprimit eum, cognoscitur per hoc, quod ipsa expellit tactum, & tensionem uehementem absq; grauitate.

Curatio

### Curatio ægritudinum splenis.

SI autem ægritudines sunt, quæ fiũt in epate & splene simul, similes propter similitudinem horum membrorũ, scilicet, unius eorum cum altero, tunc significationes ambarũ, secundum plurimũ, non sunt, nisi significationes unæ, & curatio etiam eadem confertutrisq;. Veruntamen oportet ut medicinæ quibus curatur splen sint uehementioris fortitudinis, quoniã nutrimentum est crassius nutrimento epatis, quãdo comparatur cum epate. Et propter illud sunt plures medicinæ, quibus medicatur splen, amaræ, donec agant in ipso & sumuntur cum aceto, & miscentur in eis genus stypticorum, ut conseruetur operatio membri, quia de consuetudine splenis est, ut attrahat sibi fecem sanguinis ab epate. Quando autem non potest attrahere fecem sanguinis, effunditur sanguis ad reliquum corpus, præter quod . Propter illud est necesse ut effundatur sanguis ad reliquum corpus, ut conseruetur uirtus eius, donec attrahat quod cõuenit ei, & assimilatur ei ex cibo, & per hanc operationem spargitur sanguis in reliquũ corpus, & iam colatus est. Et est possibile etiam ut expellat superfluitates quæ generantur in eo ad uentrem, donec egrediantur per solutionẽ uentris cum superfluitatibus ciborum. Si autem in splene accidat oppilatio, tunc oportet ut administrentur quæ diximus, in curatione oppilationis epatis, & addamus res fortes ualde. Et secundum hanc formam etiam oportet, ut faciamus in corruptione complexionum simplicium in eo. Et est necesse ut administremus in eo illas res, quas diximus, in sermone de epate, & addamus in curatione eius. In curatione autem horum apostematum calidorum quæ fiunt in splene, oportet ut incipiamus à phlebotomia uenæ basilicæ lienaris manus sinistræ. Deinde infirmo demus in potu aquam solani, & aquam apij, & aquam extremitatum salicis, & aquam tamarisci, & aquam foliorum algarab, & endiuiæ cum extremitatibus capparis humidi, & oxymel. Ad uentositates aũt crassas quę coartant splen, & apostemãt ipsum inflãmatione quę fit in eo, oportet ut incipiamus ab inunctiõe cũ oleo de absynthio, deinde ponamus sup ipsum emplastrũ quod fit ex alumine & sulphure, & nitro, & kelkalibat, pice, opopanaco, & sollicitisimus ut sit uirtus styptica, austera magis uincẽs in rebus quibus utimur in curatione, & sit uirtus resolutiua minor. Si aũt apostema est lapideũ, tũc est necesse ut sit uirtus resolutiua magis uincens, & uirtus styptica minor. Quę autem medicinę sint naturę, ex medicinis simplicibus est flos salis, hic

enim

enim ſanat lapideitatē ſplenis, quando cum eo fit emplaſtrū deforis. Et confert apoſtematibus mollibus uel inflatis, & uētoſitatibus craſſis, uaporatio cum furfure decocto cum aceto & anetho, quia natura furfuris eſt, ut reſoluat quod eſt in ſplene, reſolutione mirabili, & mundificat craſſitiem eius. Cōfert etiam uaporatio facta cum aceto uini fortis, in quo decocta ſunt ruta, calamintha fluuialis, † uſnea & nitrum. Et ex eis quę conferunt ualde, eſt uaporatio cum aceto, in quo decocta ſunt folia capparis recentia, caules, folia agni caſti, nux cupreſſi, & fructus tamariſci, & quæ ſunt illis ſimilia. Si uero non eſt caliditas, proijciantur in uaporatione ammoniacum, bdelliū, & poſt illud adminiſtrentur emplaſtra facta ex ficubus decoctis cum aceto, contritis permixtis cum meliloto, ruta, & nitro. Et conferunt ad uentoſitates proprie factas in ſplene, uentoſę quę ponuntur ſuper ſplenem & in eis flamma ignis, & attrahunt ualde cum uehementia. Confert etiam ad punctionem uentoſitatis ſub ſplene, & hoc medicamen.

*Furfuris natura.*

*† Uſnea.*

*Pharmacum ad lienis flatus.*

SVmātur naſturtij albi drach. 30. terātur, cribellētur & conficiant cum aceto uini fortis, & fiant ex eis trochiſci ſubtiles, parui, & ſint in furno ut panis, aut ſuper patellam, donec exiccentur & non cōburantur. Deinde terant & cribellētur, deinde miſceant cum eis granorū agni caſti drac. 10. & fructus tamariſci drach. 5. ſcolopēdrię drach. 7. aggregent contritę & cribellatæ, Et dent ex eis drach. 3. cum oxymelite. Lapideitas aūt facta in ſplene in hac diſpoſitiōe, nō fit niſi ex ſanguine craſſo, aggregato in apoſtemate. Et non eſt poſſibile ut euacuet hoc uelociter, ꝓpter craſſitudinē ſuā, neq; fit facilis eius reſolutio. Et ꝓpter illud indiget medicinis quæ reſoluāt & incidāt, & ſubtilient, pręter qđ in eis ſit caliditas apparēs, qa aggregatio humoris annexi cum eo, & craſſitudo eius non ſit fortis, & uincit niſi ex cōtrario illius & multiplicat eius exiccatio. Et propter illud diximus, qđ nos miſcemus in medicinis, qbus utimur ad ſplenē duas ſpecies ſimul, ſcilicet, amarā, quoniā eſt calida, & ſtyptica, & permiſcent cū iſtis medicinis aliæ, quoniam ſunt conuenientes in rectificatione earum, donec fiant ex eis emplaſtra & ungenta, ſicut pix, galbanum, terebinthina, ſeu colophonia, & cera, & quæ ſunt illis ſimilia. In aceto autem & oxymel, & proprie aceto ſcyllitico, & oxymel facto ex eo. Iam præceſſit ſermo, & non adminiſtramus in primis acetum, & ſecaniabin in curatione ſplenis lapidei, niſi quoniam de proprietate ambarum eſt ſubtiliare & incidere craſſitudinē humorum & uiſcoſitatem,

uiſcoſitatem pręter quod calefaciant, & non eſt neceſſe ut ſimus cōtenti ſu per illud, quo curamus ſplen durum cum medicinis fortibus deforis tantū, ſed curemus eum etiam interius, quia tollerat illud facile abſq; anguſtia & nocumēto. Et medicinæ ſimplices quæ ſunt cum hac proprietate, ſunt, cor tex radicis capparū, ſcolopendria, fructus tamaricis, & extremitates eius, & ſalicis, & ſemen agni caſti, acorus, ſuccus centaurij minoris, chamædrys, chamępithys, ammoniacum, decoctio lupinorū amarorum, quia omnia iſta quando permiſcentur cum aceto ſcyllitico, aut cum oxymelite ſcyllitico, & ſumuntur, Conferunt ſpleni lapideo iuuamentum manifeſtum multum. Et confert etiam hoc medicamen quod nominatur Calſaduhir, & eſt, praſſium. Conferūt etiam almil ſylueſtre, & fructus tamariſci, botin arboris, & praſſium, quando accipiuntur, uel decoquuntur cum aqua in qua extinguitur ferrum ignitum, ipſa enim reſoluit duriciem ſplenis ualde, & facit etiam ſimile illius hæc aqua, quando ſumuntur ex ea ſola unc. 5. permixta cum aceto, idęm facit & chamędrys. Et ex eis quæ conferunt ex medicinis cōpoſitis, ſunt, trochiſci de capparibus, & quidam trochiſci qui conferunt pari modo, quos deſcripſimus in libro ultimo. Confert etiam theriaca diateſſaron, etiam cum hac decoctione.

*Decoctum ad ſpleneticos, & eſt iuuatiuum ualdè.*

REcipe ſeminis agni caſti, fructus tamariſci, florum rubi qui ſunt extremitas eius, foliorum capparis, & fructus eius, calaminthę fluuialis, eupatorij, abſynthij, ſcolopēdriæ añ. drach. 10. rubeæ drach. 5. laccę drach. 5. Rheibarbarici Seni drach. 4. nucis cupreſſi drach. 20. decoquantur cum aceto forti & coletur. Et dentur ex ea unc. 2. ieiuno.

*Aliud decoctum ad apoſtemata quæ fiunt in ſplene.*

REcipe ſcolopendriam ſolam, decoque cum ſucco foliorum tamariſci, & da in potu aquam in qua decocta eſt axeula. Aut accipe axeulam & ablue eam cum aqua bis aut ter, deinde proijciatur in ollam & decoquatur bene cum aqua, & coletur ex illa aqua quantitas librę medię cum unc. 1. uel duabus ſecaniabin, & detur in potu. Aut ſumatur radix capparis, agni caſti, & infunde in aceto uini fortis diem & noctē, deinde exiccentur, & dentur ex eo omni mane drach. 3. cum ſecaniabin.

*Aliud medicamen ad ſplenem.*

REcipe ſcolopendriæ drach. 5. polij drach. 3. Rheibarbarici Seni drachmas 2. croci drach. 1. ſucci abſynthij drach. 2. ſpodij, laccæ añ. drach.

drach.5.Summa ingredientium ſunt ſeptem. Terantur & cribellentur, & dentur ex eo drach.2.cum ſecaniabin.Si ergo reſoluitur lapideitas ſplenis cum iſtis rebus quas diximus,quando adminiſtramus eas ſecundum quod oportet, & ſanatur, non indigemus adminiſtratione medicinarũ fortiorũ eis.Et ſi remanet durities in ſplene,tunc oportet ut ponãtur ſuper ſplen etiam uentoſę,poſt ſcarificationẽ,etiam phlebotoment̃ iugulares uenę in collo lateris ſiniſtri.Confert etiam cauteriũ quando cauterizatur in quinq; locis,aut ſex,& cuſtodimus ipſum locum cauterij ſpacio longo,ut non cõſolidetur,illi enim non indigent alia curatione. Quod ſi infirmus non ſuffert ignem,fac ſtare medicinas acutas loco cauterij, ſicut ſunt emplaſtra facta cum ſinapi, & corticibus radicũ eupatorij, & corticũ radicis capparis,nitro,calce non extincta,& aceto, & quę ſunt illis ſimilia.Etiam probatũ eſt experimẽto in curatione lapideitatis ſplenis etiam hoc medic[illegible]ius hic eſt conficiendi modus.

*Emplaſtrum duritiei lienis conducibile.*

SVmatur tabula tarſea ſecundum menſuram ſplenis,& liniatur melle faui, & pulverizetur ſuper ipſum ſinapi non contritũ, & fiat cum eo emplaſtrum ſpleni, & dimitte illud dum tollerat infirmus, & expectat ſuper ipſum, deinde ablue ipſum cum aqua tepida.Si autem non reſoluitur lapideitas per huius medicinę adminiſtrationem,tunc oportet ut demus ei lac camelarum cum his pilulis.

*Pilulæ ſpleneticis conuenientes cum lacte Camelarum.*

REcipe Hierę Picrę, myrobalanorũ citrinorũ,turbith añ.drach.10. agarici,foliorũ lauri ſiccorũ añ.drach.7.ſcolopẽdriæ,fructus tamariſci añ.drach.5.polij,aniſi,ammoniaci,bdellij añ.drac.3. ſalis Indi drach. 2.terantur medicinę ſiccę & infundãtur,ammoniacum,bdellium cum aceto uini.Terant̃ & cõficiantur cum eo medicinę,& fiant ex eis pilulę & dentur drach.2.cum lacte camelarum.Et oportet ut ſit paſtus camelarum,apium,fœniculum,folia lauri,folia tamariſci,radix ſquinanti,ſchea,& quę ſunt eis ſimilia.Cibi qui conueniunt lapideitati in epate, ipſi conueniunt lapideitati factę in ſplene,uerũtamen diuerſi ſunt in multitudine & paucitate.Si autem magnificatur oppilatio adeo,donec non ſit poſſibile ſpleni,ut attrahat fecem,quę eſt in ſanguine ab epate,tunc apparet Icteritia nigra,quando remanet illa fex in ſanguine & non attrahitur. Nam ſpargitur in corpus totũ cum ſanguine,& generat Icteritiam nigram.

### Medicamen aliud conferens lapideitati splenis.

RECIPE climiæ, pyrethri, spicæ, terræ thuris, an. partem unam, terantur & cribellentur, & decoquãtur cum aceto, & ponatur super splen. Et sumantur in primis cerę drach. 2. olei & aceti quantum necesse est, & decoquantur, & inungatur ex eo latus sinistrum, & super ipsum ponatur ex medicamine decocto cum aceto super tarsen. Liniatur super ipsum & ponatur super splen ad horam unam, aut plus. Deinde remoueatur & cooperiatur infirmus, donec sudet, deinde sedeat in tina. Nam quando facis illud tribus diebus, tunc ipse mingit sanguinem & sanatur.

### De Ictero nigro. Cap. XI.

ET quoniam icteritia nigra accidit etiam pręter læsionẽ epatis, tunc necesse est ut inquiramus in primis, unde sciamus quod icteritia nigra quandoq; accidit ex læsione epatis & splenis. Dico ergo quod nos scimus illud ex istis significationibus, quia, si icteritia est uehementis nigredinis, tunc est ex ægritudine splenis, & si est nigredo leuis, tunc est ex genere epatis. Et significationes secundæ sunt, quia, si egestio est nigra, uehementis nigredinis, tũc ægritudo est in splene, & si est paucę nigredinis, tunc epar est læsum. Quia fex sanguinis non euacuatur nisi ex epate, sed ex splene nihil euacuatur nisi humor melancholicus. Propter illud ergo, est egestio in doloribus splenis uehemẽtioris nigredinis. Tertia significatio est, quia si splen est durũ, læsum, significat quod icteritia non accidit nisi ex eo. Et si non est durum, neq; lęsum, tunc epar est causa faciens icteritiam. Quarta species icteritiæ est illa, quæ est composita ex cholera citrina, & melancholia, & fit quãdo, ista duo membra simul læsa sunt, scilicet epar & splen. Et quia iam ostensa est differẽtia inter icteritiam nigram factam ex læsione splenis, & ex læsione epatis, nunc dicamus curationem illius.

### De curatione Icteritiæ nigræ.

HVius autem speciei icteritiæ cura in principio est, cum phlebotomia uenæ basilicæ manus sinistræ. Et post illud, solue eos cum decoctione facta secundum hunc modum: Recipe myrobalanorum citrinorũ mundatorum drach. 20. myrobalanorũ nigrorum drach. 10. chebulorũ drac. 7. fructus capparis, scolopendriæ añ. drach. 5. ellebori nigri drach. 1. polypodij drach. 4. passularum enucleatarum drach. 20. pruna 30. iuiubarum 20. tamarindorũ drach. 20. decoquãtur cum libris aquę usq; ad libram, & proijciantur desuper, dum est calida epithymi Cretensis drach. 5. Confricentur

centur manibus,& coletur ex ea media libra cum drach.1.de Hiera picra, & aureus 1.agarici,& turbith tantundē,& multotiens eos euacuare est necesse.Et si illud potare aliquid prohibeat ex debilitate uirtutis,aut alijs prohibentibus,& est illic febris,& calor superfluus, damus aquam solani, & aquam endiuiæ,cuscutæ, fœniculi, apij,& aquam extremitatum lauri, & aquam foliorum capparis recentis,foliorū raphani,& secaniabin. Si autem non est illic calor,tunc oportet ut demus lac camelarum,post euacuationē sufficientem cum decoctione prædicta,& sumant lac cum myrobalanis nigris,epithymo, sale Indo,& agarico. Quod si lac non adsit,oportet ut demus aquam casei cum medicinis prædictis,& fiat aqua casei ipsius cum secaniabin accepto ex radicibus apij,fœniculi,& radice squinanti, aniso, polio, scolopēdria,fructu tamarisci,fructuq; capparis,seminibus fœniculi,sem. apij,& quæ sunt illis similia. Et nutriamus eos cum pullis factis cum aceto,apio,carnibus hœdi decoctis cum aceto,& capparibus conditis cum aceto, & melle mundo.Et bibant secaniabin factum secundum quod narrauimus, & ponatur super splen deforis unum ex emplastris cōuenientibus huic speciei,de quibus dicemus in libro postremo.

### *De apostematibus quæ fiunt in renibus & uesica.* Cap. XII.

Apostemata facta in renibus sequitur dolor in locis uacuis secundum hoc tantum,quod si apostema est in substantia renum carnosa, sentitur cum eo grauitas in loco,& si est in panniculo apostema cōtinente eos,aut in concauitate ipsorum,aut in uijs urinæ,quæ procedunt ex eis, tunc dolor est acutus, & sequitur illud, quod infirmus non potest stare rectus,neq; ambulare.Et si est ibi motus uoluntarius,aut inuoluntarius, sicut sternutatio,aut alius ex illis,qui sunt ei similes,tunc clamat infirmus,& conqueritur.Et est illi difficile dormire super uentrem, imò plurimum quietis eius est, in resupinatione super dorso , quia, membrorum apostematorum quies est,† ut sint acubitata & quieta,& non sint suspensa,& propter illud plurimū quietis illorū est in resupinatione super dorsum suum. Et dolor qui accidit ex apostemate renum,quandoq; tenditur usq; ad epar, & quandoq; usq; ad anchas,uesicam & uirgam,quia si apostema est in rene dextro, quoniam est propinquus epati , existens in eo quod est inter extremitates eius,est sensus doloris in loco,in quo est epar.Et si apostema est in rene sinistro,tunc plurimū extenditur dolor uersus inferiora,sed quādo apostemantur ambo simul,peruenit dolor per cōmunitatem cū eis usq; ad uias urinæ, † ut sint suspensa.

quæ oriuntur ex utrisq;, & ex illo loco peruenit dolor ad uesicam in qua aggregatur. Et iterum quando apostematur uesica, dolet cum ea uirga annexa collo eius, & forsitan nō sentitur descensus huius doloris, & nocumentū eius ad hunc locum semper, neq; frequenter, imò intercisim, & sparsim. Et dolent cum ea etiam anchę, & infrigidantur extremitates membrorum, & proprie crurū & pedum. Vrina aūt in principio subtilis, aquosa, & tingitur in fine & rubet. Et quoniam apostemata renum sunt uehementia, & sunt ue locis lapideitatis, tūc ex eis sunt quibus omnino non est curatio, sed firmantur & prolongantur, & liquefaciunt corpus, & extenuant ipsum. Quum ergo perueniūt corpora ad hāc habitudinē, subtiliantur anchę & liquefiant, & spasmantur ac debilitantur crura, & ex eis sunt quæ perueniunt ad collectionem saniei, de quo in sequentibus dicemus. Et cognoscūtur apostemata facta in uesica ex dolore qui accidit in loco, & ex coartatione quæ sentitur in anchis & pectine, & ex inflāmatione uehementi, & uomitu specierū cholerę non permixtarū, & ex difficultate urinę sequente illud, & asmate, & siti uehemēti, frigore manuū & pedū, qui forsitan non calefiūt. Et ista quidē accidentia fiunt in iuuenibus secundū plurimū, & eis qui sunt infra eos, sicut ætas eorū quibus non nascūtur pili in pectine, & qui sunt infra illud, sicut ætas adolescentiū & ante illud parū. Et sequunt hęc duo mēbra quādo apostemantur, scilicet renes & uesicā, febris, & dolor capitis, & uigiliæ, & rubedo oculorū & faciei, & ledunt a cibis calidis, & potibus, & medicinis.

*Notæ abscessuum uesicæ.*

### *Curatio apostematum quæ fiunt in renibus & uesica.*

IN principio quidem, si est in corpore repletio sanguinis multi, & uirtus & ætas, ac tempus, & quæ sunt eis similia, conueniunt super illud, tunc oportet ut phlebotomemus uenā, causa apostematū calidorū accidentiū hijs duobus mēbris, id est renibus & uesicę. Et post euacuationē sanguinis, non sufficit ut sciamus demonstrationē ex mēbris lęsis tantū, secundū quod oportet nos facere, sed ex diuersitate doloris qui accidit etiā in utrisq;, qa in istis duob. mēbris simul est uirtus operationis, quę mūdificat superfluitates aquosas pmixtas sang. qui est in uenis. Propter illud ergo est necesse, ut declaret qualiter sit hęc aquositas retēta in uenis, quę sunt in corpore toto, nā si est calida, ꝓhibemus ab administratiōe medicinarū, quę ꝓuocāt urinā, & mūdificant. Euacuatio aūt supfluitatū, est cōmune iuuamētū reliquo corpori. Verū medicinę calidę, quę ꝓuocāt urinā, & euacuāt supfluitates, sunt nociuę renib. & uesicæ ualde, qa urina transit per hęc duo mēbra necessario.

Quapropter

Quapropter nocumentũ eueniens ex acuitate harum medicinarũ,est maius quàm iuuamentum,quod consequitur mundificationem earum. Apostemata enim ex quibus fiunt dolores in istis mẽbris, nunq̃ fiunt, nisi ex sanguine qui resudat in eis. Est ergo necesse ut procedamus & inquiramus an apostema quod est in istis membris,quia est ex sanguine qui inspissatur in apostemate ipso,an sit subtilis,cholericus,an crassus & melãcholicus,an uiscosus,phlegmaticus,an sit uacuus ab istis qualitatibus. Sed sit species naturalis eius remanens,secundum habitudinem suam naturalem,& post illud oportet ut consideremus in quantitate & multitudine spissitudinis ipsius,& paucitate ipsius,quia si est subtilis in qualitate sua,diminutus in quantitate, & est eius spissitudo pauca,tunc euacuatur cum pauco medicamine uelociter,aut propter illud quod facit natura,per se tãtum absq; medicina. Et si est multus,crassus,uehementis spissitudinis,tunc indiget medicinis quæ subtiliant & aperiunt cum uirtute. Verum plures medicinarum quæ sunt cum hoc modo,sunt calidę uel acutæ,& administratio medicinarum calidarum uelociter excitat apostemata. Propter illud ergo oportet ut eligatur medicina,quę incidat & subtiliet absq; mordicatione,& absq; labore,donec euacuentur ista membra apostemata. Et hæc est, sicut, est aqua mellis, ex qua quando tu permisces illud,quod sumitur de ea secundum quantitatem specierum apostematis, & multitudinem eius,lucraris illud de quo est studiũ absq; labore & detrimento. Quantitatem uerò eius quod bibitur,oportet te ponere per mensuram speciei qualitatis humoris mali permixti cum sanguine,quia natura infirmitatis facit necessariã prohibitionem ab eo,quod bibitur ex toto,donec remaneant membra apostemata tranquilla, quieta, quãdo non transit super ea aliquid omnino,cum non sit aliquid iuuatiuum magis,neq; rectius quàm hoc. Cum ergo operatio horum membrorum sit inuoluntaria,& propter illud non sit possibile prohibere & seruare eam donec quiescant,tunc oportet ut inquiramus de humore retento in uenis. Nam si est aquosus,minuimus ex potu quod possibile est,& redimus ad reliquas curationes,quæ administrantur cum rebus quæ sunt extrinsecus. Si in uenis est humor malus retentus in eis,acutus,mordicatiuus,tunc oportet ut detur ex eo quod bibitur,quod sit multum conueniens, quia humor superfluus,acutus,mordicatiuus, quando permiscetur cum eo quod bibitur multo conuenienti,est nocumentum quod ex eo prouenit mẽbris apostematis parum. Damus ergo in hac hora etiam propter maliciam humo-

ris sorbitionem subtilem æquantem maliciam humorũ sedãtem acuitatem eius, & ponimus illud quod bibitur proprie, aquã claram & reliqua regimina ponimus secundũ quod exigit apostema calidum & febris, & facimus illud usq; ad horã digestionis. Cum ergo iam uidemus apostema maturatũ, damus medicinas prouocantes urinã. Et si indiget natura solutione uẽtris, tunc non oportet ut leniamus eam cum medicinis solutiuis. Veruntamen oportet ut sit plurimũ euacuationis cum clystere lenitiuo, & faciamus hoc clystere cum aqua in qua decocta sint althęa, malua, semen lini, fœnogræcum, & oleum sesaminum. Confert etiam aqua hordei subtilis, quando clysterizatur ex ea cum oleo cum quantitate qua non lędantur membra læsa, neq; grauet intestina. Cum ergo lenitur natura, pone super locum læsum lanam inunctã oleo calido, in quo decoctũ est anethum, & oleum in quo decoctum est althęa. Et emplastra oportet ut fiant ex farina, quæ decocta sit cum aqua mellis. Et post maturationem etiam oportet ut misceantur cum emplastris Alfassora, polyum, camępytheos chamędreos, squinantum, & sint ex farina quatuor partes, & ex medicinis, quas diximus, pars una, & decoquatur farina cum uino dulci, aut aqua mellis. Et si apostema est in ipsis renibus, oportet ut ponamus emplastrũ, & reliquas curationes posterius, de quibus suo loco dicemus proprie, si autem apostema est in uesica, tunc anterius. Et quando ægritudo pertransit dies primos, & apparet in ea crisis laudabilis, tunc quando administrãtur in ea quæ conueniunt, urina est multa crassa, & est in ea sedimen bonum. Et si urina non est secundum hunc modum & formam, imo est tenuis & aquosa, clara, luminosa, tunc scias quod ægritudo est difficilis resolutionis, & quia extẽditur diebus multis, & conuertitur esse eius ad sclirosim, aut ad cancrum, apostema enim lapidea sunt ex melancholia, & ad ultimum huius perueniunt ad collectionem saniei, & utuirus ad lapideitatem.

### *De exituris quæ fiunt in renibus.* Cap. XIII.

ET significatur super coartationem saniei in renibus, extensione, quę est in locis uacuis, & sequuntur eam dolor ancharum, & quando iacet infirmus super faciem suam, sentit grauitatem in testiculo superiori, quasi res grauis sit suspensa in eo, & accidit ei febris erratica & inordinata, & sequitur inde inflammatio multa uehemens, & horripilatio multa, & urinę color est † æqualis colori ignis. Cum ergo maturatur exitura, & disrumpitur, & minuuntur ista accidentia, quę diximus, diminutione, cuius

*† inæqualis.*

significatio

ſignificatio eſt cognoſcēda. Nam ſi apoſtema eſt ſaluum, cognoſcitur illud ex albedine ſaniei, quę euacuatur ex eo, et mundificatione eius, & æqualitate craſſitudinis eius, & quod non eſt fœtidi odoris, & dolor tūc & febris quieſcunt, quiete completa. Apertio autem ſi eſt ex eo quod ſequitur ueſicam, tunc facilior & uelocior ad mūdandam ſaniem, & ut infirmus tolleret eam, & ſi non erumpit ſanies uerſus ueſicam, imò ad inteſtina, tunc eſt deterius primo, & difficilius ſuper infirmū in hoc, ut tolleret euacuationem ſaniei. Veruntamen eſt facilior illa quę aperitur ad loca uacua, & minoris maliciei, & facilior in euacuatiōe ſaniei. Et deterius hoc toto, & difficilius eſt, ut remaneat ſanies in renibus, & non euacuetur, & eſt nec eſſarium pruden ter agere, aut cum cauterio, aut cum inciſione.

*Curatio exituræ in renibus.*

IN curatione autē oportet, ut adiuues naturam cum toto ingenio, ſuper maturatione exiturę, & apertionē eius, cum medicinis quæ adminiſtrātur extrinſecus, & intrinſecus, & demus res quę maturāt & aggregāt ſaniem, & poſt maturationē adminiſtremus res de ꝓprietate, quarū eſt, ut aperiant & mūdificent ſaniē cum urina. Et illa quę conferunt in principio, ſunt uaporationes continuę, cum ſpōgijs, & emplaſtra facta cum farina, & ſicla, & decocto ficuū cū aqua mellis. Si aūt uis addere in uirtute emplaſtri plus hoc, ꝑmiſce in eo abſynthiū, radices lilij cœleſtis, & almezereon. Et dent̄ intrinſecus medicinę quæ ꝓuocant urinā, ſicut, ſemē agni caſti, & acorus, qa iſta duo adiuuāt ad eruptionē, & euacuationē ſaniei cum urina. Qđ ſi nō diſrumpit̄ exitura cum iſtis rebus, tūc oportet ut adminiſtremus clyſtere acutum, & non tardemus etiam in adminiſtratione uaporationū & emplaſtrorum quę diximus, poſtq̄ addidimus in uirtute eorū, ne graueris in adminiſtratione & aſſiduitate adminiſtrationis eorū. Cum ergo diſrumpit̄ apoſtema, tunc adminiſtra medicinas de proprietate, quarū eſt, ut mūdificent ſaniem cum urina, ſicut aqua decoctionis fœniculi, & apij, & quando ſequit̄ collectionē ſaniei inflāmatio uehemēs, quę eſt in locis, abſcindit̄ propter illud aduētus ſaniei, & curſus eius, qa caliditas inſpiſſat ſaniē, & indurat eā in modū lapidis, quare ꝓhibet eā currere. Tūc ergo oportet ut adminiſtres clyſterē qui ſedat & infrigidat inflāmationem, ſicut, aqua hordei ſubtilis, & lac, & ſeſſionē, in aqua calida. Quod ſi euacuatur ſanies tota, tunc oportet ut ſolliciti ſimus de eſſe ulceris, donec ſigilletur ſigillatione forti uelociter. Nam ſi cadat tarditas, fit ægritudo cui non eſt curatio.

De apostematibus quæ fiunt in instrumentis urinæ. Cap. XIIII.

VLcera quæ fiunt in membris urinę, aut fiunt in renibus, aut uesica, aut in uijs urinæ. Et sequuntur ex accidentibus communibus, ut currat cum urina sanguis multus, & sanies, & accidit eis difficultas urinæ donec prohibetur illud quod currit. Si autem abscindatur illud quod currit, erit inter ista accidentia proprie differentia in situ, operatione & speciebus solutionis uentris, & uirtute. In situ quidem, quia si ulcus est in renibus, est sensus doloris posterius in anchis & alcathim. Si autem in uesica est ulcus, uersus duo emunctoria, tunc dolor sentitur anterius, uersus pectinem. Si uero in uijs urinæ, tunc dolor est in medio. Differentia autem in operatione est, quoniam si dolorem sequitur difficultas urinæ, aut distillatio eius, tunc ulcus est in uesica, aut in uijs urinæ. Et si descensus urinę est, secundum æqualitatem absque læsione & sine difficultate, tunc ulcus est in renibus. In specie autem quod euacuatur, quoniam si ulcus est in renibus, egrediuntur cum urina laminæ & fila carnosa, & urina est æqualis in crassitudine. Et si ulcus est in uesica, egrediuntur cortices similes panniculis ex uesica cum urina fœtida. Si autem in uijs urinę, tunc cortices qui descendũt cum ipsa urina, sunt sine odore fœtido. Et discernuntur istæ species per uirtutem, nam si uesica sentit rem sensu forti, & renes sensu debiliori parũ, uiæ urinæ uero, sensu medio. Propter illud ergo etiam sunt dolores qui fiunt in uesica acuti, uehemẽtes, tensi. Et illi qui fiunt in renibus secundum formam aliam, sentiunt dolorem cum grauitate, & illi qui sunt in uijs urinę, sunt similes doloribus qui fiũt in uesica. Dolores autem qui accidunt ex ulceribus, sunt leuiores eis, & minoris tensionis. Sanguis uero qui currit cum urina, si mingitur in successione ægritudinis quæ præcessit, tunc significat quod in membris urinæ est aliquid ex herpete exedente. Quod si accidat subito absq; causa manifesta, tunc si cursus eius est multus, significat eruptionem quorundam instrumentorum quæ sunt in renibus. Et si currit aliquid post aliquid, significat apertionem orificiorũ uenarum. Et possibile est ut sit euacuatio sanguinis & saniei in urina, propter eruptionem saniei in quibusdam membris superioribus, & cognoscitur ex hoc unde est exitus sanguinis uel saniei, permixtorum cum urina permixtione uehementi. Sanies autem, uel sanguis qui currit absq; urina, significant ulcus esse propinquum cãnali uirgæ, aut in ipsa uirga, aut uesica. Sed discernitur inter ista per sensum doloris. Et oportet ut scias, quod ulcera, quæ fiunt in uesica, sunt difficilis curationis,

tionis, propter illud quod currit ex superfluitate aquosa, acuta, salsa semper. Et illa quæ fiunt in renibus, sunt facilis curationis, quia de substantia renum est, ut fiat sanatio ulceris quod accidit in eis uelociter, quoniam est carnosa. Et illa quę fiunt in uesica, sunt difficilioris sanatiōis quàm ista, propter assiduationem eius quod currit ex superfluitatibus, quas diximus. Et quia substantia corporis uesicæ est neruosa, & ulcus in membris neruosis est difficilis sanationis ualde, quia difficile generatur caro ulceris in eis, & quando generatur caro ulceris in eis, est difficilis curationis.

*Cura ulceris quæ fit in membris urinæ.*

IN principio oportet, ut uere mundificetur ulcus, mundificatione sufficienti, cum medicinis de proprietate quarum est, ut abstergant & mundificent saniem & sorditiem aggregatas in eis. Deinde permutemus ad res detumescere facientes, & stypticitatem facientes, incarnatiuas. Et similiter si ulcus est saluum, sufficit etiam, & fiat curatio uel mundificatio cum rebus sedatiuis, sicut, semen maluæ, uel amylum cum melle, aut semen melonis cum aqua mellis, aut mel ipsum, aut semen althęæ cum aqua mellis, aut mel ipsum permixtum, aut cum decoctione quarundam medicinarum prouocantium urinam cum quiete, sicut decoctio facta cum radicibus apij, & seminibus fœniculi, squinanto, aut aqua fœniculi, aut aqua squināti. Si autem non sufficiunt istæ curationes sicut oportet, da cum aqua mellis capillum ueneris, & uitellum oui, qui sit resolutus cum decoctione dulci, & therebinthina, postquam dissoluitur cum aqua & colatur. Aut petroselinum cum uino suauis odoris, & ex eis quę huiusmodi ulcera mundificant cum superfluitate uirtutis, sunt, radices lilij cœlestis, quando teruntur & accipiuntur cum aqua mellis, & similiter prassium, & hyssopus sicca, dentur secundum hanc formam. Quod autem confert ulceribus saluis, est emplastrum qđ fit ex farina hordei, thure, oleo de alchanna, oleo de arbore masticheS. Et emplastra quæ fiunt cum farina alkesue decocta cum uino & melle, aut rosis siccis, & lētibus, & melle, aut ex granis myrti cum quibusdam rebus, quas diximus, quia omnia ista prohibent putrefactionem ulceris, & est necesse, ut ponas emplastrum super regionem renum quam alcathin uocant, & super loca uacua, dum ulcus remanet ita quod non cōsolidatur. Et si infirmus non tollerat prohibitionē à comestione, tūc ciba ipsum carnib. auium montanarū quę non sunt pingues, & sint aut frixę, aut assatę. Ad mundificationē aūt ulcerū conuenit sorbitio facta ex farina alkesue quę est abstersiua,

& pilulæ

& pilulæ factæ secundum hunc modum. Confert & iuuamento non paruo sorbitio facta ex hordeo, & amylo, & farina adarmathe decocta cum lacte & tri decoctum cum pinguedine gallinę. Quod si ulcus est malum natura, & scitur illud ex fece quę egreditur & uiriditate eius, & fœtore eius quod egreditur ex eo, & ex inquietudine infirmi, & paucitate tollerantiæ eius, & paucitate iuuamēti eius cum medicinis, & uehemētia dolorū apud euacuationem, tunc ipsum indiget duobus generibus curationis cum medicinis intrinsecus & extrinsecus, quarum una est, ex medicinis uehementis mnndificationis, & exiccationis. Altera, ex illis quæ faciunt stypticitatē & siccitatem, quę prohibent ulcus perambulare ad loca multa. Propter illud ergo oportet ut demus ex rebus quę bibuntur, scilicet alkesue cum uino dulci, & deforis administremus emplastrum ex farina alkesue decocto cum uino & melle. Et confert ulceribus quę perambulant & spargūtur, etiam clyster, de quo diximus lib. quinto, cap. 26. Ex cibis autē oportet, ut demus illos, qui sunt temperati, extinguētes, sicut aqua hordei, & olera temperata, sicut sunt malue, atriplices, portulaca, cucurbita, cucumer, batheka matura, lactuca cocta, & quę sunt illis similia. Et post mundificationem saniei & purificationē ulceris bonam, oportet ut administremus res cōferentes, quę incarnāt & glutinant ulcera. Et dabis in potu rob de agresta, & fuc cum barbę hyrcinę, terram sigillatam, corallū, & reliquas medicinas quæ habent uirtutem stypticitatem facientem incarnatiuam, & permisce cum eis etiam amylum, tragachantam, semen batheke, semen altheę donec perueniant ad profundū cum facilitate. Conferunt etiam cortices radicis mandragorę, papaueris nigri, semen hyoscyami, opium, & proprie si currit ex ulcere aliquid ueneni, & dolor est uehemēs ualde. Et oportet ut misceatur cum eis etiam una ex illis medicinis acutis, uelocis penetrationis, ut perueniant ad loca læsa cum agilitate, & facilitate, & ut non lędant cum eis membra in quibus penetrant. Et istæ medicinę sunt sicut semen apij, daucus, petroselinum, & reliqua quæ sunt illis similia. Ex medicinis compositis conferunt proprie trochisci Diascoridæ, trochisci Andromachi, & trochisci Asclepiadis, & hoc medicamen sequens.

*Medicamen ad ulcera accidentia in membris urinæ.*

R
Ecipe sem. batheke, citrulli, cucumeris, cucurbitę dulcis excorticatorū, sem. papaueris albi et nigri, gūmi, amygd. tragachantę, amyli, semin. portulacę, maluę, altheę, laccę ablutę, raued seni an. drach. 5. spodij drach. 7.

drach.7.boli Armeni drach.10.granorũ pini magnorũ & paruorũ excor ticatorũ,ſeminis alchengi montani añ.drach.5.ſucci liquiritię,ſacchari taberzed,pſyllij añ.drach.20.terantur reliquę medicinæ,deinde miſceatur cum eis pſyllium,& ſaccharum,& dentur ex eis drach.5.cum rob,aut cum iulep.Et ſi bibatur cum lacte aſinæ,eſt magis iuuatiuum,& ſi ulcera ſunt in cãnali uirgę,tunc oportet ut inijciatur in eo aqua plantaginis cum oleo uiolato,aut ex collyrio albo facto ad dolorem oculi,poſtquam diſſoluitur cum lacte mulieris,aut cum albumine ſubtili. Si autem accidunt in ueſica,aut in cannali uirgę ulcera propinqui tẽporis,inijcimus cum humiditatibus quas diximus emathiten,chimoleam,ceruſſam,lithargyrum conditum,aut calcem ablutam.Si uerò iſta ſunt antiqua indigent mundificatione.Confert ergo eis ut inijciantur trochiſci andromachi,aut trochiſci facti cum chartis combuſtis, poſtquã diſſoluũtur cum aqua hordei,aut lacte mulieris.Si autem accidat eruptio ſanguinis ex ueſica,inijce in uirgam ſuccũ arnogloſſi, aut aquam uirgę paſtoris,aut portulacæ,aut aquam in qua decocta ſunt ſumach,myrtus,roſę.Et pone deſuper exterius bolum Armenum,terram ſigillatam, gummi Arabici,ſemen portulacæ, tragachantam, balauſtia, & roſas,cornu ceruinum aduſtum,ſuccum barbæ hircinæ,aut quoſdam trochiſcos abſcindentes ſanguinem, inijce in uirgam. Et conferunt etiam iſti trochiſci quos dicemus iuuamento magno.

*Trochiſci ad ſanguinem qui currit cum urina.*

RECipe aluminis Iameni drachmã † unam,tragachantæ drach.2.gummi drach.1.ſanguinis draconis,balauſtiorũ añ. drach.1. conficiantur cum aqua portulacæ & adminiſtrentur. *† quadraginta*

*Alij conferentes ad hanc ægritudinem.*

RECipe tragachantæ,ſeminum papaueris albi, † luti lacunæ,ſucci barbæ hircinæ,gummi,prunorum nigrorum,charabæ,omnium æquater,terantur & conficiantur cum aqua arnogloſſi, & dentur, & ſedeant in aqua in qua decoctæ ſunt herbæ ſtypticitatem facientes,ſicut myrtus humida,balauſtia, gallæ,nux cupreſſi,roſæ ſiccæ,cortices granatorum,radix ramni, & quæ ſunt illis ſimilia,& pone ſuper duo emunctoria emplaſtrum ex lentibus excorticatis, & citonijs, malis, piris ſtypticis, gallis, & granis myrti,terantur iſtæ medicinæ benè, miſceantur cum eis roſæ puluerizatæ,& papauer tritum,& conficiantur cum aqua myrti humidæ,& fiat ex eis emplaſtrum. Si autem infirmus non tollerat grauitatem empla-

*† uiticima*

*Aſtringentia:*

ſtri,fac

ſtri,fac linimentum ſecundum hunc modum.

*Linimentum ad ulcera urinarum uiarum.*

Recipe ſumach,radic.ramni,pruna ſylueſtria decoquantur ſicut oportet.Cum ergo remanet ex aqua parum,cola ipſam,& proijce ſuper ipſam gummi cõtritum,balauſtia,rob de agreſta,acatiam,amylum,donec fiat ei ſubſtantia mellis,& liniatur ſuper duo emunctoria,& pectinem ſemper,& regionem renum,& quotiens exiccatur primum pone ſuper ipſum linimentum aliud.Si autem indigent corpora eorum qui habent ulcera in membris urinæ euacuatione,tunc oportet ut utantur uomitu,& non eſt neceſſe ut leniant naturæ eorũ,niſi cum cibis tantũ.Et ſi eſt eis neceſſe,ut ſuper eos non ſit difficilis uomitus,tunc qui indigent eo multum,ſumant ex cibo,& utantur ex eo illo qui prouocat uomitum,ſicut ſunt,res dulces unctuoſæ adeò,donec non incraſſetur uomitus ſuper eos.Quum ergo uolunt uomere,tũc non multiplicentur ex cibis,ſed oportet ut ſumant ex eis, illos qui excitant uomitum,ſicut ſunt,res dulces unctuoſę,& batheka matura.Si autem illud non eſt inuentum,tunc ſumatur ſemen bathekæ,Teratur & miſceatur cum melle,& decoquatur,& detur ex eo ipſis.Et poſthęc ſumant in potu decoctionem multæ dulcedinis.Et ego non narrabo laudẽ uomitus propter repletionem uiſcerum tantum,imò puto quod quando homo utitur eo aſſiduè,ſanatur ex ulceribus quę fiunt in renibus uelociter ſanatione completa,& ex dolore alio ſi eſt in eis.Et oportet ut ſibi caueant quantum poſſibile eſt ab omnibus motibus,quia eſt in rebus omnibus nociuum magis,ulceribus quæ indigent conſolidatione quàm motus.Quapropter quando adhærent tranquillitati & quieti ſanantur ex eis,& oportet ut non utantur coitu penitus,quia,eſt nociuus omnibus ſpeciebus ulcerũ, & propriè ulcerum quæ ſunt in renibus.Et quando extenditur tempus,& quieſcit febris completa quiete,& incarnatur uulnus,tunc ſumant carnes hœdi,& gallinæ,& ſi deſiderant ex fructibus ſiccis,aut humidis,tunc ſumant ex illis amygdalas dulces torrefactas cum melle,& grana pini,paſſulas,piſtacea,auellanas,& alcabs.Et caueant ſibi à ficubus ſiccis cautela completa,quia in eis eſt uirtus qua fit abſterſio,quare timetur ſuper ulcera ex eis,ut non alterentur ſuper ea,& prohibeant ipſa incarnari,propter illud ergo ſunt malæ. Et ſumant ex fructibus recentibus,mala,pira,ſorba,ſeu meſpila quæ Zaharur uocãt Arabici,citonia,melones,citrullos maturos, ita ergo oportet ut curentur ulcera quæ fiunt in membris urinæ.

De tribus

*De tribus generibus lactis, quæ conueniunt illis ægritudinibus.*

ET iam peruenimus ad loquendum super lac, cum sit numeratū ex rebus quibus curantur ulcera, quę fiunt in his membris, & est magis iuuatiuum curationibus omnibus, & gloriosioris portionis & honorabilius, & iuuamentum cum eo, & lucrum eius est amplius. Et dico quod ordines generū lactis sunt tres. Vnū eorum est subtilius, & est sicut lac asinę. Aliud est crassius eo, sicut lac uaccæ. Tertium est medium inter duo, sicut lac caprarum. Si ergo uideris ulcus quod est in membris indigere mundificatione, & cognoscitur illud ex rebus quę euacuantur cum urina, tūc est necesse ut des infirmo lac asinæ, quia est uehementius ex eis mundificans ulcera, & est plusquam ea pręparatum, ut alleuietur eorum consolidatio, & temperat cum eo superfluitates quæ currūt ad ea, & rectificat eas. Et propinquū huic in uirtute est, lac equarum, quia, substantia huius etiam est substantia subtilis. Et si ulcus non indiget medicinis mundificantibus, & corpus est extenuatum & indiget ut uiuificetur cibo, tūc est necesse ut demus ei lac uaccinum, quia hoc nutrit corpus nutrimento sufficienti, & uiuificat ipsum, fit facile regimen eius & ordinatio eius, & inpinguat ipsum, & temperat superfluitates quæ penetrant in membris, in quibus sunt ulcera. Et sedat acuitatem inuentam in eis. Et si necessitas uocat ad ambas res simul, ita ut sit corpus indigens mundificatione, & ulcus sit immundum, est necesse ut detur lac caprarum, cum sit medium inter hæc duo genera lactis, & sit possibile ut efficiat operationem utriusque. Et oportet antequàm demus lac, ut sit nostrum studium in mundificatione corporis, cum rebus quæ non nocent, ut excitant ulcus. Quum ergo damus ipsum, non oportet ut demus aliquid ex cibis, aut ex medicinis, donec digerant ipsum digestione completa, & descendat à stomacho. Quantitas lactis oportet ut sit quatuor unciarum, aut quinque, & ad summum nouem, & demus cum eo quasdam medicinas, de quibus diximus ante, quia conueniunt ad mundificationem & ad incarnationem ulcerum, sicut, sunt tragachantę, gummi, amylum, corallus, charabe, semen citrulli, & quæ sunt illis similia. Et misceamus etiam cum eis ex medicinis uelocis penetrationis, donec faciant ea penetrare, sicut sunt, anisum, semen apij, & daucus. Quod si tardatur lac in stomacho, & non penetrat uelociter, tunc oportet ut demus cum eo aliquid salis.

*Ordines lactis tres.*

De duritie quæ fit in renibus. Cap. XV.

QVando accidit in renibus apostema melancholicum, scilicet lapideum, durum, tunc est cum eo dolor, imò sentit infirmus grauedinem uehementem, suspensam cum rene infirmo. Et est plurimum illius grauedinis retro, & à parte iliorum, & sequuntur huius dispositionem, debilitas in duobus cruribus, & stupor duarum ancharũ. Vrina uerò quę euacuatur ex istis, est paruę quantitatis, in quantitate sua subtilis, in qualitate sua indigesta, quia renes quãdo debilitantur & coartãtur meatus, qui sunt in eis, non attrahitur aquositas ex uenis, sicut oportet. Et quod attrahitur etiam non alteratur, sicut alterabatur prius, propter hoc ergo, quod penetrat aquositas cum sanguine ad membra, facit euenire in eis mollitiem, uel inflationem & principium hydropisis. Et propter hoc oportet, ut curemus cum rebus, quę leniunt duritiem, & resoluunt apostema paulatim. Et accipiamus in curatione eorum ceratum, quod diximus ante. Et administremus etiam uaporationes & inunctiones, sicut oportet, est etiam necesse ut administremus clysterem lenitiuũ. Et demus eis ex illis quę bibuntur ex medicinis illa, quę prouocant urinam paulatim, & facile, & quiete, & ad ultimum oportet ut curemus eos cum rebus, quas diximus ante, donec euadant ab hydropisi.

De debilitate renum. Cap. XVI.

SCiendum quod amplitudo meatuum in quibus uadit aquositas quę currit ad renes, donec ipsi attrahunt eam, facit quod non possunt eam colare, imò cum ea ingreditur aliquid sanguinis, aut humiditatis alterius. Illi enim non sentiunt dolorem, & si est, paruus est ualde. Et descendit cum aquositate aliquid sanguinis, & descendunt ex eis humiditates alię crassę, ita quod quãdo urina descendit in quibusdam horis residet, & eleuatur super eam aliquid simile spumæ maris, & hoc fit quando uenæ sunt saluæ. Si autem Meseraicæ sunt debiles, tunc non residet in urina aliquid, neque apparet in ea digestio. Et causa in illo est, quod cibus non miscetur cum potu, & non alteratur ad sanguinem, propter debilitatem uirtutis membrorum corporis, quę sunt supra renes, & fortasse expellit natura huiusmodi superfluitates ex corpore toto, & ex epate ad renes, secũdum uiam mundificationis. Et nostrum est, ut distinguamus inter hoc, & illud, ex eo, quod sequitur euacuationem de tranquillitate, aut difficultate, & etiam

etiam ex hoc, quod corpus aut extenuatur, aut non extenuatur. Quia si euacuatur urina mixta cum huiusmodi superfluitatibus, secundum semitam mundificationis, tunc sequitur euacuationem eius iuuamentum magnum, & tranquillitas, & remotio inquietudinis. Si autem est descensio eius propter amplitudinem meatuum, & debilitatem renum in se ipsis, tunc accidit contrarium illius. Si autem euacuatio quæ fit est ex operatione naturæ, quę mundificat corpus, tunc non debilitatur & extenuatur cum ea corpus, & fit secundum plurimum, cum reuolutionibus determinatis, sicut fit illud in operatione orificiorum uenarũ quę sunt in ano, quarum causa debilitas est renum. Nam corpus extenuatur per eas, post longum tempus, præcipue quando est quod euacuatur ex eis sanguis, non secundũ ordinem. Gloriosior ergo curatio debilitatis renum est trãquillitas & quies, quia motus dilatat meatus, & excitat illud quod currit. Et oportet ut accipiant etiam ex cibis, illos, qui sunt styptici, sicut sunt, pira, citonia, zaharur, albuse, quã auellanam assatam dicunt, citrulli, lentes, oryza, & reliqua quę sunt illis similia. Et sit potus eorum decoctum uinum, nigrum, ponticum, & prohibeatur ab omnibus quę prouocant urinam, & à coitu etiam, quoniam rarificat poros. Et medicetur extrinsecus & intrinsecus cum rebus facientibus stypticitatem, prohibentibus sanguinem, quas diximus in euacuatione sanguinis. Et sint ea quæ bibunt, sicut, succus uirgæ pastoris, cum bolo Armeno, & gummi. Et ponantur super pectinem, & emunctoria foris, emplastra & linimẽta, facta cum † ptysana hordei, & citrullis, & citonijs, & succis facientibus stypticitatẽ, retinentib. sanguinẽ, sicut illud quod fit ad diarrhœã, & sputum sanguinis, & in fine sumant in potu etiam lac ouinum, quia est iuuatiuum in regimine corporum extenuatorum, & conualescentium iuuamẽto bono, quoniam inpinguat corpora eorum, & adquirit eis iuuamentum magnum. Et oportet ut sumat cum eo aliquid ex medicinis, quæ retinent sanguinem, & oportet ut administrentur istæ eedem res etiam, quando incipit huiusmodi euacuatio, & est multa, superflua, mala, cum qua est acuitas & remanet diebus multis, & debilitat corpus, & extenuat ipsum. Si autem hæc ægritudo accidit cum reuolutionibus, phlebotoma uenam ante horam periodi, deinde administra res, quas diximus. Et si hoc non accidit, nisi subito absque hora determinata, tunc oportet ut resistas ei statim, ut non attrahat uehementiam mali, & debilitatem uirtutis, & principium maliciæ complexionis.

*† rhoẽ.*

*Lac ouillum.*

De Diabete, & est urinæ multitudo, cum uehementia sitis. Cap. XVII.

REnes præterea infirmãtur ægritudine, cui sunt tria nomina. Vno nomine Dipsacos, & eius intẽtio est sitire faciens, quoniã accidit cum ea sitis uehemẽs. Alio nomine nominatur Diabetes, & eius intentio est, penetratio, ex hoc quod penetrat in ea illud quod bibitur, & currit, & non figitur. Tertio nomine nominatur, Aqua inter cutem ad matulam, quam Arabes Smida Emsir nominant, quoniam urina accipitur assidue in uasis quę recipiunt urinam ipsorũ, quę nominatur Emsir, & sunt urinalia. Et fit hęc ægritudo, quando debilitatur uirtus retentiua in renibus. Quum ergo attrahit uirtus attractiua, quę est in eis, attractione uehementi, donec accidat inde sitis uehemens, tunc propter illud fit ægritudo hæc ex duabus causis, scilicet, ex debilitate uirtutis retentiuę, & uehemẽtia uirtutis attractiuę, quæ est in renibus, & causa in debilitate uirtutis retentiuæ in renibus ipsis, est multitudo materiei, quę attrahitur ad ipsos. Quia, quando ipsi grauantur ex multitudine eius, quod attrahitur ad eos, non figitur uirtus retentiua propter pondus illius. Quum ergo læditur propter illud uirtus retentiua, mouetur uirtus expulsiua propter debilitatem, quando grauat super eam & euacuat, & causa uehementiæ uirtutis attractiuę, quę est in renibus, est caliditas egrediẽs ab æqualitate. Iam ergo exposuimus, quod uirtus attractiua confortatur & fit fortis ex caliditate, & hæc caliditas, aut est cum materia, aut pura, absq; materia, quando in renibus est corruptio complexionis calidæ & siccæ tantum. Et hæc quidem ægritudo similis est ægritudini lubricitatis intestinorum, in extensione desiderij & uoluntate euacuationis, & sicut cibi in lubricitate intestinorum euacuantur, sicuti accipiuntur, sic & hic similiter fit, id quod bibitur, si est aqua mellis, aut secaniabin, aut uinum decoctum, aut aqua, euacuatur sicut bibitur, non mutatur. Et diuersificatur à lubricitate intestinorum, nisi in hoc quod lubricitas intestinorum accidit ex ægritudine uentris, & totius corporis. Diabetes autem fit ex ægritudine renum tantum, & in hoc quod appetitus caninus attrahit cibos tantum, & Diabetes attrahit potum. Et euacuatio lubricitatis intestinorũ, fit cum appetitu canino, qui est cum resolutionibus incognitis, sed in Diabete quod euacuatur est cognitum, & est urina.

*Emsir.*

Curatio Diabetis.

ET quoniam hęc ęgritudo fit ex corruptione complexionis calidæ & siccę, sicut diximus, tunc est necesse ut solliciti simus in contrarietate malicię complexionis, & ponamus curationem huius ęgritudinis secundũ hunc

hunc modum, ita ut infrigidemus renes infirmos & confortemus eos, & acquiramus corporis totius æqualitatē. Et quoniā corpus necessario exiccatur propter multitudinē eius, quod euacuatur de humiditatibus, & propter susceptionē siccitatis & caliditatis, tunc oportet, ut demus ex eis quæ bibuntur plus quantitate consuetudinis currentis, & non dimittamus eum sitire omnino. Et demus de cibis illos, quorum difficilis est alteratio, ut non subtilietur & calefiat, & comburatur. Epar enim quando est calidum caliditate acuta, siccatur cum eo natura, quando attrahit & finit ex ea humiditates ciborum. Est igitur necessarium, ut detur illis, cibus multę crassitudinis ut remaneat in stomacho, sicut sorbitio quę fit ex candarusio, & tritico, & hordeo, & aqua hordei, & aqua sacchari, & citrulli, & cucurbitę, & quæ sunt illis similia. Et sint omnia, quæ bibunt aqua cucurbitæ assatæ, & aqua granatorum acetosorum, & aqua prunorum, & rob de ribes, aut rob citoniorum acetosorum, & rob de agresta. Confert illis etiam psyllium, quando accipitur cum aqua citrulli, & lacte uaccino, de quo extractum est butyrum, sauich anabach, & trochisci de spodio cum aqua cucurbitę, aut cum aqua granatorum. Conferunt & iuuamentum maximum isti trochisci.

### Trochisci ad Diabetem.

Recipe acatiæ drach. 2. rosarum siccarum drach. 3. balaustiorū drach. 4. gummi drach. 2. tragachantæ drach. s. Terantur & cribellentur, & cōficiantur cum mucilagine psyllij, & dentur cum aqua frigida. Et oportet ut caueant sibi a medicinis prouocantibus urinam, imo ingenietur ut attrahatur materia ad illud, quod apparet de cute proprie ut euacuetur per sudorem, & exterius administremus super emunctoria, & renes, emplastrū factum ex farina hordei, aceto, & oleo rosato. Conferunt & extremitates uitis, cotonea mala, & extremitates salicis, portulaca, uirga pastoris, semperuiuum, altaholub, & quę sunt illis similia. Si autem grauant super ipsum emplastra, tunc fiat linimentum secundum hunc modum: Recipe olibani drach. 2. acatiæ drach. 4. succi barbæ hircinæ, ladani, & ramich añ. drach. 2. gallarum drach. 1. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua myrti humidę & liniatur cum eo, & ad ultimum emplastra extinguentia, conferentia ad diarrhœam cum inflammatione multa, conferunt huic ægritudini etiam.

De distillatione urinæ & retentione eius. Cap. XVIII.

SCiendum quod lacertus annexus collo uesicæ, quando extenditur aut debilitatur uirtus retentiua, quæ est in eo, accidit distillatio urinę, & debilitas horũ duorũ fit, aut ex ægritudine instrumentali, aut ex malicia complexionis. Et quando fit de proprietate uesicę, ut fiant in ea omnes species malicię complexionis, tũc illud quod plurimũ accidit in ea assidue pluribus hominibus, est malicia complexionis frigidę. Quapropter quãdo debilitatᵋ uirtus retentiua ex malicia cõplexionis, quã diximus, non potest tollerare grauitatẽ superfluitatũ, nec spacio breui, imo expellit eas cum distillatiõe paulatim, & fit distillatio urinę etiam ex acuitate qualitatis urinę ipsius, quia quãdo accidit in renibus aliqua ægritudinũ apud urinam, aut ex materia acuta, aut sanie, quę currũt ex membro alio ad uenas, aut ex humore male aggregato in uenis, donec mordicat acuitate sua, tunc egreditur urina ante horã necessariã. Et fit distillatio etiam propter ulcus, quod accidit in instrumẽtis urinę. Si aũt cum difficultate urinę est dolor, tũc non fit nisi propter apostemata, aut excoriationẽ saniei, aut propter ulcus, aut ex malicia cõplexionis compositæ inordinatæ, aut ex uentositate inflatiua crassa. Si aũt non est cum ea dolor, tunc causa in illo est, aut ex diminutione sensus uesicæ ipsius, aut ex debilitate uirtutis expulsiuæ, quę est in ea. Et utrẽq; accidũt, aut ex retentione urinę in uesica spacio longo, aut ex malicia cõplexionis frigidę. Et apparet in omnibus istis dispositiõibus in uesica tensio, sicut accidit ut oppiletur collũ uesicæ propter humiditates crassas, aut sanguinẽ crassum congelatũ, aut lapidem, quare accidit difficultas urinę, & expressio. Si aũt accidat difficultas urinę & expressio uacua ab attractione uesicæ, & coartatione & tensione ipsius, significat illud in renibus oppilationẽ, aut in uijs urinę, & istud non accidit nisi ex aliqua ægritudinũ, quas diximus, ex eo quod pręmissum est, ex accidẽtibus & significationib. quas diximus. Sãguinem aũt congelatũ cognoscimus ex eruptione, quę pręcessit sanguini & accidẽtib. proprijs sequẽtibus, quę sequuntᵋ illud, qa quãdo sanguis coagulatᵋ & congelatur, & non tantũ in uesica, imo in stomacho & intestinis, & pectore accidũt patienti hæc, scilicet, paruitas anhelitus, citrinitas coloris, paruitas pulsus, & eius durities, & cõsecutio ipsius nausea, tristitia, extenuatio, donec non euadãt nisi raro in omni hora ex illis, quorum intrinsecis membris coagulatur sanguis & fit congelatus. Maliciam autem complexionis debilitantẽ uesicã, & instrumẽta alia, tibi inest ut cognoscas

per

per æstimationem ex significationibus, quas multotiens diximus.

*Curatio distillationis urinæ & lapidis.*

CVratio distillationis & lapidis, nam distillatio urinæ est propter acuitatem sui, aut acuitatẽ alicuius humoris, qui currit cum ea, administramus res tẽperatas, sicut sunt, aqua hordei, lactuca, endiuia, cucurbita, malua, & quæ sunt illis similia. Iuuãtur etiam ex ablutione cum aqua calida dulci, & inunctione cum oleo rosato, & prohibe eos ab omnibus rebus calidis acutis. Et conserua eos cum cibis & potibus, tranquillitate & quiete, paucitate tristitiæ, & rege eos regimine sedante acuitatem & temperante. Et da eis assidue in potu psyllium, cum oleo rosato. Quod si causa distillationis urinę, est malicia cõplexionis frigidę, ex qua debilitatur uirtus retentiua, quæ est in uesica, utantur potu uini, & aliarum rerum calefacientium, & accipiant confectionem Anacardinam, Mithridatum, & ex Hiera Picra Galeni. Confert eis etiam Triphera maior, quando miscetur cum Sagzænea, glandibus, & thure. Confert etiam iuuamentũ magnũ hoc medicamen: Recipe granorũ myrti, & glandiũ, corticis thuris, cymini, carmeni, cyperi añ. partem unam, terantur & dentur ex eo drach. 3. cum uino antiquo. Aut sumatur foliorũ extremitatũ myrti siccę, aluminis, foliorũ alcannæ (quã Cyprum arborem dicunt) & mirrhę, thuris, balaustiæ, glandiũ añ. partem 1. Coquantur cum uino & detur ex eo unc. 1. Est & hoc iuuamentũ ad sanguinem, qui currit ex renibus & uesica. Confert & hoc medicamen sequens: Sumantur glandes & infundantur in aceto uini die & nocte, deinde fricentur super patellam, terantur & sumantur ex eis drach. 10. & ex myrobalanis chebulis, emblicis, & citrinis torrefactis añ. drach. 7. corticis thuris, drach. 5. granorum myrti drach. 10. Terãtur & cribellentur, & dentur ex eo drach. 3. cum aqua, in qua submergunt ferrarij ferrum ignitum.

*Medicamen, ad illum qui mingit in lecto suo iuuamentum conueniens.*

REcipe myrobalanorũ chebulorũ, belliricorum, emblicorũ añ. drach. 10. glandiũ infusarum in aceto uini, die & nocte torrefactarum drach. 7. cyperi, granatorũ myrti, thuris masculi, enulę, styracis siccę, coralli añ. drach. 5. † mirrhę drach. 3. Teratur & conficiatur cum melle, & sumantur ex eo in potu drach. 5. † *myrti.*

*Pilulæ conuenientes ad multitudinem urinæ.*

REcipe mirrhę, castorei, costi amari, hascæ, cupularum glandium, pyrethri añ. partem unam, terantur & conficiantur cum aqua myrti hu

midæ & fiant pilulæ,& detur ex eis apud somnū drach.1.& minus, & plus secundum quantitatem uirtutis,& quæ sunt illis similia. Quidam uero dant semen nigellæ, & alij dant semen rutæ. Quod si distillatio ex ulcere est in membris urinæ, curetur cum rebus quas diximus, in sermone super ulcera facta in instrumentis urinæ. Et quando est difficultas urinæ, tūc si est ex apostemate, aut lapide quę coartant uias urinę,& faciūt accidere difficultatē, tunc oportet ut sedemus dolorem cum effusione aquę calidę, in qua decocta sunt chamæmelum, anethum, radix althęę,& inungamus eum assidue cum oleo Alhasech,& oleo camelino. Lapidem uero curamus cum medicinis, quę frangūt lapidem ex eis, quas dicemus. Et similiter si meatus oppilantur ex humiditate crassa, aut uiscosa, aut sanie habente fecem,& sedimē, tunc oportet ut medicemus cum rebus quę aperiunt & abstergūt cum uirtute, sicut sunt meum, phu, anisum, spica odorifera, semen fœniculi, apij,& daucus, cum aqua decoctionis petroselini, aut siseleos, aut aqua apij, costi, amomi, spicę Aromaticę, anisi, petroselini. Et detē ex semine raphani syluestris, aureus unus, cum aqua almagdinis, aqua apij, fœniculi, postquā bullitur & colatur, uniuscuiusq; unc.2.& cibentur pane cum aqua raphani decocti,& aqua ciceris nigri. Et cura eos etiam cum confectionibus calefacientibus, subtiliantibus, sicut cōfectio nominata Sagzęnea, aut cum quibusdam confectionibus prouocantibus urinam,& confert scylla, & oxymel scylliticum. Et medicantur exterius cum embrochis,& aquis calidis, in quibus decocta sunt folia lauri, ocymi, sisymbrium, chamæmelum, anethum, melilotum, fœnogręcum, caulis Nabati, moly, seu ruta,& fimus columbinus. Et fiat eis emplastrū cum emplastris quę fiūt ex fœnogręco, ammoniaco & galbano. Confert etiam proprię ei cuius ægritudo est ex phlegmate crasso, hoc medicamen: Recipe baccarum lauri, aluminis añ.drach.10.meliloti, farinę ciceris nigri, chamęmeli añ.drac.10.seminis baucię syluestris, raphani, apij hortulani,& montani añ.drach.7.amomi drach.10. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua caulis Armeni, uel Nabati, oleo de lilio,& de balsamo, fiat emplastrum cum eo ileis & pectini. Et dentur in potu post ipsum, aqua apij,& aqua foliorum raphani, postquam feruent colantur, aut decoctio anethi cum oleo de amygdalis dulcibus. Et inungantur duo ilia semper cum oleo de scorpionibus. Si autem causa difficultatis urinę est congelatus sanguis, tunc oportet ut demus medicinas frangētes lapidem cum secaniabin. Et sit potus infirmi assidue oxymeli, quoniā acetum

Oxymeli.

acetum est incisiuum,& mel cum caliditate sua est resolutiuum eius, quod incidit acetum. Propter illud ergo fit iuuatiuum ad sanguinem coagulatũ ualde. Difficultas autem facta in febribus, oportet ut curetur ita, ut inungatur pecten,& duo emunctoria cum oleo anethino, chamęmelino, de raphano, aut oleo rutaceo. Et si retinetur aluus, oportet ut lenias eam statim cum clysteri ex decoctione fœnogręci, althęę, cũ oleo chamæmelino, aut oleo rutaceo,& sedeat in tina in aqua, in qua decoquuntur chamæmelum, radix althęę,& thymus. Confert ei etiam radix althęę syluestris, quãdo decoquitur cum oleo sycionio,& inungantur cum eo ilia. Si autem causa urinę difficultatis sunt inflatio & uentositates crassę, tunc damus ei oleũ ricininũ cum aqua de radicibus,& inungamus pectinẽ & ilia cum oleo balsami, aut oleo sambucino, aut oleo de spica. Et inijciatur in uirgam, ex istis oleis solis, aut cum aliquantulo castorei,& aqua rutę,& musco,& quę sunt illis similia.

### *De generatione lapidis.* *Cap.* XIX.

Materia ex qua generatur lapis, est humor crassus, crudus, qui descendit ad renes & uesicam, cum aquositate, quæ attrahitur ex sanguine in uenis. Et causa efficiens ipsum est caliditas,& hæc caliditas secundum plurimum est ignea,& forsitan temperata. Altera causa, propter quã fit amplitudo meatuũ superiorũ,& constrictio meatuũ inferiorũ, fortasse est naturalis,& fortasse est propter ægritudinẽ, quę accidit post illud, quia humor crassus, crudus, quãdo generatur, aut ex gulositate, & nimietate cibi, sicut fit in pueris, aut ex debilitate uirtutis digestiuę in decrepitis,& descendit ad renes & uesicam cum urina. Et caliditas efficiens in istis mẽbris est ignea, aut propter aliquid maliciæ cõplexionis, acceptę cũ eis facilis resolutionis. Et hoc fit aut propter illud quod currit ex felle ad ea, aut ex apostemate, quod est phlegmone quę in eis est. Si ergo uirtus expulsiua, quę est in renibus & uesica, est fortis,& uię in quibus euacuatur urina, sunt post uesicam amplę, tunc urina quæ euacuatur est crassa. Quod si uiæ sunt strictæ,& uirtus est debilis, tunc necessario tardatur tempore aliquo, & euacuatur paulatim clara,& subtile quod remanet in fine, in eo tantum colatur per resudationem,& remanet illud quod est crassum fex. Quapropter quando accenditur hoc residuũ, exiccatur & aduritur ex uehementia caliditatis, quę est in istis locis,& fit ei substãtia lapidea,& incipit coagulari. Propter hoc ergo semper inuenimus in eo qđ euacuatꝛ ex urina, in principio aduentus lapidis, grana arenosa. Quãdo damus infirmis aliqđ ex medi-

cinis

cinis frangentibus lapidem, prouocantibus urinam, aut natura mouet ea, cum acuitate, & expellit humorem aggregatum in his membris. Et ista grana arenosa, quando remanent spacio temporis, & uniuntur ad inuicem & adhærent, aggregatur crassum totum, & fex quæ est in urina cum eo quod præcessit, & quod coagulatum est. Et generatur ex eo lapis cui est quantitas in magnitudine, & accidit in aquis thermarum, & in uasis, in quibus calefit aqua in omni die, simile huic lapideitati & coagulationi, quando residet in aqua graue, & acquirit ex caliditate quæ est in ea, coagulationē & adhærentiam semper, & tenetur illud quod residet & coagulatur. Et hoc quando remanet tempore aliquo, induratur & magnificatur, sicut lapis. Istæ ergo sunt causæ generationis lapidis, quas diximus. Causa autem generationis lapidis in uesicis puerorum, & in renibus senum, secundum quod narro, est, quoniam operationes naturales omnes in pueris sunt fortiores, & caliditas naturalis in eis est fortior, & plus est crassitudo humorum qui descendūt ad renes eorū liquida & resoluta. Ergo resolutio crassitudinis ipsius, & fortitudo operationis renum penetrat in eis facile, & expellitur ab eis ad uesicam uelociter. Et quoniam uesica ipsa est frigida natura, quoniam est neruosa, pauci sanguinis & cum frigiditate sua, etiam sunt in ea raritas multa, & concauitates, in quibus aggregatur reliqua crassitudo quæ uenit ad eam, & coagulatur illic secundum semitam, quam diximus semper, & ex eis quæ iuuant super hanc uiscositatem, sunt illæ superfluitates & crassitudo earum, quia superfluitas in pueris est uelox, propter uehementiam caliditatis eorum naturalis. In senibus autem quoniam istæ causæ sunt econtrario, fit generatio lapidis in renibus eorum, quia crassitudo in superfluitatibus eorum, & multitudo eius in renibus ipsorum fit uehementioris coagulationis, & soliditatis. Et propter debilitatem renum & diminutinonē caliditatis eorū naturalis, non peruenit hęc crassitudo ad uesicā, imò morat̄ in renibus, pręter quod resoluit̄, neq; spargit̄, & in spacio tēporis alteratur substātia eius, & coagulatur, & fit lapidea, dura, sicut diximus. Et quando nos uolumus in istis rebus, quę extrinsecus ponuntur liquare aliquid ex materijs crassis, sicut est cera, aut pix, aut ratenici, tunc quando effunditur illud, quod liquefactum est apud resolutionem eius à caliditate, currit cum facilitate, & post facilitatem cursus eius, si non calefacimus illlud, neque subtiliamus, neq; calefit ipsum, in se ipso non resoluitur, sed remanet in loco suo. Maior ergo causarum est, & magis uincens

*Generatio lapidis uesicæ.*

in genera-

in generatione lapidis crassitudo urinæ. Caliditas autem sufficit, ut sit temperata in generatione lapidis, quia aqua thermarum quamuis sit tepida, tamen apparet in ea generatio lapideitatis & lapidis. Et causa in crassitudine ipsius urinę, est multitudo eius quod sumitur ex cibis crassis natura, & susceptio earũ non in sua hora, quæ est necessaria. Et propter illud sufficit in pueris quando sunt ex illis, qui sugũt lac in crassatione urinę eorum, donec coagulatur & in lapideitatem uertatur quantitas, quę est in cibo de lacte crasso. Si autem sunt maiores hac quãtitate, tunc gulositas & motus egrediens ab ordine post acceptionem ciborum, cum rebus quas diximus, ex causis quæ incrassant urinam, & generant lapidem, & in illis quorum adolescentia iam completa est, multitudo comestorum frigidorum crassorum est causa crassitudinis urinæ, & generationis lapidis, sicut testificatur in illo qui multiplicat comestionem casei recentis. Veruntamen non oportet ut opinetur, quod crassitudo urinæ sit sufficiens in generatione lapidis, imò quando aggregatur illud cum caliditate ignea, egressa à natura qualitatis. Causa autem in hoc, quod hæc ægritudo non accidit puellis, est, quod collum uesicæ in puellis est breue, amplum, & est propinquum uuluæ. Propter illud ergo penetrat in ipso urina crassa facile, & non retinetur, neque tardatur, quare non coagulatur & non incrassatur. Cum ergo prohibetur hæc dispositio, scilicet amplitudo meatuum in pueris, propter constrictionem colli uesicæ, & longitudinem eius, & accenditur ex caliditate ignea, illa superfluitas sufficit in generatione lapidis. Et hoc cognoscimus ex euacuatione urinæ aquosæ, & sedimine arenoso, quod est in eo, usque quo faciunt uidere signa, quæ significant generationem lapidis. Et sunt pruritus continuus in cannali uirgæ, & tensio eius, mollificatio eius supra mensuram, & dolor qui accidit in anteriori parte iliorum ad inferiora pectoris. Et fortasse accidit urinæ difficultas etiam, quando lapis cadit in collum uesicæ, aut in foramen cannalis uirgæ, & distinguimus inter lapidem generatum in renibus, & inter illum qui generatur in uesica propter magnitudinem & substantiam, quia ille qui fit in renibus est minor & lenior, & non fit minor, nisi propter paruitatem raritatis, quæ est in renibus, & quandoque non est possibile ut tendatur multum, per spissitudinem corporis ipsorum, & quoniam lapis † non forsitan figitur in eis tempore longo, & factus est mollior propter paruitatem moræ suę. Lapis aũt qui generatur in uesica, est maior, & uehemẽtioris duritiei, qa cõcauitas quę est in uesica, est maior

*Signa generationis lapidis.*

*Differentia inter lapidẽ renũ & uesicæ.*

*† natura.*

maior, & extensio eius etiam plus, propter subtilitatem quę similatur panniculo, & quoniam est neruosa, figitur in ea lapis tempore longo.

De his quæ lapidis generationem arcent. Cap. XX.

QVoniam nouimus iam calculi generationis causam, non sit nobis difficile scire qualiter præmittat homo cautelam, ut non generetur lapis. Et cum hæc generatio sit duabus ex causis, scilicet, humore crasso, uiscoso, permixto cum aquositate, quæ attrahitur ex renibus, & caliditate uehementi, quę adurit hũc humorem, & exiccat ipsum, tunc quando nos abscindimus utrasque, & destruimus eas, & abscinduntur causæ ambarum simul, abscinditur etiam generatio lapidis, & abscisio horum fit per cautelam & custodiam à causis facientibus ea, & destructione rei ex qua generatur, & eradicatione eius. Nam humoris crassi generationem, ante omnem rem prohibēt paucitas ciborum, & cautela à malicia digestiõis, quia de proprietate sacietatis & malicię digestionis proculdubio est, attrahere hanc ægritudinem. Si autem accidat & iam incepit hęc ægritudo, excitant eam uehementer, & oportet ut adhibeatur cautela & custodia, post illud à reliquis rebus crassis, & uiscosis, de proprietate quarũ est, teneri cum membris, & generare lapidem. Quapropter est necesse, ut fiat prohibitio ab administratione reliquorũ cibariorũ, factorum ex lacte, & ex ouis duris, tri, adarmacha, candarusio, & similibus. Et oportet ut caueatur omni cautela à caseo recenti propriè, & non fiat abbreuiatio in cautela illis à piscibus recentibus. Nocēt etiam carnes auium degentium in lacunis, & carnes quadrupedum, & propriè uaccarum, & hircorũ montanorum, & quæ sunt illis similia. Similiter etiam fructus difficilis digestionis, sicut mala, persica immatura, caro citri, & illis similia. Custodiãtur etiam à motu laborioso & inordinato post cibum, à comestione panis azymi, aut fermentati qui non est bene coctus, & à uino uehementi nigro & crasso, hæc enim adiuuãt generationem, iuuamento maximo. Illud autem quod aggregatum est, ex humore crasso, & incipit coagulari, oportet ut euacuemus, & solutione educamus ipsum, cum cibis & medicinis, quę non sunt uehementis calefactionis, quia omne cuius calefactio est fortis, addit in materia crassa duritiem, adiuuat & ad generandum lapidem. Propter illud ergo quando cauemus ab administratione harũ rerum, administremus in primis uomitũ post comestionem multotiens, deinde post illud demus in potu decoctum absynthij, continuè diebus multis, alleuiat enim multum ualdè

*Caseus.* *Carnes.* *Exercitium.*

ualde diebus multis. Ex cibarijs demus eis qui sunt pauci nutrimẽti, & non sunt difficilis digestionis. Ex oleribus demus eis quę prouocant urinam, aperiunt & abstergunt, sicut sunt pastinaca recens, opium, anethum, fœniculum, calamintha campestris, & fluuialis. Conferunt etiam carnes auium montanarum, quæ non sunt multæ pinguedinis, quoniam istæ sunt paucæ caliditatis, quare penetrant & non indurantur ut lapis, quoniam non calefaciunt, confert & medulla citrulli, & quod est in concauitate batheke, & ficus humidæ, & siccæ, & uua alba. Vtantur potu uini albi, quoniam est paucæ caliditatis, subtilis, permixti cum aqua fontis dulci, clara, quia aquæ turbidæ limosæ, quæ bibuntur ex fluuijs, & lacunales, & fœtulentæ, & illæ in quibus est sapor horribilis & extraneus, adiuuant ad generationem lapidis. Et oportet ut administremus in diebus etiam decoctum pulegij, & polij, camępithyos, uirgæ pastoris, & radicis althęę, aut decoctum radicis tribuli, capillus ueneris, scolopendrię, cymini syluestris, seminis althęę, samurdimię, & est arbor granorum alsomnati, ista enim omnia prohibent generationem lapidis magni, & frangunt lapidem paruum, & extrahunt eum cum urina. Oportet etiam ut misceamus cum istis rebus, aliquid ex medicinis calidis prouocãtibus urinã, ut attrahatur cum acuitate cursus urinę parata ad generationem lapidis, aut quod arena fractũ est ex lapide qui est illic. Et confert proprie huic intentioni decoctũ apij, pastinacę, sem. citrulli, cucumeris, & seminis batheke, acetum scylliticũ, & oxymeli, factũ cum eo, & est necesse ut decoquamus has medicinas, quas diximus, cum aqua, quam diximus. Et decoquamus eas etiam in olla cum uino subtili, aut sumantur cum oxymelite facto cum scylla, & sint etiam decoctę, & administramus exercitiũ temperatũ & inungamus reliquũ corpus, & proprie renes. Quandoq; etiã facimus inunctionẽ cum oleo antiquo, quandoq; absq; oleo, & quãdoq; cum medicinis resolutiuis, quę abstergũt sicut abrotanũ, & fex cõbusta, & nitrũ. Et oportet ut non tardemus in lenificatione naturę, donec non remaneat in corpore materia crassa, quę descendat ad locũ in principio, & incipiamus cum medicinis quę euacuant, & soluũt cum facilitate in omnibus diebus. Si autem non apparet in renibus caliditas ignea, & non est in corpore materia multa crassa, quod prohibeat à medicina forti, permutemus motionẽ materiei, cum eo quod alleuiat ei euacuationem & obedientiã medicinę in attractione sua. Et dabimus medicinas quę soluunt cum uirtute post subtiliationẽ, & apparitionem digestiõis absq; timore, &

*Olera.* *Potus.* *Samurdimia.*

absq; pauore. Hoc est ergo regimē cōueniens in prohibitione crassi humoris ex quo generat̃ lapis, & ad mundificandū illud quod aggregatū est ex eo in corpore absq; caliditate apparente. Nam caliditas ignea quę generat lapidē, non est nisi ex calido apostemate, ex genere almessire, aut ex genere phlegmones, quæ fit in renibus, aut uesica, aut propter illud quod sumit̃ in comestione & potu ex rebus uehementis calefactionis fortis, sicut comesta & bibita calida, aut ex administratione medicinarū calidarū egressarū ab ęqualitate, aut exterius, aut interius, quādo prolongant̃ ęgritudines in istis mēbris, aut propter laborem uehementem consecutiuū. Quapropter quando curamus quosdā eorū cum eo, cum quo curamus phlegmonē, & almessire, & erysipelas, & mutamus medicationē in quibusdam eorū, sicut sunt medicinæ calidæ, quas administramus exterius & interius, & in quibusdā eorum proijcimus eas, & dimittimus sicut in utentibus labore uehementissimo, cōtinuo redit caliditas, quę est in renibus ad ęqualitatē, & prohibetur à generatione lapidis. Si ergo est ex malicia cōplexionis ex apostemate calido, & est apostema absq; duritie, oportet ut liniamus illud, & extinguamus cum cerato facto ex oleo rosato, aut oleo chamæmelino cum aqua endiuię, aut lactucę, aut semperuiui, aut uirgę pastoris, aut portulacę. Et administremus emplastra cum rasura cucurbitæ, & farina hordei, aut altahalub, quam lenticulā aquaticam nominant, & ponamus ea super loca apostemata, & demus ex cibis aquam hordei cum oxymelite. Et oportet ut permisceamus cum rebus, quas deforis administramus, acetum, quoniam adiuuat ad submergendū, & facit apparere operationē eorū, & iuuamētū ipsorum. Si aūt apostema est calidū cum aliquantula duritie, tunc administramus res lenientes duritiem, & refrenantes inflāmationem. Et illa quæ sunt cum hac proprietate, sunt chamæmelū, anethū, & oleum factū ex eis & althæa, & fœnogręcū, & semen lini, & medicamen factū cum mucilagine, quod nominatur diachylon, & hoc est quod administrat̃ in principio. In fine autem quando apparet in apostemate maturitas, & lenitur illa durities, tunc nos damus medicinas quæ prouocant urinam interius, & miscemus cum rebus, quas administramus, ea quæ leniunt & resoluunt cum æqualitate, sicut ammoniacū, styracem, pinguedines, medullas, & reliquas medicinas lenitiuas, & miscemus cum eis castoreum, mirrham, nitrum, & oleum balsami, & quæ sunt illis similia. Si autem causa maliciæ complexionis calidæ igneæ, est continuitas administrationis medicinarum, quæ ad-

ministrantur

ministrantur exterius & interius, tunc si inuenimus ad dimittendam administrationem earum ex toto, est rectius quàm aliud. Et si exigit necessitas administrandum eas, est necesse ut quæramus medicinas alias de proprietate, quarū sit efficere operationem earū absq; caliditate apparente, aut minuamus ex medicinis calidis, & administremus eas omnibus diebus. Et laborem continuū qui facit maliciam complexionis calidæ, oportet ut permutemus ad contrariū ipsius, ita ut administremus quietem, trāquillitatem, ocium, regimen temperatū, cōueniens, & iuuatiuum. Cibi autem & potus crassi tardæ digestionis, quoniam propriè secundum plurimum sunt causa generationis lapidis semper, tunc si non abscindimus eos, & non ponimus in eis regimen sanum, & secundum quod cōuenit speciei maliciæ complexionis ipsius, & discernimus uirtutem ciborum & potuum, est corruptio ex eis maior, quàm cum medicinis conuenientibus. Comesta etiam & bibita sumuntur omni die necessariò, & non est de proprietate hominis, ut accipiat ea semper. Quod si possibile est illud quibusdā hominibus, non est tamen in medicinis de uirtute iuuatiua, quæ stet cum oppositione regiminis nociui. Ita ergo oportet ut caueatur à generatione lapidis, donec non generetur omninò, aut non moretur quando generatur, neque magnificetur penitus.

*De illis in quibus lapis generatur & magnificatur.* Cap. XXI.

ILlorum quidem in quibus lapis generatur & magnificatur, est necesse in principio, ut etiam perscrutetur cum significatiōibus, quas diximus ante, quia significant ægritudinem & loca læsa. Et post illud si declaratur nobis quod lapis est in renibus, & quod ipse est fixus in uno loco propriè, ex quo non permutatur, & hoc cognoscitur ex assiduitate inquietudinis infirmi, & ut non sit dolori eius trāquillitas, tunc non oportet ut præsumamus super extractionem lapidis, neq; super mundificationem eius, cum medicinis prouocantibus urinam, frangentibus lapidem, nisi in primis leniamus ipsum, adhibēdo uaporationes, & emplastra cum cerato mollificatiuo & solutiuo. Secundum hoc tamen oportet, ut tu harum rerum administrationē, etiam facias cum uehementi cautela. Oportet enim ut non multiplicetur administratio rerum, quæ mollificant & leniunt, ut non dissoluatur uirtus membri, & non possit expellere à se illud, quod in ipso est extraneum, aut elongare illud à se. Et oportet ut non tardetur in illo, & propriè si declaratur, quod aliquid ex materia prouenit ad membrum, ex humore

malo in corpore, aut ex membro alio apostemoso, aut alia ex ægritudinibus quæ sunt cum materia. Et si lapis non est retentus in loco uno, imò permutatur de loco ad locum, & scimus illud ex uehemētia doloris, quandoq; & quiete eius alia uice, & non currit ad membrum læsum aliquid ex materia, confert ad illud uaporatio cum spongijs infusis in aqua & oleo, & calefiant, & comprimātur, & inunctio cum compressione, statim cum eo quod narrauimus, & ponantur super locum doloris. Et secundum hanc formam, etiam ualet effusio olei rutacei super locum, postquàm miscentur cum eo gallæ contritæ, & chamæmelum. Si autem est illic aliquid ex frigiditate uehementi, tunc oportet ut misceatur cum oleo castoreum. Confert etiam emplastrum, factum cum oleo, quod est decoctum cum careno, & aggregatum est cum oleo chamæmeli. Et emplastra quæ fiunt ex pane secūdum hunc modum, & quæ fiunt ex farina tritici, & decoquuntur cum aqua & oleo sesamino, & sale, & conferunt iuuamentum magnum ualde. Et oportet ut continuetur mutatio emplastri in hora post horam, ut non infrigidetur, aut calefaciamus ipsum exterius, donec remaneat caliditas in ipso dum permanet super locum. Et est necesse ut administrentur ista emplastra, & uaporationes, & effusio oleorum, & inunctiones propriè super stricturam dorsi, & uacua loca uentris, & ilia, & pectinem. Quādo enim ista loca mollificantur, & dilatantur meatus qui sunt in eis, est leuius egressio lapidis, quando expellitur cum uirtute medicinarum prouocantium urinā. Quod si dolor est uehemens, & non quiescit per administrationem harum rerum, redimus ad res, quæ fiunt cum corticibus papaueris, & hyoscyamo, & opio, & miscemus ex eis in emplastris, quæ præmissa sunt deforis, partem. Et damus in potu etiam ex medicinis lenitiuis compositis, in quibus cadunt istæ medicinæ, quas narrauimus, sicut est Philonium, & quæ sunt illis similia. Post administrationem autem medicinarum stupefacientium, uentosa uacua quando ponitur super locum, permutat lapidem, statim permutatione mirabili, & sedat acuitatē doloris. Oportet ergo in initio ut ponatur uentosa super renes propriè, deinde post illud faciamus illam descendere paulatim, & dirigamus eam ad anteriorem partem, & ad inferiorem, & uersus grauitatem in loco, in quo sentit infirmus dolorem. Et fortasse sentiunt dolorem infirmi in ilijs, quando attrahitur lapis uersus uias urinę, & propter magnitudinem suam, aut propter suam asperitatem, non potest pertransire in eis, imò retinetur & stat in eis, & facit accidere

*Vētosa uacua.*

dolorem

doloremuehementem. Tunc ergo oportet ut sedemus dolorem, ita ut ad ministremus sessionē in aqua fœnogræci, althææ, anethi, chamæmeli, cum qua permixtū est oleum, ut sedetur dolor, & alleuietur lapidis descensus. Si autem restringitur natura, oportet ut solliciti simus in lenificatione eius, ut non perueniat infirmus ex difficultate doloris lapidis, quādo tenetur in uijs urinæ, & uesica ad uehemētiam uehementem, & syncopin, & pœnam laboriosam ex duritie lapidis. Et ponamus solutionem eius per clysterem, quia illi infirmi non tollerant administrationem medicinarū solutiuarum, fit autem clystere ex quibusdam rebus lenibus. Et effundatur oleum sesaminum in eis, & adeps gallinæ recens, aut oleum anethinum, aut oleum de althæa, aut adeps anatis, uel anseris, & oleum de fœnogræco, quia ista mollificant corpora, & amplificant poros eorum, & cursus ipsorum. Iuuantur etiam per clystere, factum ex oleo accepto cum decoctione fœnogreci, & seminis lini, cum quibusdam adipibus, & quibusdā oleis, & emplastris, quæ diximus. Cum ergo sedatur dolor parum cum uaporationibus, & oleis, & emplastris, quæ diximus, tunc est necesse ut abstineamus eum ex istis medicinis, quæ soluunt, propter illud quod diximus. Et simus contenti super administrationem clysteris, qui fit cum oleo anethino, aut oleo chamæmelino, & de althæa, & superceratū factum, cum succis, & adipibus, & quibusdā oleis, ut diximus. Et oportet ut mensuremus & ponderemus illud, quod inijcitur ex unaquaqꝫ harum rerum, & horas administrationis earum mensuratione artificiali, donec perseuerat & prolongatur dolor, prolōgamus etiam nos horam administrationis earum. Et si prolongatur amissio doloris, tunc secundum quantitatem illius redimus ad administrationem medicinarum frangentium lapidem, prouocantium urinam, donec egrediatur lapis. Istę ergo res sunt cōferentes in esse lapidis, qui est in renibus ꝑprie. Si autem illic est ægritudo alia, aut aliquod accidentium, oportet ut incipiamus cum eo, quod opponitur difficiliori eorū, & uehementiori, postquā nos permiscemus cum rebus, quæ conueniunt lapidi, etiam quod cōuenit ægritudini illi, quia fortasse accidit cum lapide apostema, quare magnificatur dolor. Propter illud ergo oportet si accidat dolor ex apostemate, ut incipiamus cum phlebotomia, si infirmus est sanę uirtutis & multi sanguinis. Et si prohibet ab illo aliquid, est necesse ut incipiamus cum emplastris, & effusione olei, & uaporatione, quam diximus ante, ut adiuuent ad maturationem apostematis, & resolutionē rei etiam alicuius, ex eis quæ sunt con-

tenta in eo, aut quod effunditur ad ipsum. Cum ergo maturatur apostema, oportet ut misceamus etiam cum rebus, quę administrãtur exterius & interius, medicinas lenitiuas, cum aliqua re ex medicinis solutiuis. Et accipiamus comparationem quantitatis administrationis nostrę, ex specie substantię earum, quia si materia indiget resolutione multa, & est cum illa dura, difficilis resolutionis, oportet ut sit illud quod proijcitur ex medicinis lenitiuis, in emplastris & linimentis, quantitas maior, & ex resolutiuis minor. Et si res est secundũ contrarium huius, donec materia retenta sit multa, sed est lenis, facilis resolutionis, oportet ut misceatur ex medicinis resolutiuis plus, & ex medicinis lenitiuis minus. Si aũt nobis necesse est, administremus etiam ex medicinis prouocantibus urinam, & ex soluentibus materiam, donec mũdificetur corpus mũdificatione completa sufficienti. Si aũt cognoueris quod illic est uentositas crassa, retenta, quę addit in dolore, cõmisce cum istis medicinis quę frangunt lapidem, res quę resoluũt uentositates, sicut sunt ruta, anethũ, ammeos, cyminũ, semen carui, nigella. Et est possibile ut quando permiscenť ista, pmisceamus cũ eis farinã hordei decoctam, & faciamus ex eis emplastrũ. Et est possibile etiã ut decoquamus ista cum aquis & oleo, cum quibus rectificanť emplastra, quę diximus. Et ut demus eis ad bibendũ de aqua illa, & zeleniabin de melle, & quandoq; decoquuntur etiam cum rebus, quę conueniũt ad frangendũ lapidem, & ad prouocandũ urinam, & ut detur in potu ex decoctione earũ. Quod si in uesica est lapis magnus, tunc forsitan non fit dolor difficilis, uehemens, quoniam non adhęret neq; coartať propter raritatẽ & concauitatẽ uesicę. Veruntamen quando peruenit lapis ad collũ uesicę, & cannam uirgę, non potest penetrare in eis propter magnitudinẽ suã, quia infirmus tũc peruenit ad propinquitatẽ perditionis propter cõpressionem, & uehementiã doloris, quę sequiť hanc ægritudinẽ. Et quoniã uesica est uehementis frigoris in natura sua, & pauci sanguinis, tũc est indigens curatione fortiori. Propter illud ergo oportet ut sedeat infirmus in aqua, in qua decocta sunt anethũ, melilotũ, chamæmelũ, radix althęę, & semen lini, fœnogręcũ, spica, capillus ueneris, fol. agni casti, & medicina quę nominať demusurium, & est uirga pastoris, samsucus, sanguasar, rosę. Et embrochamus locũ lęsum cum quibusdam oleis lenitiuis, mollificãtibus & sedantibus dolorẽ, & permiscemus ex istis oleis cum linimẽtis, quę fiunt cum cera, & adipibus. Et fortasse liquefacimus galbanũ, aut picẽ, aut ammoniacũ, in quibusdã horũ oleorũ, & lini-

*Ventositatẽ resoluentia.*

mus cũ eo. Et melius quod in hoc administrat̃ est bdelliũ de mecha. Et est necesse ut misceamus in emplastris, capillũ ueneris, folia uirgę pastoris, folium, polium, althęam, & radicem scolopendriæ, & altheil. Et demus in eo quod bibit̃, medicinas fortes, frangentes lapidẽ, & prouocantes urinã. Mel uero cũ aqua dulci in initio sedat dolorẽ, accidentẽ propter lapidem in renib. & uesica, & post paululũ fit fortis, & fit difficilis dolor plus, & corroborat̃, quoniã mel cum aqua calida mollificat mẽbra læsa. Propter illud ergo quãdo uolumus administrare hoc, oportet ut administremus illud cũ cautela uehemẽti in eo, qđ est inter dies, cum embrochis ex oleis de ꝓprietate, quorũ est ut cõseruent uirtutẽ in mẽbris læsis, sicut oleũ de lilio, oleũ de alcanna, quãdo decoquit̃ cum eis utrisq; spica Indica, & miscent̃. Quod si lapis in transitu suo inter renes & uesicã, facit accidere ulcus in uia urinę, tũc oportet ut in potu det̃ lac cum melle, & administret̃ regimen conueniens ei, qui habet ulcera. Si aũt tenet̃ lapis, quãdo ꝓuenit ad radicẽ uirgę, donec adhęreat & stet, & non possit exire, oportet ut ingenietur ad egressionẽ eius, & ipsius attractionẽ cum alcathatir minuto, hoc est, radio cõcauo. Qđ si non egredit̃ cum hoc etiã, oportet ut scindat̃ desuper in lõgitudinẽ, donec extrahat̃, & ob hoc si non est ei necessitas cõtingens, ꝓpter exaltationẽ suam super perditionẽ, oportet ut abstineamus & caueamus illud, nisi cogat nos ad illud res magna, & labor magnus difficilis. Quia secundũ plurimũ conuertit̃ locus scissurę, qui est in cursu urinę, in fistulã, & ex ea currit urina, hęc ergo est cura eius qui habet lapidẽ paruũ, cuius egressio preparat̃ cum urina, quãdo generat̃ in uesica. Illi aũt in quorũ uesicis generat̃ lapis magnus, & non sufficit in eis administratio medicinarũ frangentiũ lapidem, aut ꝓpter scissurã, aut amorẽ uelocitatis sanationis, oportet ut curet̃ cum ferro, cum quo abscindit̃ lapis. Et fortasse egredit̃ lapis cũ instrumento, & post extractionẽ lapidis fit sollicitudo cõpleta de loco scisso, donec cõsolidet̃ & sigillet̃. Et est necesse nunc ut rememoremus omniũ medicinarũ simpliciũ conferentiũ eis, qui habẽt lapidẽ, & faciamus illud sequi ex medicinis cõpositis, quę ꝓbatę sunt multotiens, & cognoscit̃ p experimentũ. Et illę quę conferũt ei, in cuius renib. est lapis in ordine primo, sunt medicinæ quę conferũt iuuamentũ paruũ, & sunt medicinę frãgentes lapidẽ cũ æqualitate, sicut radix altheil, scolopẽdria, sem. santuriume, althęa, capil. uener. uirga pastor. rad. alhasech syl. ciperi, cyminũ syl. sem. citrulli, batheka, & aqua decoctionis rad. agni casti, & aqua ferrariorum, acetũ scylliticum, &

*Mel.*

*Medicinæ simplices, frãgentes lapidem.*

aqua decoctionis siclæ. Et fortius istis omnibus lapis, qui inuenitur in spongia, & camæpithyos, pulegium ceruinum, polium, aqua ciceris nigri, radix asparagi, bdellium de mecha, semen cyperi Ægyptij, radix cannę, uirga pastoris, cortices radicum lauri, semen raphani. Ex illis autem quæ frangũt lapidem, qui est in renibus est lapis, qui inuenitur in spongia, & nitrum combustum, lapis Romanus, lapis qui apportatur de terra Iudęæ, & dicitur lapis Iudaicus, grana alcohol, & est medicina Inda, & cum hæc reliquæ medicinæ prædictę, & sanguis hirci, postquam siccatur, & teritur, & accipitur cum zelaniabin de melle, & cinis scorpionũ. Et melior, & fortior istis omnibus, non ad lapidem in renibus tantum, imò ad frangendum lapidem in uesica, est auis quæ nominatur Atruguludiris, & est auis in forma sua minor reliquis auibus, præter auem quæ nominatur Basilica, & intentio eius est regulus, quia ista auis est maior parum illa, & color eius est medius inter cinericium & colorem citrinũ, & habet super alas suas pēnas aureas, & rostrum minutũ, & in cauda eius sunt puncta minuta alba, & mouet eam semper, & sibilat, & est pauci uolatus, & habitatio eius est in parietibus, & tentorijs laneis, & plurimũ uidetur in hyeme, & est uirtus mirabilis in frangendo lapidem generatum, & prohibendo illum de quo timetur, ut generetur. Et iuuamentum eius ad illum qui indiget ea uti, est duplicatum, quia fortasse datur ex eo corpus eius, & fortasse datur ex cinere, quando misce tur cum pipere, & folio Indo, & fortasse accipitur cum uino cocto clari coloris, & fortasse accipitur cum melle confecta. Et oportet ut scias quod medicinæ quæ leniunt lapidem in uesica, & frangunt ipsum, in bonitate sint superfluentes super medicinas, quæ frangunt lapidem, qui est in uesica. Et illæ quæ frangunt lapidem, qui est in renibus, non omni hora frangunt illũ, qui est in uesica, & misceantur cum medicinis frangentibus lapidem, etiam medicinæ aliæ de proprietate, quarum est ut prouocent urinam crassam, multam, sunt radix rubeæ, quando teritur & bibitur, & cortex radicũ capparis. Si autē non est in corpore humor, quem necesse sit euacuare & egredi cum urina, tunc oportet ut misceantur cum medicinis, quæ leniunt lapidem, medicinæ quæ prouocant tantum urinam, præter quod euacuetur cum eis materia crassa, ut sint cum multitudine transitus sui super renes, & uesicam frangētes lapidem, sicut acorus, daucus, azarum, ammeos, semen apij, baucia, fœniculũ, anisum, alkeisim, siseleos, semen agni casti, squinantum, cordumemi, petroselinũ, meum, phu, & reliqua quę sunt illis similia.

Et cantharides

Et cātharides sunt huius generis, sed est necesse in administratione harum cautela uehemens. Et sunt aliæ medicinæ, quę mouent uirtutes naturales, & oportet ut misceantur ex eis cum medicinis, quibus curantur isti, sicut scordeon, chamędreos, kemeidheki, & est genus chamæmeli, & extremitates alfessire. Et hæ sunt medicinæ aliæ, quæ proijciuntur cum illis, & non sunt in natura sua uelocis penetrationis, sed figuntur & confortant, & faciunt tardare medicinas, quæ frangunt lapidem, donec agant in lapidem quando prolongatur mora, & sunt sicut spuma alkessemici, & ex eis quę sunt sicut istę, sunt piper, & folium, quia ipsę faciunt penetrare medicinas, quę conferūt lapidi, ueloci penetratione, & acuitate cursus, secundum quod ipsę sunt in natura sua subtiles. Spica autem Aromatica, amomum, calamus Aromaticus, cyminum, cordumemi, & reliquę medicinę Aromaticę cum absterfione sua, & cum prouocatione sua, qua prouocant urinam, faciunt lucrari membra urinę uirtutem, & conseruant quod est in eis de uirtute innata. Et propter illud miscetur ex eis aliquid cum medicinis, quas diximus, & propter illud quod est eis ex operationibus quas diximus, & propter illud quod faciunt eas acquirere ex Aromaticitate.

*Medicamen frangens lapidem, expertum & sublime.*

Recipe seminis batheke excorticati, milij solis, nitri adusti, dauci omnium æquales partes. Terantur & cribellentur, & dentur ex eo drach. 3. cum aqua decoctionis ciceris nigri.

*Aliud ad hunc modum.*

Recipe lapidis qui inuenitur in spongia, scolopēdrię, capilli ueneris, semin. althęę, petroselini, omnium æquales partes. Terantur & cribellentur, & dentur ex eo drach. 3. cum aqua raphani, aut apij.

*Aliud ad lapidem, qui est in uesica.*

Recipe fimi columbini, stercoris galli, condisi añ. terantur & cribellentur, & detur in potu cum aqua raphani, aut cum aqua calida.

*Aliud ad lapidem.*

Recipe condisi drach. 1. fimi columbini drach. 1. & s. scarabeorum dauich 1. & s. Teratur & detur cum uino.

*Aliud frangens lapidem, qui est in renibus, & uesica.*

Detur pondus drach. † 2. capilli ueneris contriti, cum aqua apij, & raphani, & sumantur in potu. † *drach. 3.*

*Aliud.*

Detur aureus unus, ex seguasire, cum aqua tepida.

*Aliud ad lapidem qui est in renibus & uesica, sublime.*

Recipe batheke, citrulli, cucumeris excorticati añ. drach. 5. semin. raphani, sem. napi syluestris, dauci, petroselini añ. drac. 2. seminis apij, fœniculi añ. drach. 3. granorum nere drach. 4. stercoris uaccæ pascentis, inuoluti cum oleo sambucino drach. 5. Terantur & cribellentur, & dentur drach. 3. cum aqua apij, & foliorum raphani bullita, & colata.

*Decoctum ad lapidem in uesica sublime.*

Recipe milij solis contriti drach. 15. capilli ueneris drach. 7. scolopendriç drach. 5. hasech drach. 10. dauci, petroselini añ. drach. 4. ficuum † 8. sehegerin † 7. numero, decoquantur cum 4. lib. aquæ, donec remaneat lib. 1. & bibatur ex eo omni die tertia libræ, post exitum à balneo.

*Aliud ad frangendum lapidem in uesica.*

Recipe scolopendriæ unc. 1. granorum nere sublimium excorticatorũ unc. s. fundatur super ea ex aqua quod submergat eam, & superfluat digito uno, & decoquantur bene, deinde coletur ex illa aqua, quantitas sanciati unius, & detur in potu, est enim bonum iuuatiuum ualde.

*Confectio ad lapidem in renibus.*

Recipe granorum nere excorticatorum aur. 2. croci aur. 1. aristolochiæ contritæ aur. s. conficiantur cum melle despumato, dentur drachmæ quatuor cum uino, est enim sublimis.

*Confectio ad lapidem in uesica & renibus, & ad difficultatem urinæ.*

Recipe granorum almualeb, nigellæ añ. drach. 5. castorei, styracis liquidæ, aniuden, olei balsami añ. drach. 2. terantur grana almualeb, nigella, & castoreum, & liniantur ex oleo balsami, & styrace, conficiantur cum melle despumato, & dentur drach. 2. cum aqua cymini, rutæ, & raphani, est enim sublimis, sana & experta.

*Alia ad lapidem qui est in renibus.*

Recipe semin. raphani, granorum alcolb æquales partes, terantur & conficiantur cum oleo sambucino, & detur quantitas ex ea, instar auellanç cum bono uino.

*Confectio scorpionum frangens lapidem, qui fit in uesica.*

Recipe scorpionum combustorum drach. 3. & s. gentianæ drach. 4. & s. zingiberis drach. 1. piperis nigri, piperis longi, añ. drach. 2. & s. radicum uesicariç drach. 5. & s. castorei drach. 4. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum melle, & referuetur sex mensibus, deinde administretur, uiris dauich unum, pueris dauich mediũ cum aqua radicum apij.

Aliud

*Aliud medicamen, quod fit cum scorpionibus, frangens lapidem, & praeseruans illum qui eo utitur, ne in eo lapis generetur.*

RECipe decem scorpiões uiuos, & proijciantur in ollam figuli nouam, & liniatur olla ex massa tritici, & calefiat furnus, in quo coquũtur tortelle cum lignis anethi calefactione bona, deinde extrahatur cinis totus ex furno, & ponatur olla in ipsum, & sit stricta linita ex massa, & oppiletur porta furni bene, & dimittatur tota nocte, deinde extrahatur olla mane ex furno, & dimittatur donec infrigidetur, deinde accipiantur scorpiones, & seruentur in uase uitreo. Cum ergo necessitas exigit, terantur ex eis duæ kerates, & dentur in potu cum candidicon, ipsi enim frangũt lapidem, & mingitur supra illud quod mirabile est frustatim.

*Aliud frangens lapidem.*

SVmantur baurach Armeni drach. 5. terantur & conficiantur cũ melle, & dissoluatur cum succo raphani quantitas unc. 2. & detur ex eo in omnibus tribus diebus.

*Aliud ad hunc modum ex libro decimo tractatuum.*

REcipe azari, rubeæ, seminis apij añ. drach. 2. anisi, dauci, acori, carpobalsami, tragachantę, sem. melonis añ. drach. 5. terantur & cribellentur, & conficiantur cum melle, & detur cum aqua raphani.

*Aliud medicamen siccum ex eodem libro.*

REcipe carpobalsami, lapidis inuenti in spongia, calaminthæ campestris siccæ, seminum maluæ, in alia descriptione seminis granati syluestris, & grana alkilkil, bedaregi sicci añ. partes ęquales, terantur cribellentur, & conseruetur, & detur ex eo cochleare unum, cum uncia una uini permixta.

*Medicamen cum sanguine hirci ad dolorem renum & lapidem, & non est ei simile, ualdè mirabile, quoniam frangit lapidem, qui iam generatus est, sic ut emingatur, & prohibet generari alium, & exire facit, quod fractum est cum urina, & ipsum etiã sedat dolores qui sunt in renibus, si sunt ex apostematibus in renibus, aut ex lapide, & iste est modus.*

QVum uua incipit denigrari sumatur olla noua à figulo, & fundatur in eam aqua, & ferueat donec auferatur ab ea terrestreitas, quæ est in ea, deinde decolletur hircus, & accipiatur ex medio sanguinis qui currit ex eo in ollam, & non accipiatur primo quando sanguis currit, neq; etiam circa finem. Et dimittatur sic sanguis in olla donec coaguletur, deinde incidamus ipsum in partes paruas, eo existente in concauitate ollę & cooperiamus ipsum cum reti stricto, aut cum pãno subtili raro, & dimittamus ipsum

sub cœlo,

ſub cœlo, donec recipiat radios ſolis & lunę, & dimittamus ipſum donec benè exiccetur. Et caue ne rore humectetur, deinde teratur multum, & ſeruetur, & detur ex eo cochleare unum cum decocto dulcis aquę apud quietem doloris, nam tu miraberis ex operatione eius, ego enim expertus ſum illud. Et eſt ſecundum illud quod dixit Philagrius in ſuis ſermonibus. Neceſſe eſt ut hircus ſit iuuenis, quaſi quatuor annorū, & proijciamus folium in hoc medicamen, & amomum, ſpicam, & quę ſunt illis ſimilia, donec aromatizetur odor eius.

*De extractione lapidis, & curatione cum catheteri, hoc eſt, radio concauo, qui intromittitur in uirgam.* Cap. XXII.

ET quoniam neceſſitas fortè uocat nos ad extrahendū lapidem cum perforatione, & forſitan non licet id omni hora. Fortaſſe enim indigemus quando retinetur urina, ut alleuietur egreſſio eius cum radio concauo, aut propter lapidē qui cadit in collū ueſicę & oppilat ipſum, aut propter ſanguinem congelatum, qui coagulatur & facit ſimile illius. Tunc oportet ut loquamur in illo ſermone abbreuiato: Scias ergo quod quando lapis generatur, ubicunq; generetur, extractio eius cum ferro, eſt timor magnus perueniens ad uehementiam. Veruntamen illum qui fit in renibus, quidam antiquorum ſapientum prꝑceperunt extrahere cum ferro, & perforatione incidente retro, ſuper latus duorum iliorum in loco renum. Ego autem uideo quod hoc eſt audatia difficilis, uehemens, ſublimis ſuper mortem, propter illam rem, per adminiſtrationem huius curatiōis. In lapide autem qui generatur in ueſica, ſi nos adminiſtramus extractionē cum inciſione, non eſt in adminiſtratione, uel operatione illa uehementia ſimilis illi, quoniam euadunt quidam ex illis, ex quibus extrahitur lapis. Et ex eis ſunt quorum uulnus contrahitur, conſolidatur, & ex eis ſunt in quibus remanet in loco, ex quo extrahitur lapis, uia, ex qua currit urina ſemper, quoniam illi ex quibus aperitur locus ille abſq; apoſtemate magno, euadunt, & conſolidantur uulnera eorum. Reliqui autem indigent eo, quo conualeſcant, & non fit uehementia curationis eorum, ex quibus extrahitur lapis, per inciſionem, & ſubtilitas eius niſi ſecundum quantitatem ætatis & complexionis, & quantitatem magnitudinis, & figuram eius. Quia pueri ſanantur cum facilitate, propter humiditatem corporis eorū, & cum facilitate conſolidationis uulnerum eorum, & propriè in illo, cuius ętas eſt quatuordecim

quatuordecim annorum, quia tollerantia eorum est plus propter uirtutes eorum. Ex reliquis autem decrepiti, quorum caliditas diminuta est, & quorum sanguis diminuitur, sunt facilioris sanationis, quoniam phlegmone forsan non fit in eis. In iuuenibus autem, & in illis qui sunt in prima senectute, est sanatio difficilior, quia apostema calidum festinat ad eos propter multitudinem sanguinis in eis, & quoniam complexiones eorum sunt adhuc calidę, aut propinquę calori caliditati, & illorũ ulcera forsitan non consolidantur. Qui uero ex lapidibus magnus est, fit eius retentio difficilis, & eius extractio etiam fit difficilis, sensus parui, & fit facilis eius extractio, quãdo scinditur locus eius, & æqualis in magnitudine est, medius inter hos duos. Rotundus autem est facilis egressionis, & est serratilis, & est è contrario illius, & oblongi introitus in collũ uesicę, & esse eius in eo est difficilis. Cum ergo ingreditur collum uesicæ, egreditur cum facilitate. Illi autem in quibus fit lapis asper, sunt magis tollerantes dolorem accidentem ex incisione ferri, ad extrahendum eum, & propter illud fit facilis eorum sanatio, quoniam consueti sunt tollerare istos dolores, & apostemata. Illi autem in quibus fit lapis lenior, sunt secundum contrarium illius, quia isti dolores & apostemata non accidunt eis multum, neque expectant super dolores, qui fiunt in hora sectionis. Et non est necesse ut administretur alchatatir, id est, syringa, nisi quando est illic aliquid apostematis, quod stimulet apud introitum eius. Veruntamen significationes lapidis sunt inuentæ, aut præcessit eruptio alicuius rei ex sanguine, & coagulatum est in eo, tunc oportet ut fiat alchatatir secundum quantitatem, quæ conuenit ætati infirmi, qui curatur & ligetur lana, & stringatur cum filo forti, & intromittatur in concauitatem radium concauum, quod Arabes Alchatatir appellitant, Cum ergo peruenire fecerimus alchatatir cum prudentia, & mouerimus ipsum, trahemus ipsum filũ in quo ligata est lana ex alchatatir, sic, ut quando extrahitur lana, egrediatur urina cum ea, per uirtutem illius extractionis. Si autem oppilat os alchatatir aliquid, & non currit ex eo urina, tunc oportet ut intromittamus in foramen aliquid, dum est intus æquale ei in magnitudine, & impellatur cum eo uesica, donec expellatur illud, quod oppilabat ipsum, & antequàm intromittatur alchatatir, oportet ut submergamus ipsum in aqua calida concussa cum oleo, donec sit introitus eius facilis absque dolore. Si autem accidit illic apostema aliquod durum uel

difficile,& timemus ex ipso timorem magnum, tūc oportet ut administremus perforationem in loco, qui est inter testiculos, & anum, & intromittamus in locum ipsum cannulam, & faciamus ut curratur urina in ea. Et similiter etiam quando accidit expressio urinę ex percussione, aut ex re aliqua, quę cōsequitur ipsum, donec contrahatur canna uirgę, & attrahatur, & donec non currat in eam urina. Tunc oportet ut perforetur & dimittatur cannula, donec sanetur illud, quod est in circuitu loci, & sit cursus urinę assidue ex ea, quia oportet ut administremus omni ingenio ea, quæ contraria sunt istis causis, ex quibus timetur perditio uiuorum, & eligamus ut uiuat homo in qualibet parte mali, & non moriatur statim subito.

### *De dolore articulorum, coxendicum, & podagra.* *Caput* XXIII.

SCias quod in omnibus membris præparatis, ut accidat eis aliquid ex ægritudinibus quę sunt ex materijs, necessarium est ut aggregentur istæ duæ causæ, scilicet, multitudo superfluitatis, & debilitas mēbri recipientis. Et hęc debilitas est, aut naturalis in principio, aut accidētalis, propter aliquid læsionis cuius euentus præcessit. Ex multitudine autem superfluitatis, scilicet, repletione, aggregantur etiam in dolore iuncturarum, & podagra, istæ duæ causæ, & necessario non sufficit una earum, donec sit causa ægritudinis. Nam si nos ponimus quod causa doloris iuncturarum, non est nisi debilitas tantum, tunc oportet ut ægritudo sit semper, dum permanet debilitas. Et si dicemus quod causa generationis ægritudinis est repletio tantum, tunc non oportet, ut appropríetur ægritudo iuncturarum tantum, imò communicat reliquis membris æqualiter. Et quandoque sunt isti dolores in iuncturis tantum, & non fiunt cum periodis. Et quando non inueniuntur in urina superfluitates, quæ perueniunt ad iuncturas, tunc causæ effusionis materierum sunt illæ, quas diximus, & præparatio membri, ad quod effunduntur materiæ, ad recipiendum eas. Et hoc fit, aut propter raritatem substantiæ uiarum suarum, in quibus currunt, aut amplitudinem earum, aut propter multitudinem attractionis, aut propter locum naturalem. Et quæ ex eis sunt ex amplitudine uiarum suarum, aut raritate substantiæ,

aut ſunt naturales, ſicut caro mollis, & glandulæ, quę accidunt in collo, & titillicis, & inguinibus. Aut accidentales, ſicut illæ, quæ ſunt inter iuncturas exteberi & euacuatorijs, quæ neceſſario ſunt poſita motui & multitudini attractionis. Et hoc fit aut à natura, ſicut fit in carne, aut per accidens, ſicut in iuncturis, & illud eſt, aut propter dolorem uehementem, qui accidit membro & excitat materiam, & opprimit eam, aut ex motu laborioſo. Et inueniuntur iſtæ duæ habitudines in iuncturis, quoniam non ſunt multi motus, & ad ultimũ dico, quod ipſæ ſunt inſtrumenta motuũ. Cum ergo accidit in eis ægritudo, quæ moueat dolorem, tunc attractio eorum fit propter locum naturalem fortis, quare membrum fit facile ad ſuſcipiendum illud, quod effunditur ad ipſum, quando ſitus eius eſt in inferioribus, ſicut ſunt pedes. Propter illud ergo ſecundum plurimum accidit podagra eis, qui non reguntur regimine quod eſt neceſſarium, quoniam de proprietatibus humiditatum, eſt deſcendere ad inferiora, natura & ſitus pedum, eſt inferior omnibus membris. Cum ergo generantur in corpore ſuperfluitates, tunc de proprietate earum eſt, ut declinent ad eos ſecundum aſſiduationem, ſi non reſiſtat eis in corpore membrum aliud, uehementius præparatum ad recipiendum eas, ex quibuſdam cauſis, quas narrauimus.

Cauſæ autem quæ generant ſuperfluitates, ſunt ſatietas & paucitas digeſtionis, tranquillitas longa, ocioſitas aſſidua, & coitus tranſiens menſuram, & ebrietas, paucitas euacuationum cum quibus currit conſuetudo, ſicut accidit habentibus hæmorrhoidas, ex quibus conſueuit fluere ſanguis, nam quando prohibetur illud, quod currebat ex eo, repletur corpus, & eſt illud cauſa generationis ſuperfluitatum. Oportet etiam ut intelligas quod iſta minuunt caliditatem innatam, quare humectatur corpus, & minuitur reſolutio ſuperfluitatum, & multiplicantur materię. Et ſimiliter ſacietas, & paucitas digeſtionis minuũt caliditatem innatam, ſicut ligna multa humida, ſuper ignem paruum & debilem. Et adiuuat ſuper generationem harum ſuperfluitatum, etiam complexio corporis frigida. Et hoc quidem eſt, aut propter ætatem, ſicut illud quod accidit decrepitis, aut propter aliquam ægritudinum chronicarum. Et ſimiliter motus poſt cibum inordinatus, & balnea quæ adminiſtrantur ſecundum ſimilitudinem illius. Et uniuerſaliter dico, quod omnes res, quæ generant maliciam digeſtionis, ſunt iuuantes ſuper generationem ſuperfluitatum in doloribus iuncturarum. Et potus uini multi puri, etiam ante cibum, eſt adiuuãs ſuper ge-

*Cauſæ generãtes ſuperfluitates.*

*Caliditatẽ minuentia.*

 nerationem

nerationem huius ægritudinis,& euentum eius,quoniam absolute est nociuus neruis,propter uelocitatem suæ penetrationis ad ipsos. Multum enim ex eo & purũ, mutat complexiones earum uelociter,& minuit caliditatem innatam.Et adiuuat etiam super euentum ægritudinis podagrę, hæreditatio ex patribus & auis, quia hæc ægritudo mala, quando effunditur cum spermate,ponit ipsum præparatũ ad recipiendum ualde. Et materia ex qua sunt istæ tres ægritudines, fortasse est ex caliditate, aut sanguinea, aut cholerica. Et fortasse est ex frigiditate,sicut humor frigidus,crudus, qui non digeritur, quando aggregatur in iũcturis,& iste in essentia sua est similis saniei crassę,& commoratur in iuncturis tempore longo,non solum incrassatur,sed acquirit uẽtositatem multam & siccam.Et fortasse est causa huius ægritudinis,humor melancholicus etiam.Iuncturę autem quas consequitur hæc ægritudo, secundum plurimum, non redit aliqua earum ad formam suam naturalem,& plurimum accidit hoc in sciatica,& duabus anchis,& podagra. Dolores autem reliquarum iuncturarum fortasse resoluuntur resolutione completa,& proprie,quando sunt ex superfluitate sanguinea.Nam quamuis redeant iuncturæ ancharum,aut pedum,in ægritudine sciatica, & podagra in hora, ad dispositiones suas naturales,tamen ægritudo redit ex quibuslibet causis,propter præparationem illarum iuncturarum ad recipiendum materiam uelociter. Et significatur super materiam facientem hanc ægritudinem ex causis,quæ præcesserũt ex eo quod est proprium,& ex eo quod sequitur illum,& cognitio tua de eo quod pręcessit est,quando inquiris de regimine præcedẽte. Et cognitio tua illius ex eo quod est proprium,est,quando tu experiris illud ex complexione infirmi, & hora anni, regione, ætate,& causis reliquis, & de eo quod sequitur illud, est ex iuuamentis & nocumentis, ex rebus quæ administrantur cum curatione.Et adiungam ad illud significationem ex colore loci,quia nerui qui ligant ipsum,non fit in eis ægritudo podagræ,nisi quando implentur ex materia & perueniunt ad apostema, quod si est rubeum, significat sanguinem, Si decliue ad albedinem & plumbeitatem,signat phlegma,si uiride,fuscũ, signat melancholiam, si citrinum,choleram.

De communi

*De communi curatione doloris iuncturarum, coxendicum & podagræ.* Cap. XXIIII.

CVratio harum ægritudinum secundum communitatem, est cum euacuatione humoris lædentis, ex quibuscunq; modis fuerit. Et secundum proprietates, si est sanguis, & sunt causę, quas necesse est considerare, scilicet ætas, uirtus, tempus, & reliqua quę sequuntur eas, facientes illud necessarium, tunc non oportet ut tardetur extractio sanguinis, & non est necesse ut phlebotomemus ipsum locum læsum in tribus ægritudinibus, quas diximus. Sed secundum situm membri quod est læsum, & ponemus attractionem semper ad loca, quæ opponuntur ei, ut declinet illud quod remansit in corpore, ex humore lædente post euacuationem eius, quod euacuatum est ex eo, & quiescat membrum læsum propter illud. In ægritudine podagrę uerò, phlebotomamus ex iunctura opposita pedi infirmo. In sciatica autem, scilicet, dolore duarum ancharum, ex duabus uenis, quę sunt super calcaneũ, scilicet, extrinsecã cruris, quę est supra ipsum, & uenam intrinsecam, quę est in inferiori parte calcanei, & est pluris iuuamenti. In reliquis autem doloribus omniũ iuncturarum, fortasse lęduntur etiam quędam membra intrinseca, sicut epar, splen, & reliqua membra. Oportet ergo tũc ut fiat euacuatio ex duobus lateribus simul, & eligimus ut phlebotomemus propriè membra lęsa. Et si non est humor noxius sanguineus, imò est humor trium reliquorum, tunc est necesse ut euacuemus ipsos, cum rebus conuenientibus, & conferentibus ad illum humorem propriè, inferius & superius. Et incipiamus & demus illud, quod mouet uomitum quadam motione, & quod soluit † materiam cum facilitate, sicut sunt cassia fistula, tamarindi, & quę sunt illis similia. Et post illud, quando incipiunt humores uincentes digeri, tunc oportet ut administremus illud, quod facit istas duas proprietates cum uirtute. Et non oportet ut faciamus illud, nisi post terminationem horę, & secundum quod oportet ex administratione cum quantitate, cuius mensura confert. Et alia ex eis quę oportet nos considerare, quia omnes species quę administrantur secũdum aliam uiam, aut ponunt ęgritudines difficilis sanationis, aut faciunt peruenire ad illud, cui penitus non est curatio, & fortasse generant ęgritudinem aliam, ad quã oportet conuerti studium nostrum, donec remoueatur. Et postquàm euacuamus totum corpus, oportet ut redeamus ad iuuamenta particularia, quę administrantur intrinsecus & extrinsecus ex eis, quę comedũtur & bi-

† *naturam.*

buntur,& cum quibus fit emplastrum. Et caueamus omni cautela à reliquis rebus de proprietate, quarum est ut exiccent humorem retentum in iuncturis, & istę sunt omnes res in quibus sunt duę uirtutes actiuæ in uictoria, scilicet caliditas & frigiditas, quæ sunt in ultimo, quia res quæ calefaciunt in ultimo, quando administrantur ante horam in qua digeritur materia, & corpus est plenum, aut administrantur super mensuram, aut æqualitatem, aut in loco ubi non conueniunt, tunc ipsę adurunt, & incidunt humorem qui facit ægritudinem, donec ponunt ipsum difficilis resolutionis. Et illæ quæ infrigidant in ultimo, cum hoc quod ipsæ incrassant humorem, & infrigidant ipsum, acquirunt membro læso stuporem, & difficultatem motus, & paucitatem sensus. Oportet ergo ut deuitetur propriè administratio harum rerum in dolore ancharum, scilicet, sciatica, quia humor nociuus retentus in profundo membri indiget, ut acquiratur ei subtilitas, & facilitas cursus, & uelocitas resolutionis, & non acquiratur ei contrarium istarum. Cum ergo subtiliatur iste humor, & resoluitur, & attenuatur, & rarificatur membrum, in quo est retentus, & non est in corpore materia multa, quoniam iam mundificatum est per species euacuationum diuersas, tūc si administras medicinas fortes, non times nocumentum earum. Et non intelligo medicinas stupefacientes, imò medicinas incisiuas, quia non est conueniens ut administrentur, nisi ad incidendum dolorem, accidentem in manibus & pedibus tantū. Veruntamen istarum administratio, non est conueniens, nisi ad incidendum & mundificandum. Et species harum curationum non complentur, nisi per potus, & emplastra deforis, & linimentum, sicut de nostro desiderio est paulò post, ut narrabimus illud in locis suis. Et oportet ut sit compositio harum medicinarum, secundum quantitatem speciei illius materiæ, etiam ad quam componuntur, quia si uincens ex humoribus est sanguis, tunc oportet ut eligantur res infrigidantes plusquam humectantes. Et si humor uincens est cholera citrina, est necesse ut eligantur contrariæ illarum. Et si uincit humor phlegmaticus, aut melancholicus, tunc ipsi uterque indigent curationibus calefacientibus, & non oportet ut sint humectantes, aut exiccantes in forma una. Quia si medicinæ quibus curatur phlegma, sunt calefacientes & exiccantes, iuuamentum fit cum eis in ægritudine, cuius causa est ipsum phlegma magnum. Humorem autem melancholicum, medicinæ exiccantes exiccant, & indurant, propter illud ergo fit eius resolutio difficilis, & eius euacuatio. Et res humectantes

*Qualitates actiuæ.*

mectantes faciunt ipsum acquirere uelocitatem resolutionis, & facilitatem euacuationis. Et si humor faciens hanc ægritudinem est permixtus, compositus, tunc oportet, ut componas medicinas, quas tu administras secundum quãtitatem cõplexionis humoris. Quod si humores sunt ad inuicem inæquales, tunc oportet ut sit multiplicatio illius, quod est contrarium illi uincenti. Et administratio medicinarũ subtiliantium, sedantium dolores, facientium eos quiescere, est communis in omnibus istis ægritudinibus, apud uehementiam doloris, & cum peruenit infirmus ad syncopim & timorem. Veruntamen oportet ut administrentur istę medicinę cum æqualitate terminata, & regimine artificiali cum prudentia, quia in ægritudine facta ex humoribus subtilibus, calidis, quamuis acuitatem eorum infrigidantia infrigident, tamen ipsa nocent ex parte alia, quia ipsa incrassant quod effunditur ad eas, & faciunt eis acquirere tarditatem in penetratione & diminutione submersionis. In ægritudine autem facta ex humoribus crassis, non acquirunt aliquid ex istis rebus, quæ dictæ sunt, & non conueniunt in hac ægritudine, nisi uno modo, quoniam ipsa quando stupefaciunt sensum, sedatur illud quod timebatur de uehementia doloris. Et propter illud quando minueris ex medicinis calidis, quæ permiscẽtur ad istos dolores, & es contentus in illis, quę faciunt peruenire uirtutem earum ad profundum, non erras. Hic autem oportet, ut permisceas cum eis ex medicinis calidis subtilibus, quantitatem quæ minuat ex nocumento, facto ex frigiditate earum. Et non oportet ut sis contentus secundum prudentiam, regimine medicinarum, quas diximus tantum, imò administra simile illius in omnibus, quæ comeduntur & bibuntur, & uniuersaliter dico in reliquis † regiminibus, quia iste modus est, ut distinguatur secundum speciem ægritudinis. Et consideremus etiam illud, quod exigit hora, & ætas, & causæ, quas diximus ex eis, quarum conseruatio necessaria est.

† ægritudinibus

Curatio ergo omnium horum dolorum, quæ communicat eos, secundum hanc semitam, oportet ut sit, quod uerò proprium est unicuiq;, curabimus cum eo, quod narrabo.

De curatione doloris iuncturarum propria. Cap. XXV.

QVod commune est huic ęgritudini cum ægritudine, quę nominatur podagra, est effusio humoris nociui ad loca lęsa. Propter illud ergo oportet, ut inquiramus in primis & cōsideremus, an effundatur ad illud membrū lęsum, materia aut non. Deinde post illud cōsideremus, quis humor est qui effunditur, & unde effunditur, Postremo consideremus, an materia adhuc currat ad membrum læsum, quoniam corpus est plenū ex humoribus, tunc oportet ut cōsideremus curationem eius secundum duos modos. Quorum unus est incisio eius, quod currit & ipsius prohibitio. Alter, confortatio illius membri, quod recipit illud quod effunditur ad ipsum. Et primus horum duorum modorū, completur cum duabus dispositionibus, scilicet, cum prohibitione à cibis, qui accidere faciunt repletionem in corpore, & propriè ex cibis generātibus illam speciem nocentem ex humoribus, & euacuationem repletionis, quæ est causa ægritudinis. Et incipiamus cum phlebotomia uenę, nam in ea est iuuamentum magnum, ad expellēdam lęsionem, factam ex repletione, & post illud administremus res, quę conferunt illi humori propriè, & locis quę oportet. Si autem dolor iuncturarum est ex humore cholerico acuto, tunc oportet ut demus decoctionem duorum myrobalanorum simul, & aquam decoctionis absynthij, fumi terrę, passularum mundatarum, prunorum, thamarindorum, & quę sunt illis similia. Si autem illic est febris, & iam factum est in iuncturis apostema calidum, mundificabimus illud, & euacuabimus ipsum cū medicamine solutiuo, & cum aqua solani, & cū aqua alkekengi, endiuię, & cassia fistula mundata à canna sua, & aqua alubel cum uiolis siccis, & saccharo. Cum ergo quiescit febris, & apparent significationes digestionis, & uirtus consentit, & ostensum tibi est quod remansit in iuncturis aliquid ex superfluitate crassa, adde in succis quos diximus, etiam aquā apij, & fœniculi, & postquàm tu infundis eas in sero, cum aureo uno ex Hiera Picra. Si autem ægritudo est ex humore phlegmatico, conueniunt ad illā pilulę, quę sunt absq; angustia & tristitia, de seitaragi, & pilulę fœtidę, pilulę factę cum turbith, & agarico, Hiera, polypodio, colocynthide, hermodactylis, meheizahara, buziden, harmel, rubea, alassora, fasorasteni, sale Indo, pyrethro, bdellio, & ammoniaco, & quę sunt illis similia. Quod si unum membrū est illud quod generat materiam, quę effunditur ad membrum infirmum, ponimus studium nostrum in hoc membro donec rectificetur

cetur malicia complexionis uincens in eo, propter quam generatur materia, quæ effunditur. Deinde post illud, redimus ad confortandum ipsum membrum læsum cum linimento, & emplastris de proprietate, quorũ est, ut confortent ipsum, & incidant superfluitates, ita ut euacuent illud, quod collectum est in eo. Si autem causa ęgritudinis est humor sanguineus, tunc oportet ut curemus ipsum cum medicinis infrigidantibus membrum, resoluentibus illud quod collectum est in eo, sicut sunt semperuiuum, cortices granatorum, sumach, farina hordei cõfecta cum uino styptico austero, quia ista prohibent illud quod currit ex materia ad membrum, & resoluũt illud quod collectum est in iuncturis & exiccant illud. Et oportet ut decoquantur cortices granatorũ cum uino, aut cum aceto, decoctione ultima, deinde terantur & conficiantur cum sumach, semperuiuo contritione bona & ultima, & misceantur cum farina hordei, & faciamus ex eis emplastrũ temperatum in humiditate, & emplastretur cum eo membrum læsum. Et oportet ut fiat emplastrum cum eo in æstate frigidum, & in hyeme, imponatur parumper tepidum. Si autem infirmus non tollerat, ut emplastretur, & grauant emplastra membrum læsum, tunc non est malum ut administrentur curationes aliæ, quæ confortent membra læsa, sicut linimentum factum ex acatia & licio, santalis rubeis, collyrio memithe, auellana Indica, bolo Armeno, quando soluuntur cum aqua solani, & linitur cum eis locus. Et conferunt etiam lentes excorticatæ, tritæ, cribellatæ, confectæ cum aqua coriandri humidi, cum camphora. Si autem causa ęgritudinis est humor phlegmaticus, conferunt emplastra ex chamæmelo facta, & meliloto, fœnogræco, semine lini, folijs lauri, harmel, folijs caulium, radice almugath, gummi alborim, oleo de spica, & ex linimento hoc.

*Linimentum ad podagram.*

Recipe mirrhę drach. tres, aloës drachmas duas, croci drachmam unam, foliorum lauri drachmas quinq;, costi, aristolochiæ rotundę añ. drachmas tres. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum careno & uino. Conuenit etiam linimentum ex licio solo, quando teritur & conficitur cum aqua caulis Armeni.

*Aliud ad*

*Aliud ad apostema phlegmaticum, & uentositates, inflationem, sanguinem, & humiditates uirulentas.*

RECipe mirrhę, aloës, litij, santali rubei, collyrij memithę, croci añ. drach. 2. sulphuris combusti drach. † 4. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua solani, endiuię. Et liniatur cum eo. Oportet autem ut intendamus ad regimen, & mensuremus ipsum secundum uirtutem & infirmitatem. Et demus ex cibis, qui generãt laudabilem humorẽ. Nam si nos ponimus intentionem nostram ad quędam horum, quę diximus, donec appropriemus ea cum curatione & regimine, & dimittamus reliqua, tunc nos nocemus alijs. Quod si uirtus indiget curatione multa, si est sana, incolumis, detur in una uice, si uero uirtus est debilis, tunc multis uicibus. In infirmitate autem parum cibi est necessarium. Nos nanq; consideramus ista duo simul, donec accipimus ex eis significationem, non super quantitatem, tempus, ordinem, & speciem cibi tantum, imo super exercitium, balneationem, & reliqua quę ingrediuntur in regimine, tũc nos resistimus ægritudinibus chronicis, difficilis sanationis, resistentia artificiali, & non cadit in nobis error in administratione curationum.

*De curatione doloris coxendicum propria.* Cap. XXVI.

DOlor ancharum qui nominatur sciatica est de genere dolorum iuncturarum. Differentia autem inter utrosq; est quod causa faciens accidere dolorem iuncturarum, est retenta in reliquis iuncturis, aut in pluribus earum, & in hac non est, nisi in interioribus iuncturę duarum ancharum tantum. Dolor autem qui accidit in ea, non est nisi in reuolutione duarum ancharũ, & locis propinquis duobus emunctorijs, & duobus inguinibus, & radicibus coxarũ, & fortasse extenditur usq; ad genua, & terminos pedum. Oportet ergo, si causa ægritudinis est multitudo sanguinis crassi, fœculẽti, adusti, ut properet infirmus cũ phlebotomia, deinde sequamur eam post illud cum curationibus alijs, & si non consentit uirtus, tunc oportet ut incipiamus & confortemus infirmum duobus diebus, aut tribus, deinde phlebotomemus eum. Quod si remanent ex ægritudine reliquię, postquàm euacuamus sanguinem, quamuis contenti simus in curatione eius, phlebotomemus uenam, quę est super calcaneum, quoniam super calcaneum sunt duę uenę, illa quam diximus, & uena posita retro in profundo loci. Si ergo uirtus tollerat, tunc prohibeatur à cibo die uno, aut duobus diebus. Deinde phlebotomemus ei hanc uenam, nam illud est

*Super calcaneum duæ uenæ.*

ex eis

ex eis, quę conferunt iuuamentum magnum, cum attractione superfluitatis ex profundo membri infirmi. Deinde post hęc reuertimur ad euacuationem humoris residui, & consideremus in primis, Nam si humor residuus est acutus, euacuamus eum, cum aqua endiuię, fœniculi, & aloë. Si uero non est caliditas, neque humor existens in anchis est acutus, est necesse ut mundificemus eos, dando in potu medicinas, quę conferūt huic, sicut sunt pilulę de seitaragi, de hermodactylis, pilulæ Indæ, fœtidæ, pilulæ de tapsia, & cum clysteribus lenibus. Et incipiamus in primus cum administratione eius, cum quo iam currit consuetudo ad euacuationem superfluitatum. Deinde administremus post illud, clysterem uehementis uirtutis, sicut clyster factus ex centaurio minori & maiori, pulpa colocynthidis, anetho, furfure, ficubus citrinis, carthamo contrito, assech, bdellio, cumino, melle, oleo de spica, de costo & muri, confert & iuuamentum magnum clyster sequens.

*Clyster conferens ei qui habet Sciaticam,*

RECIPE mezahara, saguasor, centaurij minoris añ. unc. 1. rad. capparis, ellebori nigri & albi, harmel, hermodactylorū, pyrethri, colocynth. granorum nil, mezereon, medullę carthami, anethi, decoquantur omnia cum aqua bene, & sumatur ex aqua decoctionis eorū quantitas lib. & fundantur desuper olei de spica unc. 2. & clysterizetur cum ea dum est tepidū. Si aūt infirmo accidat post curationē inflāmatio, clysteriza ipsum in successione clysteris primi, cum clysteri leni extinguēte, postquā tu uaporas anū continua uaporatione calefaciente, donec remaneat intus tempore lōgo, ut euacuet sicut oportet euacuatione sufficienti, quia secundum plurimum currunt in hac curatione, quando egrediuntur humiditates uiscosę, permixtæ, congelatæ, & fortasse euacuatur cum ea etiam sanguis. Deinde liniatur super ancham læsam post euacuationem, hoc linimentum.

*Linimentum conferens habentibus Sciaticam paßionem.*

RECIPE foliorū lauri drach. 20. pyrethri drach. 5. costi drach. 7. nasturtij, nitri añ. drach. 5. teranť & cribellētur, deinde sumanť picis Romanę lib. s. & liquefiat in quātitate unc. 2. olei sambucini, & puluerizenť desuper medicinę puluerizatę & acetū, & liniatur ex eis super taras, & annectatur super locum lęsum. Et ex eis quę conferunt ualde, est hoc medicamen: Sumatur lana munda & fundatur in oleo de ruta, aut oleo de alcāna, aut sicyonio, & misceatur cum ea nitrum, acetum, pyrethrū, & ponať super locū.

Si autem

Si autem post administrationem horum omnium non sanatur infirmus, non terrearis ab iteratione administrationis earum, postquàm facis quiescere infirmũ diebus aliquot à curatione. Et caue ne accidat ægritudo alia, & cogat te illam dimittere ægritudinem, quam tu incepisti curare, & peruenias ad intentionẽ ægritudinis lædentis, & doloris qui accidit, aut cuius timet aduentus. Accidit enim hoc multotiens ei, qui administrat curationes cũ exuberatione. Cõfert etiam iuuamentũ magnũ in hac ægritudine, uomitus, & administretur in principio ægritudinis, post repletionem ex cibo. Deinde post cibũ in fine uomitus, qui prouocatur cum medicinis, quæ prouocant uomitum. Vomitus autem post cibum fit, quando comedit homo in comestione sua res diuersas, & expectat paululũ, deinde uomit. Sed uomitus cum medicinis, oportet ut fiat in primis cum debili, sicut alcancazed, nux uomica, semen raphani, & atriplicis, cum aqua, in qua decocta sunt anethum, sal, secaniabin facto cum aceto scyllitico. Confert etiam raphanus, qui infunditur in secaniabin scyllitico, quãdo comeditur. Et si post illum est nobis necesse, prouocamus uomitũ cum medicinis fortibus, sicut est elleborus, & quæ sunt eis similia in uirtute. Et quando appropinquat infirmus, ut patiatur azena, id est, cõtractionem, & peruenit res eius ad hoc, ut egrediantur iuncturæ omnes ex locis suis, oportet ut ponatur cauteriũ super duas anchas, in tribus locis, aut quatuor, & non dimittantur ulcera, quæ fiunt ex cauterijs, consolidari uelociter, sed fricemus ea diebus multis cum medicinis aperitiuis, quę corrodunt carnem, donec currat tota sanies uirulenta, aggregata in iuncturis, deinde curemus ulcera post illud. Regimen autem habentium sciaticam, oportet ut sit cum cibis subtilibus, uelocis digestionis, & administrentur in hora qua oportet, ut nutriatur cum eis. Et caueant sibi ab omni cibo de proprietate cuius est, ut generet in corpore repletionẽ multam, & multos humores crudos, indigestos, qui non digeruntur in corpore, sicut comestio facta non super mundificationem, & sacietas, & ebrietas, & coitus, motus pertransiens ęqualitatem, & propriè post cibum, & non secundum ordinem, & quę sunt illis similia.

*Vomitus utilis est.*

*Victus.*

### *De podagra accidente ex humoribus sanguinis propriæ.* Cap. XXVII.

IN hac ęgritudine incipiemus ab extractione sanguinis, deinde cum medicamine solutiuo, quod conforme est humori uincenti in sanguine. Si autem est decliuis ad choleram citrinã, administramus medicinas, quæ fiunt ex myrobalanis citrinis, prunis, thamarindis, fumo terrę, absynthio, aloë,

aloë,scammonea. Quod si sanguis est decliuis ad phlegma,tūc administra medicinas de proprietate, quarum est ut attrahant phlegma cum uelocitate, sicut sunt turbith, agaricus, pulpa colocynthidis, grana nil, & quæ sunt illis similia in uirtute. Et post ista ponemus super locum læsum res subtiliatiuas, sicut emplastra facta ex folijs caulis decoctis contritis, & uitellis oui non elixatis, & fece aceti uini cum oleo rosaceo, aut ex folijs rosarum recentibus cum farina hordei, quia hoc emplastrum confortat membrum læsum cum infrigidatione. Et administramus secundum hunc modum etiam, folia uitis recentia cum farina sauich hordei. Quod si fortis sit dolor & lædit infirmum, administramus quod infrigidat plus, sicut uirga pastoris, farina hordei, oleum rosarum purum, & administremus folia solani, quando fiunt secundum hunc modum, quem diximus. Et maioris effectus est, quod etiam iam multotiens probatum est, psyllium quando infunditur cum aqua & oleo rosarum, & miscetur bene, & fit emplastrum cum eo. Eius autem operatio est plus, quādo conficitur cum aceto, propter uirtutem quæ est in aceto, inuenta etiam in fece, quamuis acetum sit diuersum à fece in dispositione una, quoniam acetum plus est subtile quàm fex, & fex est uehementioris crassitudinis. Postquam ergo in aceto duo sunt iuuamenta æqualia in uirtute, oportet ut sit maius amborum in substantia loco aquæ, quia secundum hanc dispositionem sedat dolorem sedatione mirabili, & extinguit inflammationem & ebullitionem, quæ accidit in membro. Et oportet ut fiat emplastrum cum eo dum est frigidum, & permutetur semper, donec remaneat frigiditas eius, nam quāuis stypticitatem faciat, tamen quando miscetur cum psyllio, fit ex utrisq; emplastrum magni iuuamenti podagræ nobile. Quoniam acetum per uehementiam suæ uirtutis, & suæ subtilitatis, non prohibet ipsum aliquid à penetratione, usq; ad profundū membri, donec repercutiat, & extinguat, & exiccet. Psyllium uerò propter suam uiscositatem, prohibet acetum à mordicatione propter crassitudinem suā, ut sit operatio eius fortior in eo, quod apparet de corpore. Et possibile est etiam, ut inspissetur etiam acetum cum althæa, donec fiat ex eo emplastrum, quod conferat podagræ, præcipuè quando est paruæ caliditatis. Si autem dolor est difficilis, uehemens, quem tollerare non est possibile, tunc conueniunt eis res stupefacientes, sicut lactuca, lac papaueris, coriandrum humidum, mandragora, quando miscetur unumquodq; cum farina hor-

dei & oleo rosaceo, & ponitur super locum. Veruntamen oportet ut caueatur à multitudine administrationis harum rerum stupefacientium, & non sit earum multiplicatio, quoniam nocent nocumento magno. Et si uocat necessitas ad administrandum eas, propter uehementiam doloris & inflammationis, tunc oportet ut administremus secũdum hunc modum tantum, donec sedetur dolor superfluus. Cum ergo dolor incipit alleuiari & quiescere, prohibeamus nos ab administratione earum, quoniam ipsę faciunt in iuncturis accidere stuporem & difficultatem motus. Propter illud ergo, si accidat ut sequatur huiusmodi accidens, tunc oportet ut administretur emplastrum, ex fellibus dissolutum cum oleo chamęmelino, & illud est, quoniam hoc acquirit iuuamentum & maturat, & facit redire caliditatem innatam ad membra, quę infrigidata sunt ex usu medicinarũ stupefacientium, non secundum quod necesse est.

### *De podagra accidente ex humore bilioso acuto propriè.* *Caput* XXVIII.

PRimũ quo curantur podagrici ex humore cholerico subtili, est euacuatio illius humoris, postquàm incipimus & humectamus, & temperamus acuitatem eius, & ipsius mordicationem. Deinde euacuamus eum non una uice, imò multis uicibus, quando illo indigemus, donec mundificetur ex superfluitatibus & materia, quia secundum hoc seruantur iuncturæ, quod non aggregatur in eis aliquid. Et sit medicina solutiua simplex, leuis, cui non admisceatur ex materia calfaciente nisi parum, sicut medicina facta ex rosarũ succo & melle, & scãmonea, quæ dicitur syropus rosatus confortans, & medicamen solutiuum factum ex carne cotoneorũ, & reliquis medicinis soluentibus humorem cholericum. Et oportet ut ponamus super membrum post mundificationem ex emplastris, quod leniat membrum & extinguat, & temperet ipsum, & refrenat acuitatem humoris cholerici, & mordicationem eius, sicut portulaca, altuhulub, lactuca, & psyllium, rasura cucurbitę, folia salicum, nenuphar, uiola humida, uirga pastoris, & ceratum infrigidans, factum ex cera & oleo nenupharino cum aqua uirgę pastoris, & aqua cucurbitę, & aliquo ex succis infrigidantibus. Si autem dolor est magnus, uehemens, tunc oportet ut misceatur in cerato opium, & succus mandragorę, & effusio aquę frigidę etiam super locum

lęsum semper

læſum ſemper non eſt parui iuuamenti. Et ad ſummũ oportet ut non ſimus contenti ſuper illud quod narrauimus tantum, imò adminiſtremus omne de proprietate, cuius eſt ut infrigidet, & confortet, donec ſit regimen totum humidum, frigidum, & quo regimus in ægritudinibus calidis factis ex cholera citrina.

*De podagra facta ex humore phlegmatico.* *Cap.* XXIX.

PODAGRA ſi accidat ex humore craſſo, frigido, phlegmatico, tunc oportet ut inquiratur in primis de quãtitate illius humoris & qualitate eius, & an eſt uincens in reliquo corpore. Et ex eo effunditur ad iuncturas pedum, aut aggregatur in pedibus tantũ, ſcilicet, propter debilitatem eorum, & eſt reliquum corpus calidum in complexione ſua, aut temperatum. Si autem eſt multum in quantitate ſua, & non eſt in corpore tantum, imò in duobus pedibus, tunc oportet in primis, ut euacuemus euacuatione communi ſuperius cum uomitu, & inferius per clyſterem acutũ, & potum medicaminis ſolutiui. Et adminiſtretur uomitus in primis, poſt comeſtionem cibariorum ex cibis multis diuerſis, & potum uini dulcis. Et pręcipiamus infirmo, ut ex eo accipiat ſuper ſacietatem, & intromittat poſt horam in os ſuum pennam, & moueat eam donec euomat. Si autem non ſit ei facilis uomitus, ſubmergat pennam in oleo ſeſamino, aut digitos ſuos & uomat, & faciat illud bis, aut ter, & faciat illud alternis diebus. Et poſt illud moue uomitum, cum raphano infuſo in ſecaniabin, facto cum aceto ſcyllitico, aut elleboro. Et euacuamus inferius per clyſterem, qui fit ex centaurio, & decoquatur cum ariſtolochia, baurach, nitro, oleo de ſpica, & melle colato. Et ſi humor contentus in iuncturis, & reliquo corpore, eſt craſſus, uiſcoſus, eſt neceſſe ut proijcias in clyſterem cucumerem aſininum, & decoctionem colocynthidis cum nitro, & melle claro. Superius uerò oportet, ut ſumat pilulas fœtidas, aut pilulas de tapſia, de hermodactylis, & pilulas Indas quæ nominant pilulæ anaia. Et ſumantur iſtæ medicinæ in principio apud curſum ſuperfluitatum, & apud declinationem materiei, & hora tranquillitatis periodorum, & eſt quies facta inter eos. Et oportet ut non ſit contentus uice una id ſumere, imò multis uicibus, quoniam ſuperfluitates craſſæ, uiſcoſæ non attrahantur ſubitò, imò aliquid poſt aliquid & paulatim. Et ſubtilietur humor craſſus, per continuationẽ unius uomitus, uel ſolutionis, do-

nec facilis fiat attractio eius, & ipsius euacuatio plus. Cum ergo euacuatur corpus & non est in eo materia, cuius cursus & effusio ad membrum infirmum noceat, oportet ut solliciti simus de mẽbris ipsis læsis, propriè & communiter. Communiter uerò, quando damus confectiones narratas in medicina ad hanc ægritudinem, & non sit intentio nostra confortatio membrorum, quæ debilitata sunt, & facta sunt præparata ad recipiendas superfluitates, quæ effunduntur ad ea tantum, & faciamus ea acquirere uirtutem, quæ expellat illud quod effunditur ad ea ex superfluitatibus, imò prohibeamus ne huiusmodi generetur humor in corpore. Et istæ quidem confectiones sunt, sicut cõfectio Mithridati, & confectio Kered regis, cõfectio Hermetis, theriaca de uiperis. Propriè autem oportet ut solliciti simus de pedibus, cum emplastris, linimentis, ceratis, embrochis, quæ effundũtur super pedes, & de proprietate, quorum est ut subtilient & resoluant. Embrochas autem compositas, quæ ex eis sunt famosæ, describemus in ultimo libro de medicinis compositis, simplices aũt nunc dicemus. Scias quod caulis quando teritur, & ponitur super iuncturas lęsas ex phlegmate, confert iuuamentum maguum. Et similiter emplastrum, quod fit ex tortellis siccis, & uitellis ouorum, & almugat, & croco. Et quidam ponunt emplastrum ex farina gith, & farina alkesue decoctis cumuino, permixtis cum oleo de spica, aut oleo laurino, aut oleo de ruta. Et in declinatione ægritudinis, conferunt etiam folia lauri, & nigella, & chamæmelum, ruta syluestris, melilotũ, & quæ sunt illis similia in uirtute. Et confert illis qui patiuntur dolorem iuncturarum & podagram, factam ex phlegmate, ceratum quod fit ex euphorbio, pyrethro, nitro, & reliquis medicinis, in quibus est uirtus resolutiua, calefactiua, & subtiliatiua. Si autẽ ponis emplastrum, & non sentit infirmus sedationem doloris, cogeris tunc administrare embrocham dissolutiuam, refrenantem. Et unum ex eis quę faciunt illud, est curatio hæc: Sumatur acetum uehementis acetositatis, & decoquatur in eo thymus, origanum, calamintha, ruta syluestris, folia lauri, chamæmelum, melilotum, anethum, radix capparis, & centauriũ. Cum ergo decoctæ sunt medicinę, benè cola aquã, & effunde ipsam super membra læsa, non una uice tantum, imò multotiens in omni die, si indiget illo. Si autem humor lædens est crassus ualdè, donec putetur, quod est ex humore melancholico, tunc non oportet ut administrentur medicinæ de proprietate, quarum est ut calfaciant, & exiccent, ut

non addant eis siccitatem super siccitatem, & fiat difficilis resolutiōis, imò non sit ei sanatio. Nos autem quando effundimus super loca læsa aquam calidam, ponimus super ea emplastrū ex medicinis, quæ calfaciunt cum æqualitate, & leniunt locum, & resoluunt, sicut atriplex syluestris, bulbus, & est cepa syluestris. Et euacuamus eos cum medicinis solutiuis factis ex epithymo, polypodio, & elleboro nigro. Si autē est humor compositus, com mixtus cum alio, tunc oportet ut ponatur curatio etiam similiter. Commixtio enim diuersorum humorum ad inuicem, prohibet à significatione sana, & quod mirabilius est, curatio aliqua confert multis uicibus in doloribus iuncturarum, & uice aliqua excitat eos, hæc est ergo significatio super commixtionem humorum effusorum. Et uniuersaliter dico, quia quando uincit materia frigida, tunc oportet ut opponamus ita, ut calfaciat se & resoluat. Cum ergo materia nociua & qualitates eius sunt calidę, tunc oportet ut curemus cum eo, quod infrigidat & extinguit. Et species regiminis eius, qui habet dolorem iuncturarum, & podagram ex phlegmate, medicetur cum curationibus incisiuis, resolutiuis.

### *De præseruatione à dolore iuncturarum & podagræ.* Cap. XXX.

OMnes ægritudines quæ accidunt in membris similium partium, aut fiunt ex aliqua causarum extrinsecarum à corpore, & dicuntur primitiuæ, & contingentes, & accidentes extrinsecus, aut ex causis quarum materia est intra corpus, & dicuntur causæ intrinsecæ, aut accidentes. Quia qui uiuit inanitus, aut laborat supra mensuram ęqualem, aut errat in quantitatibus ciborum, & qualitatibus ipsorum, aut in horis utendi eis, aut conuertitur in aliqua artium secūdum diuersitatem eius quod oportet, aut errat in quantitate somni, aut in usu coitus supra coitum, aut liquefit corpus eius, & atteritur cum tristitia & angustia absq; necessitate uocante illud, aut adducit supra eos ægritudinem, propter aliud ex causis prędictis. Nos enim dicimus, quod ęgritudines eorum sunt ex causis, quę accidunt extrinsecus, non ex malicia complexionis corporum eorum. Illis uerò, qui infirmantur semper, præter quod errant in aliquo eorum quæ enumerauimus, ægritudines accidunt ex malicia complexionis corporum eorum. Et qui permixtus est super rectificationem illius, indiget arte alia longa, & tēpore sufficienti in rectificatione eius, & confortatione ipsius. Et cor

porum illorum qui infirmantur ſemper, propter aliquam cauſarum, quas diximus, & proprie cuius ægritudo eſt ex ſuperfluitate uenenoſa, ex qua fiunt dolores iuncturarum & podagra, neceſſe eſt ut ſint ægritudines ex ea duarum habitudinum, aut ex repletione, aut propter maliciam humoris. Propter illud ergo, quando infirmatur homo ex repletione, & ſigna, & ſignificationes præſentes, & quod præceſſit ex regimine ſignificant ſuper illud, ſit intentio tua in regimine toto, ut ſint humores, qui ſunt in eo, temperati, ſemper laudabiles cum cibo, & regimine ſano, præter euacuationem. Quia præmiſſio cautelæ, ſecundum communitatem, & cuſtodiæ ab ægritudinibus factis ex ſuperfluitatibus & repletione, non eſt niſi ſecundum hanc diſpoſitionem tantũ. Si autem accidat ut infirmetur homo ſemper propter humorem malum, & ſunt ſignificationes, & ſigna ſuper illud manifeſta, tũc ſit intẽtio tua, ut ſint humores, qui ſunt in corpore, laudabiles. Et ad ultimũ ſecundum hanc ſpeciem, eſt præceſſio & cautela non in podagra, & dolore iuncturarum tantum, ſed in reliquis ægritudinibus, quæ ſunt ex materia & repletione. Secundum proprietatem uero cum rebus, quæ ſunt contrariæ in iſtis, ſcilicet, cum adminiſtratione medicinarũ non ſolutiuarum, ſed contrariarum. Et cum unaquaq; rerum, quarum rememoratio pręceſſit, ſit præſeruatio ab ægritudinibus, quæ accidũt. Quia ægritudines factæ ex repletione, non accidunt niſi quando illud quod reſoluitur ex corpore eſt minus quàm illud, quod ingreditur ad ipſum, propter hoc ergo oportet ut euacuetur ex eo, quod coartatum eſt. Ægritudines autem quæ ſunt ex humore malo, non accidunt niſi quando illud illaudabile eſt, quod ingreditur corpus, & non eſt conueniens neq; confert ei. Et ſi non eſt quantitas eius etiam multa ſupra quantitatem neceſſariam, ita ut ſit quantitas eius quod ingreditur corpus cum quãtitate eius, quod egreditur ex eo cõueniens, proprium ei, tunc per illud acquiritur conſeruatio ſanitatis. Illis autem in quorum corporibus feſtinat aggregatio repletionis, donec ſint corpora eorũ præparata ad ſuſcipiendas ægritudines, & propter illud feſtinant eis ægritudo podagræ, & dolores iuncturarũ. Et reliquæ ægritudines quę ſunt ex materijs & ſuperfluitatibus, tunc ſi de conſuetudine eorum ſunt exercitiũ, & inunctio ante balneationem, pręcipimus ut addant in exercitio parũ & unctione, & fricando, & minuimus in eis parũ ex quantitate cibi, aut ex qualitate eius, aut ex utriſq; ſimul, donec quãdo tu ſcis quod iam aggregata eſt

repletio

repletio multa, tūc oportet ut fiat euacuatio ex utrisq; simul, scilicet, ex quātitate cibi, qui suscipiebatur ante & ex qualitate eius. Ex quātitate quidem, quoniam tu minuis in eis parum à quantitate quam recipiebant, secundum quod apparet tibi ex crassitudine corporis, & facilitate repletionis. Ex qualitate uerò, quoniam nos damus ex cibis illos, qui nutriunt nutrimento paruo. Si autem non facilis fiat aggregatio repletionis, neq; multiplicatur, sufficit ut minuamus unum ex eis tantum, propter illud quod est contrarium ei quod nutrit, & est illud quod declarabitur tibi, quia indiget diminutione, de quo eliget infirmus, ut minuatur. Nam si est ex illis quę consueuit comedere carnem porcinam, & bibere uinum, & cibos reliquos multi nutrimenti, & non obedit, ut mutet cibos suos pro cibis pauci nutrimenti, tunc oportet ut minuas ex quantitate eius quod recipit ex illo, secundū quod indiget ægritudo & tollerat uirtus, & addit in ea. Et utatur exercitio, & inunctione & fricatione cum ungēto cum additione. Et si eligit infirmus partem aliam, tunc oportet ut reducas eum ad olera, & semina, & grana pauci nutrimenti, aut ad pisces & aues, quarum nutrimentū non est multum. Et elige in his omnibus, ut cibus quo nutritur sit totus laudabilis humoris & chimi, & ex eis à quibus prorsus superfluitas, & si generatur, sit res parua. Intentio eorum in regimine in quorum corporibus generatur humor malus, non est una, sicut in regimine illorum, in quibus aggregantur superfluitates ex repletione est una, quoniā humor malus generatus in eis, non est speciei unius, quia corporū alia sunt, in quibus humor est cholericus calidus, & alia in qbus humor malus aquosus, & alia in quibus humor melancholicus. Oportet ergo ut prohibeatur unusquisq; illorū, ab omnibus cibis, & potibus, & reliquis regiminibus, quę generant humorem malum, qui multiplicatur in corporibus eorū. Et ex iuuamentis etiam, quæ communicant in illo, est administratio rerum lenientium naturam. Sit ergo administratio tua ex cibis, quæ leniunt naturam cum æqualitate, sicut sunt olera lenientia naturam, quando comedūtur cum muri & oleo. Et in omnibus diebus administra medicamen solutiuū lene, quod euacuat illam speciē humoris uincentis, secundum facilitatē, sicut narrauimus ante. Et hoc regimen cōfert ei propriè, cuius natura stercoris, est sicca naturaliter ualdè. Et ex iuuamentis communibus ei, etiam est ęqualitas in exercitio & in unctione. Et est necesse ut utatur ille, in cuius corpore humor uincēs est plegma malū, exercitio & fricatiōe

plusquàm alij. Illis uerò in quibus aggregatur humor cholericus malus, confert contrarium eius quod diximus. Illis autem in quorum corporibus aggregatur humor melancholicus, non confert aliquid illorum duorum quę diximus, quoniam exercitium multum & forte, exiccat & incrassat humorem, quando declinat ad hoc. Propter illud ergo, oportet ut conseruetur æqualitas quantitatis exercitij, & qualitatis eius, & regiminis. In coitu autem diximus illud quod facit de iuuamento & nocumento, sed oportet ut referam hoc illud, quod remãsit super nos de esse eius. Dico ergo quod illis, in quorum corpore aggregatur repletio multa, non nocet illud nocumento multo, si utantur eo, quod diximus, in hora quæ est necessaria cum æqualitate. Et est nociuus reliquis speciebus humoris mali, quia infrigidat & replet membra debilia, & exiccat reliqua, propter illud ergo nocet nocumento magno ualdè ei, cuius corpus est expositum, præparatum ægritudini podagræ, & propriè si dolor iam incepit in eis. Et ex eis quæ custodiunt hominem ne accidat ei podagra, est embrocha cum aqua salsa, quando funditur super duos pedes semper. Et sal tritum etiam, quando aggregatur cum oleo, & fit ex eo emplastrum pedibus. Hoc est ergo regimen quod conseruat corpora, ne accidant in eis dolor iuncturarum & podagra, & rectificat etiam cautelam à reliquis ęgritudinibus, quę fiunt ex materijs & humoribus multis malis.

IANI DAMASCENI SEXTI LIBRI FINIS.

PERIOCHA

## PERIOCHA VOLVMINIS SEPTIMI.

IN hoc uolumine uniuersi operis Septimo, de uarijs, tum externis, tum internis quibusdam morbis ac uitiis corporalibus explicatio fit. Primitus quidē de his, quę superficiem cutis faciei, & reliqui corporis deturpant. Mox de pulueribus quibusdam Aromaticis, quibus grauis odor corporis arcetur, & gratus conciliatur. Deinde de longa oris anima, ignis combustione, & seminis genitalis profluuio. Post hæc de his, quę iuuant eos, qui re Venerea uti non possunt, & speciebus Ramicis. Præterea de sanguinis eruptione ex uenis & arterijs. De Rabiosi canis, & omnium animalium uirulentorum morsu, & ictu, & alexipharmacis, agitur. Ab his, de quibusdam inflammationibus, & inflationibus, Cancris, ac cęteris apostematis. Postremo, muliebriū quorundam morborum, præsertim uteri, item de arcenda sterilitate, de abortu, difficiliq́ partu, conceptusq́ indicijs, & reliquorum id genus, tractatio fit.

## ELENCHVS EORVM QVAE IN SEPTIMO LIBRO COMPLECTVNTVR.

IANI

# IANI DAMASCENI DECAPOLITANI SVMMAE INTER Arabes autoritatis Medici, De Medendi ratione Liber VII. D. GERARDO IATRO Cremonensi interprete.

*De uestigijs & uitijs accidentibus in superficie cutis faciei.* Cap. I.

CAusæ dolorum & impreßionum, quæ accidunt in superficie faciei, & reliquo corpore, sunt expulsiones malarum superfluitatum, quæ expelluntur ex profundo corporis. Et hoc fortaſſe eſt ex uirtute naturæ, quando uult mundificare mẽbra principalia, quibus sunt operationes nobiles necessariæ, & ut expellat ab eis superfluitates ad membra extrinseca, pauci iuuamenti. Et fortaſſe eſt ex multitudine superfluitatum ipsarum, quando aggregantur in corpore, & expellit ea natura ad exteriora cutis, & corrumpunt superficiem etiam exteriorem. Et accidit hoc, aut ex corruptione regiminis, aut ex malicia complexionis aëris, quando eſt malus, aut ex tempore anni, aut ex eo quod accidit ex tempore anni ex diuersitate. Quod si ægritudines iſtæ, quas diximus, accidunt in eo, quod apparet de corpore, & facie ex uirtute naturæ, sunt minoris maliciei, & facilioris sanationis. Et si sunt ex multitudine superfluitatum malarum, tunc sunt magis prauæ, & difficiliores. Et sermo in illis, & in eis quæ accidunt in facie, eſt unus. Veruntamen quoniam facies eſt nobilior superficie corporis, quoniam eſt detecta, oportet ut denudemus ſtudium in mũdificatione eius, & lympidatione ipsius. Si autẽ accidant in facie ex expulsione naturę aliqua ex ægritudinibus, quæ corrumpunt colorem eius, aut ponunt superficiem eius inæqualem, & mutant figuram eius, tunc non oportet ut adminiſtrentur in illa, nisi linimentum, quod abſtergat tantum, quia non sumus indigentes euacuatione naturæ, quoniam natura eſt illud faciens per se. Nam non eſt nobis poßibile, ut mundificemus corpus plus quàm mundificat natura per se, & si iſtæ ægritudines sunt ex uictoria superfluitatum aggregatarũ, incipiemus cum euacuatione earũ in primis. Siquidem eſt sanguis uincẽs cum extractione eius, sed si unus humorum eſt uincens, tunc cum medicamine

solutiuo.

ſolutiuo. Et eligimus medicamen, quod extrahat illud nocumentum, deinde regimen conueniens. Et eſt poſſibile ut cognoſcas cauſam efficientem ęgritudinem, ita ut cognoſcas eam ex eo, cuius pręceſſit uſus ex cibis & potibus, & reliquis regiminibus, & ex eo quod teſtificatur ex colore loci lęſi, & quę ſunt illis ſimilia. Et poſt adminiſtrationē mundificationis regiminis, ſecundū communitatem quod oportet, eſt neceſſe ut redeamus ad curationes proprias in unaquaq; ęgritudinū, ſecundū quod nūc oſtenſuri ſumus.

*Curatio Veſtigiorum, & Pani, & Alkeilen, & magnarum lentiginum, uerrucarū, & paruarum lentiginum, quæ ſunt in facie.*

REcipe ſpumę maris, baurach Armeni añ. partem unam, amygdalarū amararum mundatarum à cortice partes duas, Terantur, & miſceantur, & cum uino adminiſtrentur.

*Aliud linimentum.*

REcipe farinę lupinorum, mirrhę bonę, ſpumę maris aduſtę, baurach rubei aſſati æqualiter, miſceantur cum oleo narciſcino, & liquefiat cum aqua calida & adminiſtrentur.

*Ad ueſtigia nigra accidentia in facie.*

REcipe farinę lupinorum, farinę hordei, fabarum, rad. lilij cœleſtis añ. drach. 5. ſalis Armoniaci & ammoniaci añ. drach. 2. reſoluantur hæc duo cum aqua calida, & cum ea conficiantur reliquę medicinę, & fiant trochiſci, & in hora neceſſitatis ſoluatur unus ex eis cum albumine oui, & liniatur ſuper faciem.

*Aliud ad lentigines & alchadas, id eſt, ulcerationes.*

REcipe mucilaginem, fœnogręci, & linito faciem.

*Aliud.*

REcipe mucilaginem granorum cotoneorum, & crocum, fiat linimentum, cum quo liniatur facies.

*Aliud ad lentigines.*

GRana cucurbitę à cortice mundata. Contere cum aqua fœnogræci decocta, & line cum eo faciem.

*Aliud.*

COnfice farinam alkeſe, miſce cum aqua in qua decoctum eſt melilotum, & line cum ea faciem.

*Aliud.*

AGgregantur amygdalæ amaræ excorticatæ, & nutriantur cum aqua in qua infuſa eſt mirrha, & liniatur cum eis facies.

Aliud

*Aliud.*

AGgrega ſerraturam eboris cum farina lupinorum. Teratur & diſſoluatur cum melle, & liniatur ſuper locum.

*Aliud quod eradicat ueſtigia, & abſtergit faciem.*

REcipe ceruſę, lithargyri abluti, ſerraturę eboris an̄. drachmas tres, ſalis Ammoniaci drachmas duas, ſaponis drach. quinque, confice cum melle, & liniatur ſuper locum.

*Aliud ad Lentigines, & Panum, & Alkeilen in facie.*

REcipe fimi columbini, baurach ęquales partes. Teratur & cribelletur, & conficiatur cum melle, & liniatur cum ea facies multotiens.

*Aliud quod abſtergit faciem.*

REcipe keſnes, farinę fabarum, hordei excorticati an̄. drach. 4. radicū lupinorum, narciſci an̄. drach. 2. radicū lilij, gummi Arabici an̄. drachmam unam. Terantur & conficiantur, cum aqua & fiant trochiſci, & reſoluantur hora neceſſitatis cum aqua concauitatis batheke, & liniatur.

*Aliud quod abſtergit & colorem faciei efficit bonum.*

REcipe amygdalarum dulcium excorticatarum drach. 5. tragachantę, gummi an̄. drach. 5. farinę fabarum, radicum lilij, rubeę, glutinis piſcium an̄. drach. 10. liqueſiat gluten cum aqua, & conficiantur cum eo omnia, & liniantur.

*Linimentum ad Panum & Lentigines magnas.*

REcipe condiſi partem unam, arſenici citrini partes duas, conficiantur cum oleo, & liniantur poſt egreſſionem de balneo, & expectet ſuper ipſum per horam unam, & abluatur.

*Aliud.*

SEmen raphani teratur multum & conficiatur cum aceto, aut cum lacte acetoſo, & liniatur cum eo facies.

*Aliud.*

REcipe cornu ceruini contriti unciā ſemis, batheke alharmeni unciam unam, fabarum Ægyptiarum, & orobi an̄. unc. 2. Excorticetur ſemen batheke, & decoquatur cum aqua hordei, & orobo, & exiccetur, & infundantur fabę in aceto forti, & exiccentur & ſumantur amygdalarum excorticatarum unc. 2. uirgarum asſaſora unciæ tres, radicum uitis areziki, & gūmi tragachantę an̄. drach. 5. ſeminis meliloti, coſti an̄. uncia una. Terantur omnia, & cribellentur, & miſceantur, & adminiſtrentur, ita, ut cum eis abluatur facies moltotiens omni die.

*Aliud.*

RЕcipe farinæ kesne, lupinorum, ciceris, amyli, stercoris lacertæ, radicum cepæ, nenupharis, & semen eius, in descriptione alia radicum lilij, & seminis eius, lactis almezereon, radicum cannæ, & alfassure & fassurasteni omnium æqualiter. Terantur & conficiantur cum aqua hordei, & liniatur cum eis.

*Aliud ad lentigines magnas, & abstergit faciem, & facit eam splendidam.*

RЕcipe zadargi tinctorum quasi lib. 10. decoquantur singulariter donec remaneat lib. 1. deinde sumantur ex stercore paruarum auium unciа una, lupinorum siccorum excorticatorum uncias duas, ciceris excorticati unc. 1. Terantur & conficiantur cum aqua zadargi quæ fuit decocta, & liniatur in nocte, & abluatur mane cum aqua, in qua decoctę sunt chamæmelum, & uiola sicca.

*Aliud quod bonam efficit faciem.*

RЕcipe farinæ orobi, farinæ hordei excorticati, lupinorum, ciceris excorticatorum, radicum narcisci añ. drachmas sex, farinæ amyli unc. unam. Teratur totum & conficiatur cum albumine oui subtili, & liniatur cum eo.

*Aliud.*

GAllinę stercus teraẗ, & liquefiat cũ aqua bathekæ, & liniatur cũ eo.

*Aliud quod eradicat uestigia, quæ accidunt in facie, & ulceribus, quæ dicuntur uariolæ.*

RЕcipe ossium dactylorum, uerrucarum uetustorum, quæ sunt in parietibus, ossium uetustorum putrefactorum antiquorũ añ. drachmas decem, radicum cannæ persicæ siccæ drachmas uiginti, testæ albæ ex urceolo nouo drachmas decem, amyli drachmas decem, lupinorum drachmas quindecim, seminis bathekę excorticati drachmas uiginti, ablutorum multotiens kesne drachmas decem, granorum alben excorticatorũ drachmæ quindecim, ciceris excorticati drachmam unam. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua bathekę, & aqua hordei, & linian-tur cum eo uestigia ulcerũ, & abluatur cum aqua, in qua decocta sunt uiola sicca, & hordeũ. Et si uis adde, & pmisce in abstersione cum medicinis, quas diximus, ex costo amaro unc. 1. & ex aristolochia longa tantundem.

*Linimentum quod abstergit faciem, & clarificat colorem.*

RЕcipe corticum ouorum, farinę hordei, fabarum, oryzę, lupinorum añ. drach. 3. amygdalarum amararum, tragachantæ añ. drachm. 2.

mualeb,

mualeb tritorum & cribellatorum alborum drach. 22. Teratur totum, & conficiatur cum aqua batheke, & liniatur cum eo facies.

*Linimentum ad uestigia, & Panum, & lentigines magnas, & abstergit faciem, & albificat, & colorem facit bonum.*

Recipe farine lupinorũ siccorũ, seminis batheke excorticati añ. drach. 3. farinæ fabarum, ciceris, kesue añ, drach. 2. farine hordei, lentium excorticatarũ, amyli añ. drach. 1. seminis raphani, tragachante añ. drach. 5. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum lacte mulieris, & pauco croco, & liniatur super faciem noctu, & mane abluatur cum aqua, in qua decocta sunt semen batheke, & uiole sicce.

### De impetigine. Caput II.

CAusa impetiginis quæ accidit in forma faciei, & tota superficie corporis extrinseca, est uirtus nature, quando expellit superfluitates malas, & remouet eas à mẽbris principalibus ad exteriora. Et causa faciens materiam, sunt humores acuti, subtiles, qui permiscent humores terrenos, crassos. Et propter illud declinat hec ægritudo ad duo latera simul, quoniam acuitas humorum, & eorum subtilitas, ponit materiam acutam uelocis excitationis. Et crassitudo humorũ terrenorũ, & tarditas eorum, cõtrarie sunt ei, quod diximus, & ponũt ægritudinẽ difficilis motus, tarde sanationis. Si ergo uincentes in hac ægritudine, sunt humores acuti, tunc ipsa moratur paruo tempore, & resoluitur uelociter. Quod si in ea uincunt humores terrestres, tunc spacium eius est longum, & cum labore resoluitur. Si autem humores omnes in ea sunt æquales, tũc ægritudo est media in mora sua, & curatione. Via autem curationis eius ægritudinis est, ut sit composita, sicut diximus, & quoniam hec egritudo est composita, similiter modus in curatione eius est diuersus, ita quod unus est contrarius alij, quoniã acuitas humorũ subtilium indiget rebus sedantibus, & extinguentibus, & crassitudo humorũ terrestriũ ex eis indiget medicinis fortibus, subtilibus, uehementis resolutionis, & carminationis, uel exspirationis. Ista ergo sunt contraria illis, quapropter quãdo uincit humor ex eis, cõuertimus studium nostrũ ad illum plus, & ponimus illam intentionẽ, preter quod dimittamus in alio, & negligamus illud. Et si sunt equales in egritudine, ponimus curationẽ permixtã, & incipimus cum attractione materiei ad inferiora, deinde euacuemus eum cum medicinis solutiuis, & cũ clysteri. Deinde administramus post illud regimen temperatũ, & balneationem cum aqua

dulci calida, quia non est aliquid magis huiusmodi, quã balneatio cum aqua dulci calida, quoniam caliditas eius, aperit poros, & subtiliat materiam, & non prohibet eam resolui, imò ponit eam facilis resolutionis, & humiditas aquę extinguit, & temperat malũ humorem, & post balneationem administremus linimentũ. Quod si impetigo est multę humiditatis, ponimus linimentum exiccatiuũ, & si humiditas eius non est multa, administramus linimentũ, quod abstergit & nõ exiccet multũ. In impetigine aũt æstuosa, non oportet ut administremus ex medicinis, nisi illud in quo est medicatio cum quantitate necessitatis. Hęc est ergo curatio uniuersalis ad impetiginem. Oportet autem ut nunc rememoremur curationẽ particulariũ, & incipiamus à simplicibus earum. Aqua hordei excorticati sola, quando cum ea fricatur locus, in quo est impetigo paucę humiditatis, in balneo sanat sanatione forti. Et similiter farinę fabarũ & hordei, uniuscuiusq; earum pars una, & sola, & coniũctę etiã. Cõfert etiã sicla decocta, furfur amyli, sem. bathekæ excorticatũ, & farina lupinorum, & ciceris. Similiter confert etiam semen raphani, & amylum, quãdo aggregatur cum aceto. Et melius eis quę diximus, est adustio tritici, quando miscetur cum expressione acetositatis citri, & linitur cum eis utrisq;. Impetigini autem puerorum, si est in corporibus humidis, conferunt sputum eius, qui adhuc nihil cibi comedit, uel gustauit, & gũmi prunorum syluestrium, & succus acetosę, & secundũ hunc modum gallę aggregatę cum aceto, & myrobalanis citrinis. Impetigo autem multę humiditatis, quę indiget medicinis fortibus ualdè, conferunt radix alixiras, & duo ellebori simul, stercus algaril, stercus lacertę, & turdi qui comedit oryza, folia agni casti, & semẽ eius, folia capparis cum semine, quia unumquodq; amborum, quando miscetur cum cera, & ratenici, & quando aggregantur, etiam iuuat. Impetigo autem æstuosa aspera, est illa, in qua non conferunt res, quę abstergunt, neq; quę exiccant cum æqualitate, & æstuat uelociter ex medicinis calidis ualdè. Oportet ergo ut administrentur in ea medicinę fortes ualdè, quę non mordicãt sicut sief memithe cum thure, & spuma maris, & tragachãtę, aut sulphure, asphalto, gũmi, tubel æris, & baurach, aut senkensebudaci, scilicet, arbor croci ortulani cum aceto. Si autem impetigo est propinqui temporis, conferunt in curatione eius huiusmodi medicinę. Si autem prolongatur eius mora, & indiget medicinis fortibus, istis fortioribus, oportet ut administres in ea medicinas istas compositas.

*Aqua hordei.*

Medicamen

*Medicamen ad impetiginem antiquam.*

RECipe ellebori albi drach. 4. farinę thuris, ostracorũ combustorũ añ. drach. 5. Teratur & misceatur, & fricetur cum eo locus lęsus.

*Ad impetiginem in facie.*

RECipe ammoniaci, farinę kesue, farinę lupinorũ añ. drach. 1. baurach rubei, & est Armenum drach. 2. gummi tantundẽ. Resoluatur ammoniacum cum aceto forti, & liniatur cum eo locus, & post illud abluatur cum aqua calida, & fiat illud septem diebus.

*De Albaras alba. Caput III.*

ALbaras alba fit ex debilitate uirtutis immutatiuę, quãdo mutat illud quod peruenit ad corpus de sanguine ad albedinẽ. Cũ ergo nutrit̃ caro ex sanguine phlegmatico, uiscoso, annexo, difficilis mutatiõis ad colorẽ alium, tũc propter illud fit caro ipsa mutata, & remanet alba phlegmatica, quãdo non potest uirtus mutare nutrimentũ ad rubedinẽ, & quando currit ad membrũ humor aliquis phlegmaticus. Et quoniã non sanatur omnis albaras, tũc oportet ut cognoscat̃ illa quę sanatur, ab illa quę non sanatur, per hoc, ut pungamus locum cum capite acus taliter, ut non pertranseat cutem. Si ergo uides sanguinẽ currere ex eo, tũc est illa quę sanat̃, si uerò currit ex eo humiditas lenis, non sanat̃. Et oportet ut scias quod illa, quæ capit locũ corporis amplũ, & illa quę precessit & antiquat̃, non habent curationẽ ambæ. Illa uerò cui speratur curatio, & sanatio, oportet ut incipiamus cum rectificatione ciborũ in primis. Et caueamus à reliquis cibis frigidis, humidis, scilicet, piscibus, & lacte, & quę fiunt ex lacte, & regamus eos cum cibis calidis, siccis, & potibus, qui similant̃ eis, ut rectificet̃ cum eis nutrimentũ, quod peruenit ad membrũ. Et utant̃ etiam in hora post horã uomitu, post comestionẽ ciborũ subtiliantiũ, qui abstergunt. Deinde post illud administremus cibos calidos, siccos, & similes illis ex potibus. Et administremus post illud medicinas, quę rectificãt hanc ægritudinẽ, sicut Hiera Galeni, & Hiera Archig. Hieralogodion, Theodoricon. Et accipiat̃ unaquæq; istarum Hierarũ cum aqua decoctionis myrobal. nig. & epithymi, passularũ, salis Indi, polypodij, & quę sunt illis similia. Quod si uirtus nõ tolerat potũ Hierarũ, administra post illud, quę mundificant humorem phlegmaticum, sicut sunt pilulę de aloë, & hoc medicamen sequens.

*Medicamen solutiuum expellens Albaras, nobile & rectius omnibus alijs.*

RECipe cinnamomi, spicę, carpobalsami, mastich. azari, croci, folij, calaminthę fluuialis, pulpę colocynthidis añ. drach. 1. aloës drach. 18.

Terātur & miſceantur, & detur drach. 1. cum aceto & melle, cum aqua calida, & poſt mundificationem, præcipe infirmo ut utatur aſſidue hoc medicamen, eſt enim probatum & expertum, & hic eſt modus eius: Recipe confectionis Inde, quę dicitur alkekengi drach. 2. myrobalanorū nigrorū drach. 1. epithymi drach. 2. miſceatur totum, & ſumatur in potu, ſi poſſibile eſt, eſt enim iuuatiuum.

*Aliud medicamen, quo iuuantur.*

RECipe ſeminis azufere, & harmel añ. partes duas, ſem. urticæ partem unam, aloës quartam partem. Terantur & cribellentur, & liniantur cum melle deſpumato, donec aggregẽt medicamen, & dent̃ ex eo drach. 5. minus, aut plus, unicuiq; homini ſecundum ſuam complexionem.

*Aliud quod non minus confert primo.*

RECipe ſem. azufere, & eſt genus ellebori, quod eſt bicuraſtem drach. 10. amyli drach. 3. acori drach. 2. epithymi drach. 4. myrobalanorū nigrorum drach. 5. paſſularum mūdatarum ab interioribus ſuis drach. 4. permiſce omnia, & adminiſtrentur.

*Aliud, quod confert iuuamentum magnum, & eſt ex arte Gabrielis.*

RECipe nucis moſchatę, marmachur, ſceha, armeni, coſti, gētianę, ariſtolochiæ rotundę, trium piperū, opopanacis, ammoniaci, ſerapini, bdellij, ſcordeon, praſſij, chamędreos, chamępityos, meū, phu, dauci, ellebori nig. euphorbij, hypericon, & eſt medicina Inda, ſcyllę aſſatę, fol. Indi, ſpicę, zingib. petroſelini, amomi, ſtœchados, cinnamomi, calaminthę montanę, florū ſquinanti, caſſię lig. xilobalſami, caſtorei, ammeos, ſem. apij, porri, & polypodij, cordumeni, corticū capparis, galbani añ. drach. 2. olei balſami, aloës, mirrhę añ. drach. 5. ſcāmoneę, agarici, pulpę colocyn. epithymi añ. drach. 7. & s. Terant̃ & cribel. & confic. cū melle, & adminiſtret̃.

*Aliud Gabrielis nobile, ſtans loco Hierarum.*

RECipe ellebori nig. drach. 5. ſcyllę drach. 6. rad. cucumeris aſinini, aut ſucci eius drac. 4. agarici drach. 10. turbith drac. 15. epithymi drach. 10. polypodij tātundē, Hierę Picrę drach. 20. ſem. azufere, zingib. ſinapis, nigellę añ. drach. 5. maſtiches drach. 10. ſalis Indi drach. 8. ſcne drach. 20. myrobalanorū chebul. & nig. & emblicorū, belliricorū añ. drach. 8. hyſſopi ſiccę, origani ſyl. aniuden nigri, aniſi, ſiſeleos añ. drac. 8. ammeos drach. 10. Terant̃ & cribel. & liniant̃ cum oleo albutin, & eſt granū uiridæ, aut oleo de nucibus, & conficiant̃ cum melle de fauis, & paſſulis mūdatis ab interioribus ſuis, contritis contritione multa, & dentur drac. 5. cū aqua calida.

Aliud

*Aliud Gabrielis, & est expertum.*

RECipe trium piperũ, † cinnamomi, gariophillorũ aromaticorũ, & antiphilorũ, cyperi, citri excorticati, nucis muſchatæ añ. aur. 1. granorũ nil aur. 6. turbith albi, ſacchari albi añ. aur. 24. Terať unaquæq; medicinarũ per ſe, & cribel. & aggregenť, & miſceantur cum ſaccharo, & cõficiantur cum melle deſpumato, & denť ex eo in principio ſecundũ ſemitã ſolutiui aur. 8. aut 7. aut 5. omni homini ſecundũ uirtutẽ eius, deinde interpolatur diebus tribus, & detur ex eo omni die aur. 1. ieiuno ſtomacho cũ aqua calida diebus multis. Et adminiſtretur extrinſecus linimẽtum, cũ medicinis uehementis abſterſionis, ſicut hoc: Sumatur elleborus niger, & miſceatur cum gallis, & conficiatur cum aceto uini, & liniatur cum eo.

† carui, pyrethri.

*Aliud linimentum.*

SVmatur ſeitaragi. Teratur & conficiatur cum aceto, & liniatur, aut cõburatur ſeitaragi, & decoquatur cum oleo myrtino, deinde proijciatur cum oleo zegi contritum, & inungatur cum eo locus.

*Aliud nobile linimentum.*

REcipe ellebori nigri, radicum capparis, condiſi, ſeitaragi perſici, lupinorũ omnia æqualiter. Terãtur & cõficiantur cum aceto, & liniatur.

*Aliud.*

REcipe ſinapi, mezereon nig. rad. ſcãmoneę, rubeę, omnia æqualiter. Conficiantur cum ſanguine ſcorpionum, aut ſanguine arachamati, aut hyrundinis, & liniatur. *Aliud.*

COnficiatur oſtracũ tritum cum ſanguine nigri excorticati, aut cum ſanguine ſerpentis uiridis, & liniatur.

*Aliud.*

REcipe elleb. nig. ſulphuris uiridis, ſeitaragi Indi, pyrethri, rad. capparis, naſturtij, ſtercoris muris, ſpumæ maris, ſtaphiſagrię, baurach armeni omnium æqualiter. Terantur & conficiantur cum aceto, & liniatur.

*Aliud bonum & mirabile.*

REcipe ſulphuris cõbuſti, euphorbij, elleb. nig. añ. drach. 2. anacardi, drach. 5. pyrethri, ſeitaragi perſici añ. drach. 1. & s. Teratur & conficiatur cum aceto uini, & liniatur.

*Aliud Kilkauris Autoris, qui euigilare fecit paganos, & paſſus eſt Albaras, & curauit ſeipſum cum hoc.*

REcipe mellis anacardi drach. 7. pyrethri, rutæ montanæ, & eſt athanaſia añ. drach. 3. euphorbij cõbuſti drac. 4. ſeitaragi perſici drach. 2. Teratur & conficiatur cum aqua, & liniatur.

Aliud.

Recipe scyllę assatę, pyrethri, rutę montanę, euphorbij, anacardi, seitaragi persici, aristolochię longę, gentianę, ellebori nigri, aristolochię rotundę combustorum omnium añ. drach. 5. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum melle & administrentur.

Aliud.

Recipe anacardi cõbusti, sulphuris comb. ellebori nig. aristoloch. rot. comb. drac. 1. Terant̃ & cribel. & cõficiant̃ cũ melle, & administret̃.

Aliud & rectificat Panum.

Recipe amygdalarum amararum, lupinorũ añ. drach. 5. semins raphani drach. 4. tragachantę tantundem, ellebori nigri, aristolochię longæ, costi amari, aut dulcis añ. drach. 2. Teratur & administretur.

Aliud ad barras & impetiginem chronicam.

Recipe seminis erucæ, sem. caulis, sinapi, nasturtij, omnium æqualiter. Teratur & conficiatur cum aceto forti.

Aliud.

Recipe foliorum fici siccorum, fol. rutę, baurach, omnium æqualiter. Teratur & conficiatur cum aceto forti, & liniatur in sole. Si autem accidant ulcera, tunc accipiatur ex cannis alfegi antiquis, & folijs caulis. Terantur & ponantur super ulcera, donec sanentur.

Aliud.

Recipe ellebori nig. cõdisi, sinapi, & conficiant̃ cum aceto, & liniatur.

Aliud ad barras expertum.

Recipe gallarum, mezereon, gummi, seitaragi persici añ. drach. 1. Teratur & conficiatur cum lacte mulieris, aut lacte recenter mulcto, & liniatur, est enim bonum expertum mirabile.

De ægritudinibus, ex quibus excoriatur cutis, & finditur, & sunt Albaras nigra, & pruritus.

Istę duę ægritudines simul, sunt asperitas in superficie corporis extrinseca cum pruritu, in quibus excoriatur cutis, & accidunt ex humore melancholico. Veruntamen impetigines excoriabiles, ambulant & reuoluuntur in concauitate corporis, secundum reuolutiones, & cadunt ex eis cortices rotũdi. Pruritus autem est, pustulę quę sunt in eo quod apparet de corpore, & figurantur cum coloribus & expelluntur ostraca furfurea. Et est necesse in istis duabus ægritudinibus, ut administretur extractio sanguinis, quando est in corpore repletio uehemens. Deinde administrentur medicinę post illud, & sint medicinę mouentes, mundificantes humorem melancholicum multotiens, & postquam mundificatur corpus mundificatione

Impetigo. Pruritus.

sufficienti,

ſufficienti, redimus ad res, quę ponuntur exterius. Et ex eis quorum cõmunicat rectificatio, ſunt duo ellebori ſimul cum calce abluta, & ſit hoc præpatatum, reſeruatum apud te, poſtquam abluitur & exiccatur, & rẹſoluatur cum aqua in neceſſitate, & adminiſtretur.

*Aliud.*

RECipe keſue unc. 8. corticum radicum capparis, gummi Arabici añ. unc. 1. Terać & cribelletur, & cõficiatur cum aceto, & liniać cum eo.

*Aliud.*

REcipe anacardi cõbuſti, coſti cõbuſti, ellebori, ariſtoloch. cõbuſtorũ añ. drach. 5. Teranć & cribel. & conficianć cũ aqua, & liniać cum eo.

*Aliud.*

REcipe amygdalarũ amararum excorticatarum, lupinorũ añ. drach. 5. ſeminis raphani, tragachantę añ. drach. 4. ariſtolochię longę, ellebori nigri añ. drach. 2. Terantur & liniatur cum eo.

*Aliud ad barras, & impetiginẽ antiquã, & ex eis quæ delẽt impetiginẽ, propriẽ excoriatã.*

REcipe flores papaueris † nigri, radicũ uitis albę, & eſt alfaſure contriti coniuncti cum aceto, & liniatur cum utriſq; locus. In pruritu autem propriẽ ſunt iſtę medicinę ſequentes. † *ruſi.*

*Medicinæ quæ conferunt in pruritu.*

SVmantur folia oleandri recẽtia, & decoquãtur cum olei oliuę quantitate librę unius, donec diſſoluanć & penetrat oleũ. Teranć & pijciantur ſuper oleũ aliud, cerę unc. 3. liquefiant cum oleo, & expectećdonec liquefiat cera, & infrigida illud, & pulueriza ſuper illud ſulphuris non combuſti unc. 4. & liniatur cum eo aſſiduẽ in balneo, aut in ſole.

## *De morphea alba & nigra. Cap. V.*

SPecies morphee ſunt duę, alba & nigra. Alba uerò quę eſt ex eis utriſq;, eſt cõformis in ſpecie ſua, & ęqualis ſpeciei albaras albę, & diuerſa fit in hoc ei, quod albaras ſubmergić in profundo, & propter illud naſcunć pili albi in loco. Et morphea ſecundũ plurimũ non mutat, niſi illud quod apparet de corpore tantũ, & fortaſſe eſt mutatio eius uſq; ad profundũ corporis, uerũtamen non eſt ſicut albaras, imò minus ea. Morphea uerò nigra eſt ex genere impetiginis excoriatę, ſcilicet, albaras nigra, & diuerſa fit ab ea per hoc, quod eſt in ſuperficie corporis tantum.

*Curatio morpheæ albæ.*

COnferũt morpheę albę, & ſi eſt antiqua quę iam ſubmerſa eſt ad interiora corporis, medicinę q̃s diximus in curatione albaris albę, & ſi eſt recẽs in exteriore cute tãtũ, tũc oportet ut adminiſtrẽć in ea iſtę medicinę.

Medicamen

*Medicamen ualens ad morpheam albam.*

Recipe myrobalanorũ nigrorum, belliricorũ, emblicorum añ. drach. 10. Terantur & cribellentur, passularum mundatarum a granis suis drach. 50. Terantur multum & liniantur cum melle, secũdum quantitatem necessitatis, ad confectionem medicinarum, & misceantur simul multum, & dentur omni die drach. 5. in ieiunio.

*Confectio ad morpheam albam.*

Recipe spicæ, mastiches, nucis moschatæ, sauinæ, sceha, zingiberis, calaminthę fluuialis & mõtani, costi amari, cassiæ ligneæ, azari, seminis apij, anisi, ammeos añ. drach. 5. epithymi, passularum mundatarum ab interioribus suis, myrobalanorum nigrorum, belliricorum, emblicorum añ. drach. 10. mellis despumati quantum necesse est, dosis drach. 4.

*Aliud nobile medicamen Gabrielis.*

Recipe mastiches drachmas duas, cassiæ ligneæ, cinnamomi, zingiberis, passularum, ablatis interioribus drach. 24. mellis quantum necesse est, dosis drachmę quatuor.

*Aliud.*

Recipe zingiberis, costi, azari, mastiches, añ. drachmam unam, chamędreos, scordeon, cassiæ ligneæ añ. drachmas duas, epithymi, origani montani, calaminthæ campestris añ. drach. 4. aloës, agarici añ. drach. 8. mellis quantum necesse est, dosis drachmę quatuor. Et conferunt ad morpheam nigram omnes curationes prædictæ, in esse inpetiginis excoriatæ. Et est necesse, ut administrentur etiam in istis medicinis in hac ægritudine assidue, myrobalani nigri, chebuli, bellirici, epithymus, polypodium, sal Indi, stœchados, agaricus, lapis lazuli, & quæ sunt illis similia. Et est necesse, ut ponatur super locum in ambabus speciebus morpheæ linimentum, ex duobus elleboris simul cum aceto, & decoctionem lupinorũ, & corticum radicum capparis cum aceto, & radicum rubeę cum aceto, & seitaragi persicum cum aceto, & radix lilij cum melle. Et est cõueniens ad morpheam nigram proprie, arsenicum rubeum, quando miscetur cum nitro, & sulphure, quod non est combustum, & liniatur in sole, postquam fricatur locus cum nitro. Ad morpheã albã conferũt hæ medicinę sequẽtes.

*Linmentum Gabrielis proprie confert morpheæ albæ.*

Recipe costi amari, gentianæ, aristoloch. rotund. pyrethri añ. drach. 1. seminis raphani drach. 4. Terantur & cribellentur, & conficiatur cum aceto, & kitran dissoluto cum aceto, & liniatur.

*Aliud Gabrielis.*

REcipe sulphuris cõbusti drach. 4. euphorbij combusti drachmas quatuor, anacardi combusti drach. s. ellebori nigri drach. 2. Teratur & conficiatur cum aceto, & liniatur.

*De pruritu accidente in corpore. Cap. VI.*

PRuritus qui fit in corpore, fit uniuersaliter ex superfluitatibus quæ expelluntur ex uenis, aut ex membris alijs ad cutem, & figũtur illic. Et propter multitudinẽ earum, aut ipsarũ crassitudinẽ non possunt penetrare in eam, remanent ergo sub ea, & putresiunt propter longitudinem morę suę, & mora earum elongatur propter debilitatẽ uirtutis expulsiuę. Eius ergo alius est, qui fit secundũ semitam debilitatis comitantis, quæ accidit propter ętatem, sicut accidit in decrepitis. Alius est qui fit ex humore malo, cui est qualitas acuta mordicatiua, & salsa baurachia, hic quidem est illi, qui fit in hora retentus sub cute tantum, & in hora est permixtus in uenis cum sanguine. Et cognoscitur unusquisque modorum pruritus, & humoris facientis, ex ætate, & regimine, & regione, & reliquis causis chimorum, & accidentibus, & significationibus super unumquenque eorum. Et curatio pruritus, qui accidit senibus propter magnitudinem ætatis, secundum ueritatem non est nobis possibilis, quoniam non possumus permutare eos ad ætatem aliam, imò extinguimus ipsum, & sedamus eum cum curatione. Secundum uerò genns mitigationis est possibile, ut curetur cum medicinis, quas dicemus, post. Et ille qui accidit ex uictoria superfluitatis nociuæ, tunc si superfluitas est in uenis, curamus eum in primis cum extractione sanguinis, & post eam, per euacuationem, cum medicinis solutiuis conuenientibus, sicut myrobalani, fumus terræ, epithymus, elleborus niger, & pulpa colocynthidis, & quę sunt illis similia. Et post hoc, administramus medicinas, quæ abstergunt exterius in balneo. Si autem humor malus non est in uenis, imò sub cute tantum, tunc post mundificationem cum medicinis solutiuis redimus ad medicinas, quæ abstergunt exterius. Et incipiamus in eo, qui habet ægritudinem cum balneatione, deinde medicamur pruritum cum linimento, sedante pruritũ ex medicinis expertis, probatis, sicut aqua siclæ, maluarum campestrium & ortulanorum, succus acetosæ, surfur amyli confectus cum aceto, quando fricatur cum eo corpus, & farina fabarum, & interius batheką. Quod si prolongatur ægritudo, fricamus corpus cum aqua apij, aceto, oleo rosarum, baurach, & cum aqua

cum aqua decoctionis oleandri. Et si eius generatio est ex humore albaurach, tūc conueniens est, ut fricetur corpus cum farina fœnogręci, & melle mundo, & succo cucumeris asinini, succo capparis, & aqua granatorum, & aqua decoctionis colocynthidis. Et ex eis quę conferunt iuuamentum magnum, sunt rosę albę, quando accipiuntur ex eis unc. 2. & terantur cum aceto forti, donec fiat ei substantia sorditiei balnei, & misceatur cum eis sulphuris uncia una, quod fuit tritum solum, & fricatur cum eo corpus in balneo, & si misceantur duarum medicinarū, quas diximus, partes æquales, erit fortius ad operationem earum. Et ex eis quę conferunt ad pruritum ualde, est apium recens, quando teritur & fricatur corpus cum eo in balneo, aut nux magna, quando fit cum eo simile illius, in qua, significo cortices nucis recentes, & reliquas medicinas de proprietate, quarū est ut abstergant, præter quod generant ulcera. Si autem est pruritus propter duritiem, confert ei balneatio assidua, cum aqua dulci calida, in qua decocta est myrtus, & fricetur cum alguer, & non est iuuamentum in sehesabren, quando cum eo fricatur corpus infra illud. Quod si pruritus est in membro uirili tantum, quia de consuetudine hominum est, ut accidat eis illud, tunc conuenit hoc linimentum: Recipe cerusę de plumbo drach. 6. sulphuris albi drach. 1. opij drach. s. misceantur & liniatur cum aceto commixto.

*Linimentum ad impetiginem & pruritum in testiculis.*

RECIPE cerusę de plumbo drach. 8. sulphuris incombusti drach. 2. staphisagrię drach. 1. Terant. & cōficiantur cum aceto & administretur.

*Ad pruritum in ano, aut in receptaculo mulieris.*

RECIPE aluminis rotundi Iameni assati unc. 2. kitran unc. 1. Cōficiantur cum aceto, & liniatur super pannū lini, & ponatur super locum, si est interius aut exterius.

*Aliud ad pruritum in duobus testiculis, & resudat aqua, expertum.*

RECIPE acatię, memithę añ. drach. s. aloës succotrēsis, sumach, salis ammoniaci añ. kirat. 3. croci parum, usnen quantum sunt medicinę. Terantur & cribellent. & cōficiantur cum oleo sambucino & administretur.

## De scabie. Caput VII.

EVentus huius ægritudins fit ex sanguine crasso, qui putrescit. Quapropter fit inceptio curationis eius phlebotomia, & post ipsam solutio uentris, cum decoctione duorum myrobalanorum multotiens. Deinde post illud soluimus eos, cum aqua fumiterrę humidę, & myrobalanis citrinis

nis citrinis, & saccharo, & post euacuationem sufficientem administretur linimentum. Scabies autem humida cum medicinis multę exiccationis, scabies autem sicca cum illis, quæ sunt paucæ exiccationis. Et ego tibi describam duas species simul, quando indiges curatione, fiat facile, sicut hoc linimentum. Curatio.

*Linimentum ad scabiem.*

RECipe condisi drach. 2. argenti uiui tantundem, aristolochiæ longæ drach. 4. scorię argenti drach. 6. uenarum tinctorum drach. 5. terræ argenti uiui drach. 2. Terātur & conficiantur cum aceto & oleo rosarum, & liniatur in sole calido.

*Aliud.*

SVmantur condisi & magra. Terantur contritione bona, & conficiantur cum aceto forti, & liniatur.

*Aliud.*

REcipe duorum arsenicorum simul, merdasengi de spahani, scorię argenti, & terræ argenti uiui, uenarum tinctorum, condisi, foliorum oleandri, salis ammoniaci, aristolochiæ longæ añ. unc. 5. argenti uiui, unc. 1. Teratur illud & cribelletur; & conficiatur cum aceto uini, & oleo, & administretur.

*Aliud.*

REcipe aristolochię longę, mugath, cōdisi, lentiū, mirrhę, ammoniaci, amygdalarū amararū, uenarū tinctorū añ. partem 1. merdasengi, scoriæ argenti añ. partes 2. Terantur & cribellētur cum corali, & permisceatur cum oleo rosato, & aceto uini, & liniatur cum eo scabies.

*Linimentum ad impetiginem, alsaphati, & ad scabiem, probatum.*

REcipe pulpę colocynth. condisi, sulphuris, zegi añ. drach. 5. merdasengi, & memithe añ. drach. 8. seminis harmel torrefacti, & uermis alcarmes cum eo, & misceatur cum argento uiuo, & medicinis siccis permixtione ultima, teratur & liniatur cum eo locus, expertum est.

*Aliud ad scabiem humidam.*

REcipe sulphuris albi incombusti, condisi, salis massæ, cineris ilicis, pyrethri, kambil añ. Conficiatur cum aceto uini, & oleo rosarum, & liniatur cum eo.

*Aliud.*

REcipe scorię argenti, condisi, myrti siccę, aristoloch. longę, chali, ęris usti, argenti uiui, usnen tinctorū, stercoris canis albi, merdasengi, fuliginis domus furni, sulphuris citrini, duorum arsenicorum, cerussę plumbi,

gallarum,ziniar,granorum alben omniũ æqualiter. Teratur & cõficiatur cum oleo rosarũ,& oleo laurino, & administret. Est enim iuuatiuũ ualde, & non est ei simile in medicinis, quæ conueniunt ad hunc modum, nam etiam eradicat uerrucas & uestigia nigra, pruritum & asaphati.

*Aliud ad scabiem humidam.*

RECipe scoriæ argẽti, merdasengi, cineris ilicis, uel quercus, uenarũ tinctorũ, salis massæ, cõdisi, ostracorũ furni, sulphuris, omniũ ęqualiter. Teratur & cõficiatur cum aceto & oleo antiquo, & liniatur cũ eo scabies.

*Aliud.*

RECipe chelidoniæ, scoriæ argẽti, cãbil, merdasengi, uenarũ tinctorũ, omniũ ęqualiter. Conficiant cũ aceto uini, & oleo ros. & liniat cũ eo.

## *De essere, id est, tumoribus quæ cito fiunt, & cito recedunt, & præcipuè homo se scalpit.* Caput VIII.

SI euentus eius est ex sanguine cholerico, super quę significatur ex caliditate cõplexionis infirmi, & acuitate eius, & ex rubedine quæ apparet ex eo, & ex æstuatiõe eius in die secundũ plurimũ. Tunc oportet ut incipiamus cum phlebotomia in curatione eius, & extinguamus post ipsam cum decoctione thamarindorum & prunorũ, & aqua granatorum acetosorũ, & acetositate citri. Deinde euacuamus post hęc, cum decoctione duorum myrobalanorũ cum hoc medicamine: Recipe myrobalanorum citrinorũ drach.2. Hieræ Picræ drach.1. Cõficiatur cum secaniabin, & ponatur potio eius, drach.1. & administretur. Si autem Essere est ex phlegmate salso albaurachi, super quod significat ex ęstuatione eius in nocte, & ex paucitate rubedinis, quę apparet, tũc detur infirmo aqua nucis cupressi humidæ unc.1. cum unc.1. aloës. Confert etiam aqua almagre, quando bibitur, & aqua lateris noui, quando bibitur. Aut sumantur gallæ, & terãtur bene, & concutiantur cum aceto uini fortis, & dentur in potu ex sem. agni casti drach.3. cum lacte recenter mulcto. Et confert etiam hoc iuuamẽtum magnum, & est ut sumatur cubebarum drach.1. cum drach.3. sacchari. Et ex eis quæ probata sunt & experta, est hoc medicamen: Recipe calaminthæ drach.1. nimen, hoc est, usnen drach.2. spodij, rosarum rubearum tritarum añ. drach.s. camphoræ kirat.1. detur cum aqua granatorum acetosorum, aut cum aqua citrulli, & cucumeris. Aut infundatur sumach cum aqua, & coletur aqua eius, & sumatur unc.1. & teratur ex sauina drach.1. & liquefiat cum illa aqua, & detur in potu ieiuno adhuc stomacho. Aut detur

ex hoc

ex hoc medicamine Indo, quod nominatur albela drach.1.cum 3.lib.sacchari albi,cũ aqua frigida duobus diebus,aut tribus,est em̃ mirabile ualde.

*De pulueribus Aromaticis Aromatizantibus odorem corporis, Caput IX.*

MAteriæ rerum quę Aromatizãt odorem corporis, sunt species & plãtæ,fructus,succi Aromatici boni odoris,qui boni sunt proprie, non per accidẽs.Et omnes res quę exiccant raritatem,quę accidit in locis multi sudoris,sicut sunt titillici,uel inguines,& origines,uel inguina coxarum,& quæ prohibent sudorem ex toto corpore,& exiccãt ipsum,& abscindũt odorem fœtidum,& faciunt acquirere corpus odorem bonum per accidens,non per se.Et istæ sunt sicut alumen humidum,& scoria argenti,scoria plumbi,thutia,merdasengi,& reliquę res,quę exiccant cum uirtute.Species autem sumendi non oportet ut sit una,quoniã corporum aliud est,quod est calidũ,& aliud quod est frigidum, & aliud quod est humidũ multi sudoris,& aliud quod est siccũ pauci sudoris. Propter illud ergo necesse est,ut sint species medicinarum sumptarum ad illud,ex materia boni odoris,diuersarum uirtutum, secundum quantitatem quã indiget unumquodq; corpus,cum quantitate diuersitatis cõplexionis eorum.Propter illud ergo factæ sunt compositiones,quę accipiuntur,diuersarum specierum,donec utatur unusquisq; hominum eo,quod conuenit ipsi,scilicet quod nunc narrabo.

*Puluis aromaticus bonum faciens odorem corporis, & propriè confert habentibus complexionem calidam.*

REcipe ciperi,folij Indi,floris squinãti, styracis humidæ añ. drach.10. rosarum siccarum,foliorum myrti añ.drach.20.santali rubei drach. †15.Infundantur ciperi,& squinantũ, & folia Indi in uino odorifero & exic- †10.
centur,& terantur,deinde terantur cum reliquis medicinis, cum aqua rosarum,& camphora,& exiccentur in umbra,& terantur tertio, & puluerizentur super corpus post balneationem, & ablutionem cum aqua,in qua decocta sunt sisymbrium, chamæmelum, myrtus, rosæ,alusnen,calamus Aromaticus,sceha,& quæ sunt illis similia.

*Aliud abscindens odorem fœtidum ex sudore corporis.*

REcipe amomi,costi,spicæ añ.unc.2.scoriæ argenti drach.5.florũ pulegij,& corticũ citri exteriorum añ. unc.1.foliorũ myrti,rosarũ siccarum,foliorũ persici añ.unc. 4. thuris boni unc.5.croci, calami Aromati

ciañ.unc.1.climiæ unc.3.abluantur climia,& scoria argenti cum aqua pluuiali,& terantur reliqua cum uino odorifero,& soluatur crocus cum aqua malorum,& conficiatur totum,& exiccetur in umbra,& administretur.

*Aliud abscindens odorem titillicorum.*

RECipe aluminis humidi aureos duos, amomi aureum unum,mirrhæ aureum dimidium. Terantur & liniatur sub titillicis.

*Aliud abscindens odorem sudoris, & titillicorum,& confert multum ei,qui est frigidæ complexionis.*

REcipe spicę,gariophillorum,& darsesaban,amomi añ. drac.3. costi, blactæ bizantiæ,spicæ Indæ,cinnamomi añ.drach.2. samsuci,sisymbrij,styracis liquidę añ.drach.4.mellis hyblei drach.5.croci drach.1.Teratur & conficiatur cum aqua sisymbrij,& administretur.

*Aliud ad fœtorem titillicorum.*

REcipe plumbi cõbusti extincti cum uino partes quatuor,mirrhę partem unam. Teratur cum uino, donec inspissetur & fiat in substantia mellis faui,& administretur.

*Aliud.*

REcipe merdasengi conditi,scorię argenti,scorię ferri,mirrhę, amomi,spicę,omniũ æqualiter. Teratur & cõficiatur cum uino,& liniatẽ.

*Aliud.*

REcipe aluminis humidi,amomi,mirrhę,spicę,omnium ęqualiter. Teratur & conficiatur cum uino,& liniatur cum eo.

*Aliud.*

REcipe merdasengi conditi,santali albi,uel salis Indi,folia sisymbrij sicca,camphora,muscũ. Terantur & conficiantur cum aqua sisymbrij, & liniatur cum eo,in descriptione alia cum uino, & non cum sisymbrio.

*De fœtore oris,& albarara.* Caput X.

*Oris putrefactio.*

EVentus fœtoris oris est ex humiditate putrida,quę accidit in stomacho,aut ex putrefactiõe in radice dentiũ,& gingiuis. Quapropter si causa est in eo ex stomacho,administramus mundificationem stomachi ipsius per uomitũ,post cibos incisiuos,qui abstergunt os stomachi, deinde p potũ pilularũ de aloë,& mastic.& alfaufel,& hoc est opus eorũ.

*Pilulæ Alfaufel conferentes ad fœtorem oris.*

REcipe fausel,gariophillorũ,galãgę añ.drach.1.musci,camphorę añ. dauich duo,pyrethri,aloës drach.3. sinapi drach.1. Terantur & cribellentur,& conficiantur cum uino,& fiant ex eis pilulę,& dentur ex eis omni die ieiuno adhuc stomacho 5.cum uino antiquo.

*Aliæ quæ*

*Aliæ quæ quoq; conferunt.*

RECipe santali albi, macis, costi, cardamomi, heil, id est, cardamomum minus, nucis moschatę, gariophillorũ añ. drach. 5. cubebe, camphorę añ. drach. 1. s. Terantur & conficiantur cum aqua rosarum, & administrentur postquam fiant pilulę, sicut cicer, & dentur ut teneantur in ore.

*Aliæ.*

RECipe cinnamomi, gariophillorũ, usneę, salis Indi, sessamiti, & est heil, cardamomi, spicę, ligni aloës crudi añ. drach. 1. aloës drach. 3. quidã proijciunt ex aloë pondus reliquarum medicinarum. Terantur & conficiantur cum uino, & fiant ex eis pilulę, & administrentur.

*Aliæ quæ conferunt iuuamentum magnum.*

RECipe fereniamisch humidi, foliorum citri, spicæ, nucis moschatę, gariophillorũ, neremeemisk, heil, zingiberis, cubebe, macis, ciperi añ. unc. 1. musci drach. 1. conficiantur cum uino antiquo odorifero, & fiant ex eis pilulæ magnæ, & dentur omni die mane duæ pilulæ. Si autem causa in fœtore oris, est ex putrefactione dentium, & carnium gingiuarum, tunc curentur dentes cum modis, quos diximus in lib. secũdo, de dolore dentium.

## *De adustione ignis & aquæ.* *Cap.* XI.

ADustio ignis indiget medicinis, quæ abstergunt cum æqualitate, præter quod appareat eis calefactio, aut infrigidatio. Et illud quod conueniens est ad hoc, est marmor inuẽtum in luto uiridi, & omne lutum leuis ponderis, quando ex eo linitur cum aceto, quod non est uehementis acetositats, aut commixto cum aqua. Et ex eis quæ faciunt in hoc operationem bonam, & prohibent adustionem à uesicatione, est albugo oui, quando cõcutitur cum oleo rosarũ, & linitur statim super locum cum penna, quia hoc infrigidat cum æqualitate, & exiccat absq; mordicatione.

*Medicamen ad adustionem ignis.*

RECipe foliorum althęæ humidorum, aut foliorum maluarum lib. 1. decoquatur cum aqua, donec discocta sunt, deinde colentur & terãtur bene, & extrahantur ex eis fila dura omnia, & proijciantur super ea merda sengi conditi, cerussæ añ. unc. 2. & s. olei rosarum unc. 4, aqua coriandri humidi, & solani añ. unc. 1. & misceatur totum cũm commixtione bona, & fiat emplastrum cum ea. Confert etiam hoc apostematibus calidis. In illis autem in quibus iam uesicata est combustio, decoquantur lentes excorticatæ, rosæ, decoctione bona uehementi, deinde terantur cum farina hordei, & oleo rosarum, & fiat emplastrum.

*Aliud.*

Recipe calcis postquam abluitur cum aqua dulci septies, & exiccatur unc. 4. ceræ unc. 2. olei rosarum unc. 6. liquefac cerã cum oleo, & misceatur cum calce bene, & liniatur. Quidam faciunt linimentum ex calce abluta tantum absque cera, & permiscent cum ea oleum rosarum, albumen oui, & ex cerussa parum. Quidam accipiunt linimentum, ex encausto confecto cum aceto. Super adustionem uero, ex aqua bullienti fundatur, antequam uesicetur, aqua oliuarum salitarum, aut aqua cineris, aut muri, aut sumach, & liniatur super locum, & postquam uesicatur, confert ungentum de cerussa, aut de calce, & hęc est operatio eius.

*Vngentum de calce, ualens ad adustionem, & exiccat ulcera.*

Recipe ex calce quantum uis, & funde super eam parum aquę, & conficiatur cum ea confectione bona, & funde super eam aliquid de oleo, & conteratur donec egrediatur aqua, quã fudisti super eã, deinde exprime ipsam bene, & permisceatur cum oleo, donec fiat ungentũ, & administret. Si autem non alleuietur uesicatio, & difficilis fiat eius consolidatio, administra medicamen siccum, factum cum folijs alhetil combustis, & est arbor similis tamarisco, aut folijs aliambuth combustis.

*Puluis Exireni confert ulceribus difficilis consolidationis, & igni inflammato, & Sacre, pustulis in labijs, naso, & reliquis ulceribus humidis.*

Recipe rasurę æris, & ferri añ. partem unam, conficiantur cum luti rubei quantitate quę necessaria est, & misceantur, & conterantur, & ponantur formæ sphericę, comburantur in furno, & reseruentur. Cum ergo indiges eis, tere unam ex eis, & inunge locũ in primis cum oleo rosarum, deinde pulueriza super ipsum, ex ipso. Est enim bonum expertum, confert etiam ad uariolas, quę egrediuntur in pueris.

*De sputo sanguinis facto ex sanguisuga, quæ deglutitur.* Cap. XII.

Illum qui expuit sanguinem, propter sanguisugam quã deglutiuit, fac stare in directo oculi solis, & pręcipe ei, ut aperiat os suum & preme linguam eius cum meillato pari, & aspice in uuulã bene. Si ergo uides sanguisugã suspensam in faucibus, tũc cape eam tenaculis minutis, & non properes intentionẽ eius, ut non incidatur, sed annecte facile paulatim, donec resoluat in quo suspensa est. Quod si non potes eam uidere, administra has medicinas: Recipe aceti uini unc. 2. baurach drach. 3. allij hortulani drachmas duas. Teratur allium cum baurach contritione bona, & resoluatur cum aceto, & gargarizetur cum eo. Aut sumãtur sinapi drach. 2. baurach

drach.

drach. 4. Terantur bene, & insufflentur sicca in guttur. Si autem sanguisuga est in stomacho, confert hoc medicamen: Recipe sceha, absynthij Romani, nigellæ, lupinorum, costi, interioris citri, & xiras añ. drach. 1. Terantur & cribellentur, & dissoluatur cum aceto permixto, & detur. Et si eruptio sanguinis, sequitur casum sanguisugæ, tunc administrentur medicinæ stypticæ, quæ abscindunt sanguinem.

### *De gonorrhœa, hoc est, roratione & cursu spermatis.* Cap. XIII.

EVacuatio spermatis extra naturam, aut fit ex spasmo instrumentorum spermatis, sicut accidit in Epilepsia, & est corruptio sensus, & mollificatio, aut ex debilitate uirtutis retētiuę, quę est in instrumentis spermatis, donec nō potest retinere sperma, & accidit etiam, quādo mouetur uirtus euacuatiua, quæ est in istis instrumentis motu malo. Veruntamen aliquis dicit, quare fit quod in ęgritudine epilepsię prohibetur exitus stercoris, & urinę, & euacuatur sperma? Dico, quia in hora epilepsię spasmantur instrumēta spermatis cum reliqs neruis, & lædunt cum istis lacerti asserengi, id est, partiū quę sunt in circuitu ani & uesicę. Et secundū hanc semitam etiam, quādo spasmant lacerti, constringētes collū uesicæ, prohibetur exitus urinæ. Instrumēta aūt spermatis quādo spasmant, accidit fluxus spermatis, & exitus eius. Curet ergo hęc ægritudo cum regiminibus subtilibus sanis, & phlebotomia uenę, si est in corpore repletio, & cū mūdificatione superius p uomitū, quādo necessitas uocat ad illud. Et oportet ut prohibeatur ab euacuatione per solutionē naturæ, nā euacuatio per solutionē attrahit ad mēbra materiā per uicinitatē. Et prohibeatur etiam ex medicinis, quæ prouocāt urinā, & iam iuuatur infirmus per stratū frigidum, & ut iaceat super latus suum dextrū, & ex medicinis infrigidātibus, quæ ponuntur super dorsum, & regionē renū inferius, sicut ceratū factū cum oleo rosarū, conquassato cum aqua frigida, & coriandro humido, aqua portulacę, lactucę, solani, salicis, altahulub. Laminę plūbi, quādo ligant super regionē renum, & ponuntur super ilia, iuuant etiam cum hoc qui habent pollutionem in nocte. Et sumat in potu ex medicinis illis, in quibus est proprietas in curatione huius ægritudinis, sicut nenuphar cum uino nigro styptico, & aqua decoctionis lentium, aqua portulacæ, & semen eius cum semine lactucæ, & cum aqua cannæ humidæ. Et si non est caliditas apparens, permisce etiam semen agni casti, & rutæ recentis in cibis eorū. Et oportet ut hæc

*Euacuatio spermatis quare in epilepsia.*

*Asserengi.*

administrentur in fine, non in principio, quoniam calfacit ualde, & similiter semen alsehedenegi campestris, quando comeditur, exiccat sperma.

*Medicamen ad gonorrhœam, exiccatq; sperma manifestè.*

Recipe radicis cannæ persicæ, calaminthę montanę, hyoscyami, seminis lactucæ, apij, rutæ, agni casti, rosarũ rubearũ añ. drach. 2. Teratũ & cribel. & dẽtur in potu ex eo cũ aqua frig. & cũ aceto permixto drach 2.

*Aliud.*

Recipe seminis rutæ, anisi añ. drach. 2. castorei, seminis hyoscyami albi añ. unc. 2. rosarum rubearum, balaustiarum añ. drach. 4. Terãtur & cribellentur, da drach. 2. cum aqua frigida.

*Aliud.*

Recipe seminis lactucę drach. 5. sehedengi drach. 5. & s. seminis rutæ drach. 1. s. Teratur & dentur drach. 2. cum secaniabin.

*Aliud.*

Recipe seminis agni casti, rutę añ. drach. 1. Teratur & cribelletur, & detur cum aceto permixto. Et post istos potus fiat, ut infirmus utatur exercitio, donec stringatur corpus eius, & locis lęsis sit uirtus.

*De rebus quæ ualent ad coitum, & faciunt effusionem spermatis.*
*Caput* XIIII.

Semen urticæ & bulbus, & est cepa campestris, semen apij, & napi ipsum, baucię, & semen, calamintha, eruca, cicer, fabę, piscis qui dicitur multorum pedum, grana pini, calamintha, radix serpentariæ, quando coquitur & comeditur, & loca quę sunt in circuitu renum stinci, oua perdicum addunt in erectione. Et costus etiam, quando accipitur cum zeleniabin de melle, aut cum syropo de melle. Et testiculi uulpis etiam, quãdo accipitur ex eis cochlearium unum addunt in erectione. Et cepę, asparagi, cerebella passerum, & quę sunt illis similia. Medicinę autem compositę, quas nunc dicam, faciunt operationem fortem.

*Suffuf quod addit in spermate expertum.*

Recipe seminis asparagi, secacul, zingiberis añ. drach. 5. buderangi rubei, & albi, behen rubei, & albi añ. drach. 3. seminis humidę, id est, fasfale & raphani, seminis granorum uiridium, bauciæ, erucæ, urticæ añ. drach. 2. cepę, scyllę assatæ, salis, caudæ stinci añ. drach. 3. nasturtij drach. 8. linguę passerum drach. 1. sacchari drach. 40. Terantur, cribellentur, & misceatur, dentur drach. 2. cum rob, aut cum lacte recenter mulcto.

*Aliud*

*Aliud quod addit in ſpermate.*

REcipeſeminiserucÄ™,raphani,urticÄ™ añ.drach. 8. coſti, pyrethri añ. drach. 2. zingiberis,ſecacul añ.drach.5.galangÄ™ drach.10. buderangi albi,& rubei añ.drach.5. Terãtur & cribellẽtur,& miſceantur cum penidijs,qui ſunt illius põderis cuius ſunt medicinÄ™,& dentur drac.3.cũ rob.

*Electuarium multiplicans ſperma.*

REcipe ſeminis erucÄ™, naſturtij, baucÄ™, aſparagi, albuderangi albi, & rubei,been albi,& rubei,ſeminis erucÄ™,apij,napi,caulis,bathekÄ™,cepæ,tragachantÄ™ añ.drach.5.cinnamomi,galangÄ™,ſecacul,zingiberis,macropiperis,heil,cinnamomi añ.drach.10. Terantur & cribellentur,& ſumantur tereniabin minÄ™ duÄ™,& infundantur in nocte, & mane colentur ex ſpinis quÄ™ ſunt in eo,& decoquatur apud ignem lenem donec inſpiſſetur, ſicut mel, & remoueatur ab igne, & pulueriżetur ſuper ipſum ex medicinis,quæ præparatÄ™ ſunt contritis,cribellatis,& permiſcentur benè,& dentur drach.7.cum lacte uaccino,aut cum lacte caprino,aut cum rob.

*Aliud quod addit in ſpermate ualdè mirabile.*

REcipe ſeminis aſparagi,erucæ,baucIæ,ſeminis cepæ añ.drach.5.teſticulorũ uulpis,drach.5.zingiberis,ſecacul,macropiperis añ.drach. 7.ſeminis fœniculi,& humidÄ™ añ.drach.6.ſalis ſtinci,aut quod eſt in circuitu renum drach.10.buderangi rubei,& albi añ.drach.5.cinnamomi drachmas tres,& ſemis,ſeminis napi drach.7.ſeſami excorticati,granorũ kilkil añ.drach.15. Terantur medicinÄ™ per ſe,& teratur ſeſamum, grana alkilkil per ſe,deinde miſceantur utraq; cum medicinis,& line eas cum ſeſamo, & confice eas cum melle deſpumato, aut cum tereniabin, & dentur drach.3.cum aqua erucÄ™,& comedatur ſuper ipſum cepÄ™ elixatum,& eruca,paſſeres,caro arietis,cum cepa,aut caro pedum,napi,& baucÄ™.

*Aliud Lilmeibecli.*

SVme ex haſech ſicco quantũ uis, teratur & cribellet̃, & ſume haſech humidũ in tempore ſuo, teratur & exprimatur aqua eius, & fundatur ſuper haſech ſiccũ,contritũ,& exiccetur in ſole. Cum ergo exiccatur, & aqua exiccatur, funde ſuper ipſum ex aqua haſech alterius, donec fiat haſech ſiccũ duplũ,& ſi eſt poſſibile,ut nutriat̃ alhaſech ſiccũ cum aqua alhaſech humidi,donec fiat triplum eſt melius,eſt enim res mirabilis. Deinde ſumãtur ex eo tres partes, & ex pyrethro pars una, & ſaccharo taberzed

partes

partes 4. terantur & cribellentur, & dentur drach. 3. cum aqua calida, est enim bonum addens in spermate, & stimulat ad coitum, & est nobile.

*Confectio confortans uirgam, & magnificans eam.*

R. Ecipe zingiberis, testiculorum uulpis añ. aur. 8. caudæ stinci, mirrhę, azari, petroselini, cordumeni, siseleos añ. aur. 4. cinnamomi, sem. erucæ, añ. aur. 3. seminis buderangi albi, piperis albi, sem. urticæ añ. aur. 2. floris squinanti, spicæ Aromaticę añ. unc. 1. sang. hirci lib. quartã. Dentur ex eo aur. 2. ei, qui est debilis coitus cum lacte recenter mulcto.

*Aliud ad coitum. Aliàs, Modus scoriæ ferri, addens in spermate.*

RƐcipe galangæ, secacul, been rubei, busiden, hasech, calasu, macis, pyrethri, sesami excorticati, buderangi citrini, macropiperis, zingiberis, rad. liquiritiæ, sem. urticæ, ciceris, & seminis erucæ, ranthæ, id est, sassasa, napi, asparagi, cepæ añ. aur. 10. scoriæ ferri, bassari quantum est medietas medicinarum. Liniantur medicinæ cum butyro uaccino, deinde conficiantur cum melle, & administrentur.

*Ad desiderium coitus.*

SVmatur cepæ album, teratur & extrahatur aqua eius, sumatur ex eo quantitas mediæ libræ, & proijciatur super ipsam quantitas librę mediæ mellis, & decoquatur lento igne, donec consumatur aqua cepæ, & remaneat mel, & sumatur, & ponatur in uase uitreo. Cũ ergo uis administrare illud, da ex ipso ante somnum cochlearia duo cum aqua calida.

*Aliud ad coitum.*

REcipe seminis erucæ, napi, raphani, bathekæ añ. partem unam. Teratur unumquodq; per se, & cribelletur, & dẽtur ex eo drach. 3, cum lacte recenter mulcto ieiuno stomacho, expertum est.

*Aliud.*

SVme ex melle quantum uis, & aufer spumam eius, & proijce super ipsum granorum pini mundatorum partes duas, seminis erucæ, bathekæ excorticati partem unam, postquam bullierit cum butyro uaccino parum piperis & cinnamomi. Formentur trochisci & dimittantur, & accipe ex eis post cibum quantum uis, expertum est.

*Trochisci addentes in coitu.*

ACcipe ex cicere quantũ uis, & infunde in aqua donec infletur, & ferueat super patellã cum butyro uaccino igne leni, ita ut nõ cõburatur, deinde teratur & sumat ex eo pars una, & ex granis pini paruis partes 2.

Conficiatur

Cõficiatur cum melle deſpumato, quod iam decoctũ ſit, donec inſpiſſatum fuerit, & proijciatur ſuper mel cum caliditate ſua aliquid maſtiches, cinnamomi, & formentur trochiſci, & detur ex eo ante cibum quantum uis.

*Aliud quod auget deſiderium coitus.*

RECipe farinæ fœnogræci partes tres, macropiperis partẽ unam. Conficiantur cum melle, & detur ex eo aureus unus.

*Aliud.*

SVmantur grana uiridia, terantur & decoquantur cum bono uino, bona decoctione, donec diſſoluãtur & colẽtur ex aqua eius lib. una, & fundantur ſuper ipſam ex oleo amygdalarum dul. unc. 2. & detur in potu, fiat illud ſeptem diebus continuis, & comedat albotin ſolum.

*Sal quod addit in coitu.*

SVmať ſal non † fixũ & miſceatur cũ eo zingib. macropiperis, buderangi rub. & alb. mẽtha ſicca, ſecacul, & fit ſal ex illo qď eſt in uẽtre ſtinci. † phryxum.

*Syropus qui mouet deſiderium coitus, & multiplicat ſperma.*

SVmatur napi, bautiæ, ficus, & decoquantur cum aqua decoctione ultima, & coletur. Et decoquantur in ipſa paſſulæ mundatæ à ſuis interioribus, decoctione bona, deinde coletur, & proijciatur ſuper eam penidij, & dimittatur donec incraſſetur, & fiat uinum paſſum, & bibatur.

*Aliud ad coitum.*

SVmatur ſal ſtinci, ſemen erucæ, contrita & cribellata, & proijciantur ſuper ea oua nemembreſt, id eſt, oua ſorbilia, & ſorbeatur.

*Clyſtere quod addit in coitu, & inpinguat renes.*

SVmantur caput arietis, & pedes eius, terãtur & proijciantur in ollam, & proijciatur ſuper ea aliquid ex pinguedine, quæ eſt circa caudam, tritici, ciceris añ. pugillum unum, anethi, chamæmeli, ſamſuci añ. unc. 1. hasech unc. 2. decoquãtur cum decẽ libris aquæ, donec diſſoluetur caro, & coletur ex illa aqua quãtitas medię lib. Et fundantur ſuper ipſam unc. 2. olei ſeſamini, butyri uaccini unc. 1. s. olei nardini unc. 1. s. lactis ouis recẽter mulcti, aut lactis uaccini unc. 2. pulueris aromatici, cannę aromaticæ aur. 1. fiat cum illo clyſter, & fiat tribus noctibus ſequẽtibus. Et ſi uis mundificare inteſtina ante clyſterem, mundifica ea cum hoc medicamine ſequenti.

*Medicamen mundificans inteſtina.*

RECipe haſech, carthami cõtriti añ. unc. 2. ficus 7. chamęmeli, anethi, fœnogræci, ſeminis lini añ. unc. 1. coquantur cum lib. 5. aquæ, donec remaneat lib. & accipiatur medietas eius, & miſceantur cum ea unc. 2.

olei ſe-

olei sesamini, & unc. 1. sacchari rubei, & unc. 1. muri. Cum ergo fuerit in nocte futura, administra clysterem primum.

### De lepra. Caput XV.

Lepra fit ex superfluitatibus choleræ nigrę, quia dum natura permanet generans parum humoris melancholici, & cibus adiuuat super illud, & splen attrahit illud, generatur ex illo sicut oportet, tūc non generatur in corpore huiusmodi superfluitas. Cum ergo aggregantur ei causæ contrariæ ei, quod diximus, aut omnes, aut quædam earum aggregatur huiusmodi superfluitas in uenis, & generantur ægritudines, de quibus solliciti sumus, ut narremus eas. Et causę quę sunt cōtrariæ eis, sunt prę- *Causæ.* paratio epatis, ut generet in eo huiusmodi superfluitas. Et cibi de proprietate quorum est, ut generent sanguinem crassum, fœtulentum, & debilitas splenis. Et ista quando aggregantur in corpore, faciunt hæreditare sanguinem, qui est in uenis & crassitudinem eius, & corruptionē multam. Propter illud fortasse expellitur, & euacuat sanguis ex uenis ipsis, & euacuatur cum exitu eius ex orificijs uenarum, quæ sunt in ano, quia uenis est etiam uirtus expulsiua per naturā, qua expellunt superfluitates extraneas, sicut est reliquis membris. Et fortasse non possunt uenæ expellere eas, quare effunduntur acuitate sua ad loca alia, & fortasse effunduntur ad debiliora membra, & fortasse expellūtur ad reliquum corpus. Si ergo superuenerit superfluitas ad membrum unum, & figitur in eo, donec fiat difficilis eius resolutio, facit accidere in illo membro, apostema melancholicum, aut cancrum. Quod si adhæret cum eo secundum dispositionem facilis resolutionis, accidit ægritudo, quæ resoluitur uelociter, sicut ulcera & morphea nigra. Si autem effunditur hæc superfluitas ad reliquū corpus, facit accidere ægritudinem, quæ nominatur lepra, & in principio suæ inceptionis occultantur significationes eius. Cum ergo extenditur tēpus, deteguntur significationes eius, & cognoscitur. Cum ergo confirmatur non dubitat in ea aliquis, quoniam in principio sui esse mutatur color faciei, & reliqui corporis totius alteratur ad nigredinem, & apparent significātia accidentia uictoriam humoris melancholici, sicut somnia terribilia mala, mores mali, dolus, res aliæ, quæ cognoscuntur ex significationibus quæ præcesserunt. Cum ergo extenditur parumper, cadunt pili, qui nascuntur in naso, incipit inflari facies, & turpis fit aspectus eius, fœtor odoris anhelitus & sudoris, corrūpitur harmonia uocis, & alteratur ad crassitudinem, aut ad subtilitatem, deinde cadunt

post

post illud pili superciliorum & palpebrarum oculi. Cum autem ægritudo confirmatur, cadunt pili omnes integræ, & propriè illi, qui sunt in facie, & cadunt iuncturæ membrorum, aliàs ungulę superiores, & ulceratur quod apparet de corpore, & in facie tota eminētia, id est, pustulę duræ, lapideę, & denigrat facies uniuersaliter, & fœdatur color corporis totius, & debilitatur uox, quare auditur occulta. Et quoniam humor melancholicus egressus à natura, diuiditur in duas diuisiones, quarum una est illa, quę fit ab adustione choleræ citrinæ, altera illa, quę fit ex adustione humoris melancholici ipsius, tūc est lepra facta à cholera nigra difficilior & deterior, plurisq; morę, & uehementius adurens corpus, & plus ulcerans quod est in eo quod apparet de corpore. Et est altera facta, ex adustione superfluitatum cholericarum, est leuior, & minoris maliciæ, & minus faciens accidere adustionem, & curatio eius est facilior, & illius est difficilior. Sed si hæc ægritudo est ex simplici cholera citrina, & facilioris sanationis, quoniam humor faciens eam est paucę crassitudinis, & facilioris obedientię attractioni cum medicinis solutiuis. Facta autem ex adustione cholerę nigræ est ecōtrario, quia humor generans eam, est pluris fœculentiæ & crassitudinis, & post laborem obedit euacuationi, aut non euacuatur penitus. Et omnes species lepræ absolutè, in inceptione suæ generationis suscipiunt curationem, quando autem confirmatur & figitur, non speratur ei curatio. Intentio prima in curatione leprę, est euacuatio humoris uincentis, & hoc in principio, & antequam induretur, & in duritiem lapidis transeat, obedit medicinis, quę attrahunt & euacuant ipsum, & resoluitur cum medicinis, quæ abstergunt. Cum ergo peruenit res ad crassitudinem terrestrem completam, non euacuatur omnino neq; resoluitur, & oportet ut fiat euacuatio in initio huius ægritudinis, cum extractione sanguinis multi in primis, si consentiunt uirtus, ætas, & alia. Et si nos phlebotomamus apud raucedinē uocis duas guidegi, confert multum, deinde post illud medicinas solutiuas, quę euacuant humorem melancholicum. Ex simplicibus sunt, epithymus, polypodium, myrobalani nigri, elleborus niger, lapis lazuli, stœchados, & quæ sunt illis similia. Ex compositis conferunt pilulæ, confectiones, decoctiones, quæ fiunt ex medicinis, quas diximus, & confectiones, quæ fiunt ex polypodio, chamępithyos. Quando ergo superfluitas faciens ægritudinem, declinat ad choleram, tunc conferunt etiam res, quę fiat cum pulpa colocynthidis, aloē, cucumere asinino, myrobalanis, & scammonea. Et post mundificatio-

*Signa lepræ confirmatæ.*

*Lepræ species curantur.*

Caro uiperarum. nem cum istis medicinis magni iuuamēti,ut cibētur carnibus uiperarum, & fumant in potu theriacā de uiperis,& cum reliquis medicinis,quas scripserūt primi.Ex illis,quę cōueniunt ad hanc ægritudinē,sunt trochisci de uiperis,quādo sumitur aur.1.cum uini antiqui unc.1.s.Similiter etiam faciunt trochisci scyllitici,& hęc est descriptio cōmunis in curatione lepræ.

### De speciebus herniæ,& sunt rupturæ accidentales in testiculis. Caput XVI.

Zirbi officiū. OPortet ut scias quod super uentrem sunt duo panniculi, quorum intrinsecus nominatur aretidis,& eius intētio est tegens uiscera, & est zirbus circundans uiscera.Et eius iuuamentū est,quia defendit uentrem,quando spissitudo eius non permittit caliditatē,quę est in eo dissolui,& propter unctuositatē,quę est in eo,addit eis caliditatē. Alter nominatur peritoneon, & eius intentio est, extensio super uentrem,& est siphac.Et iuuamentū eius est,quod occultat & tegit uiscera intrinseca,& est pāniculus qui est super eum,& lacerti defendentes ea,uelamen inter lacertos,qui sunt super uentrē,& inter intestina,ut non perueniant intestina ad loca uacua,quę sunt inter lacertos & uacuitates earum. Et premit uelamē, quod nominatur diaphragma communicans cum eo uentrem, donec descendit stercus ex eo uelociter,ut non aperiantur intestina,& uēter facile, ut ligentur cum eo,& occultentur,& tegantur reliqua uiscera intrinseca, quę sunt inferiora uelamine, propter illud extensus est super uentrem totum,& uiscera omnia.Et quando peruenit hoc uelamen uersus intestina,& duo emunctoria, procedunt ex eo duo foramina, sicut uia in duobus emunctorijs.Et descendunt uersus duos testiculos,deinde dilatantur,& expanduntur,& fit ex eis utrisq; res una,quę est sicut uas congregans duos testiculos.Et ista duo foramina,quando dilatantur propter humiditatem,quæ facit ea sudare,& humectat ea,& mollificat ipsa,aut propter saltū magnū, aut uocem fortem,aut motum aliquem, & propriè post repletionem cibi, & potus,descendit uelamen intrinsecū expansum super uentrē.Et fortasse descendūt cū eo intestina,ad cutē duorū testiculorū,& fit ex eo hernia.Et si istorum intestinorū descensus,est ad duo inguina tantū,& hoc fit ex paruitate illius foraminis,& nominatur ramex duorum inguinū. Et si foramen est magnū, donec egrediatᵣ ex intestinis pars magna, & perueniat ad cutē testiculorum,& nominatur ramex intestinorū.Si autē aggregatur in locis, ad quę perueniunt intestina,aquositas,nominatur ramex aquę. Et curatio ramicis

Peritoneon.

Diaphragma.

Herniæ causæ.

Ramicis curatio.

ramicis quādo est magna, & accidit in corporibus duris est, cum ferro, aut cum ligamento, quod stringitur super duo inguina. Et propter illud de cōsuetudine, est illud medicamentū cum ferro, quando uolunt cauterizare illum, qui habet ramicem, ut eleuent intestina ad superiora, deinde cauterizāt inguen læsum, donec cōplicatur amplitudo foraminis per ulcus, quod fit ex cauterio. Et ramex intestinorū si est magnū, tunc quando ipsi eleuant intestina sursum, tunc faciunt stricturā super duos testiculos stare strictam, ut non descendāt intestina sua iterū, & dimittant eam cum dispositione sua post cauterium, usquequo sanetur ulcus factū à cauterio. Et si est parua, & accidit in corporibus humidis, lenibus, curatur cum medicinis stypticis de proprietate, quarū est ut aggregent, & coartent, & confortent, & constringant mollificationem & foramen, sicut sunt nux cupressi, & folia eius, Quia utraq; exiccant, & fortia faciunt corpora, quæ mollificantur ex humiditate, & acatia, succus barbæ hircinæ, cortices granatorum, & capita eorum, aloës, mirrha, sarcocolla, mastix, cortices thuris, gallæ immaturæ, sumach, præparamentorū corij, & est abreidedi, balaustiæ, semacoton, myrtus, rosa, alumen, gummi, curth, tarathit, & quę sunt illis similia. Et misceantur cum eis medicinę, quę resoluunt uentositates, & fugiant eas, & lenimus duritiem & resoluunt eam, & sedant apostemata, si accidant, sicut sunt sauina, cyminum, pix, alcanna, alcalimbath, id est, terebinthina, ratenici, id est, colophonia, bdellium, cera, & quæ sunt illis similia. In ramice uerò aquosa, sunt ex hominibus, qui perforant locum & extrahunt aquam cum medicinis acutis, quæ corrodunt & faciunt accidere in loco ulcerationem, deinde consolidant & stringunt locum, & medicantur illud uas, in quo est aqua aggregata, ita ut non redeat, & aggregetur in eo iterum. Deinde præparantur ad curationem læsi loci, cum eis, quę consolidant & sigillant. Et ex eis sunt, qui incidunt partem panniculi, qui comprehendit testiculos, donec non aggregetur in eo aqua iterum, imò resoluitur cum aëre.

*Emplastrum ad intestina, quando descendunt ad inguina.*

Recipe ammoniaci, thuris, aloës añ. drach. 3. bdellij, drach. 2. acatiæ, sarcocollæ añ. drach. 1. Terātur in mortario & infundantur in aceto à uesperis, deinde mortificentur mane, & teratur multum, deinde teratur sauina, & proijciatur desuper, & misceatur totum, & submergatur frustum coti, & ponatur super locum, & stringatur stricte.

*Aliud emplastrum.*

R Ecipe mastiches, thuris, glutinis carpentariorum, sarcocollæ, aloës, bdellij, licij, acatię, memithę, balaustię, sang. draconis añ. drach. 1. Teratur totum, & conficiatur cum aqua solani, & superponatur.

*Aliud.*

R Ecipe acatię, nucis cupressi, aloës, corticum granatorum omnium æqualiter. Teratur & conficiatur cum aqua gummi, emplastretur & stringatur.

*Aliud ad ramicem.*

T Eratur bdellium, & resoluatur cum aceto forti, aut cum uino & ponatur super locum.

*Aliud.*

T Erantur azaharur siccę, & resoluantur cum aqua glutinis piscium, & liniatur super locum.

*Aliud.*

R Ecipe gallarum, croci partem 1. corium calciamenti adustũ, uitellos duorum ouorum, misceatur totum, & fiat emplastrum cum eo.

*De eruptione sanguinis ex uenis & arterijs. Cap.* XVII.

S Anguinis eruptio si est ex uenis, administramus in curatione eius unam medicinarum, quæ abscindit sanguinem. Et earum meliores sunt illę, quæ adhærent & anne ctuntur, & componũtur ex gummis decoctis, sunt ratenici decoctum, & puluis farinæ tritici, amylum, gipsum, & quę sunt illis similia. Quod si eruptio sanguinis est ex arterijs, tunc non est res magis iuuatiua, quàm hoc medicamen, & est ut misceatur pars thuris, & medietas partis aloës. Cum ergo uocat necessitas, aggrega ea cum albumine oui, donec fiat ut substantia mellis, deinde submerge ex pilis leporis leniores, & pone supra fissuram, à qua egreditur sanguis, & stringatur exterius cum ligamẽto ex pãno lini, deinde soluatur post tres dies. Si ergo uides medicinã annexam ulceri cõtinentem ipsum, pone in circuitu eius ex medicina iterum, & carmina pilos leporis, & itera super ipsum ligamentũ. Cum ergo cadit medicina per se ex ulcere, tũc prẹme locũ digitis tuis, donec non currat ex eo aliquid, & itera super illud medicinã uice alia, & non cesses facere illud, donec nascatur caro in circuitu ulceris. Et quidem tibi inest, ut mediceris cum hoc medicamine secundum modos diuersos, fortasse enim sicut dixi tibi, est quando commiscentur cum parte una aloës,

thuris partibus 2. & fortasse miscentur cum æqualitate, & fortasse miscentur cum farina thuris loco thuris. Veruntamen farina thuris stypticitatem facit plusquã thus ipsum, & thus est uehementioris adhęrentię & annexionis. Oportet ergo ut administretur in corporibus duris ex aloë plus, & in corporibus lenibus plus ex thure, quoniam una duarũ medicinarum est uehementioris stypticitatis, & altera uehementioris adhęrentię. Et oportet ut eligas ex thure, quod est uehemẽtioris uiscositatis simile ratenici, & fac illud quando uis, ut medicamen sit uehementioris adhęrentię. Et non prolongaui sermonem in hoc, nisi quia scio quod non est in reliquis medicaminibus, quæ conferunt in hac ægritudine medicamen magis iuuatiuum eo. Et confert eruptioni sanguinis ex uenis & arterijs hoc medicamen: Recipe colcothar, telę araneæ, zegi, alesechisati, omnium æqualiter. Terantur & aggregentur & superponantur.

## De cane rabioso. Caput XVIII.

CAnes incurrunt rabiem secundũ plurimũ in calore uehementi, sicut dixit Lucas, & etiam in frigore uehemẽti multo continuo. Et quoniã rabiosi fiunt, prohibẽtur ab eis quę comedũtur & bibunt, & sitiũt & nõ bibunt, & rauce latrant secundũ plurimũ, & mouent caudas suas, macrescũt, & deponũt caudas suas inter coxas suas, & emittũt spumã multam, quę similatur spumæ allij, & non est ei uox penitus, & sunt quasi infirmi, donec ipsi fortasse non cognoscunt suos dominos, & mordent, præter quod latrant, & suspenduntur cum omni cui occurrunt ex animalibus & hominibus, & mordent, & non apparet in morsu nocumentũ, nisi dolor qui est in loco morsus. Et in fine accidit ægritudo, quæ nominatur timor aquæ, & est illa quę accidit cum spasmo, & rubedine corporis, & propriè faciei, & sequuntur illud permixtio, alienatio, sudor multus, & terrebitur ab aqua quando uidet eam, & quando appropinquat ei. Et ex infirmis est qui terretur ab omni re humida, & ex eis est qui latrat sicut canis, & mordet homines. Cum ergo mordet hominem, est causa huiusmodi ægritudinis. Et causa in illo est, quod uenenum, quod effunditur in morsu canis rabiosi, profluit in membra totius corporis. De timore autem eorum existimant quidam, quod causa eius est illud, quod aduenit eis ex siccitate intemperata, donec quasi iã euacuata est ab eis substãtia humiditatis ex toto. Ruphus quidem dixit, quod hęc ægritudo est una ex speciebus melancholię, quoniam uenenum ipsum assimilatur humori melancholico. Et hæc causa est

propinqua ei, quod dicunt quidam, quod formatur eis forma canis, qui momordit eos in aqua, quare terrentur ex ea. Et ego non cognosco aliquem cecidisse in hāc ægritudinē, & euasisse ex ea, antequā cōfirmatur uerò ægritudo & figatur, uidi multos ex illis, quos momorderunt canes rabiosi, euasisse. Et propter illud necesse est nobis, ex hora nostra adhibere curationē cum eo, quod sanat. Veruntamen fortasse ęstimant multi, antequā cōfirmetur ęgritudo timoris ex aqua, quod morsus nō est canis rabiosi, quia de consuetudine illius est secundū plurimū, ut accidat plus post 40. dies, & in quibusdam post 6. menses. Et propterea putant quidam medicorum, quod canis qui momordit eos non fuit rabiosus, & student in curatione eorum cum eis, quæ consolidant uulnus, quare fuit causa ægritudinis confirmata ex eo, cum quo sequitur error à principio ægritudinis. Et scitur an morsus sit canis rabiosi, aut alterius, ex experientia illius per hoc, ut teratur nux bona, & regalis multum, & ponas ipsam super uulnus statim, deinde accipe eam & proijce ipsam gallinæ, aut gallo, si non incipit comedere eam, tunc quando pacietur famem necessariò comedet. Si ergo canis qui momordit non fuit rabiosus, uiuet gallina, si uerò fuit rabiosus, morietur post paululum, & secundum plurimum in die secundo. Tunc ergo oportet ut properemus in aperiendo uulnus, deinde post paululum, administra hanc experientiam. Quando ergo non moritur gallina, tunc oportet ut administres illud, quod consolidat, quoniam tu es securus à timore, qui aduenit in fine infirmo, nam cum hac experientia confisus fuit Auritianesius. Et quando certi sumus, quod canis, qui momordit fuit rabiosus, dilatamus uulnus cum medicinis exiccatiuis, & medicinis, quæ attrahunt & egredi faciunt uenenum, sicut cepæ, aut allium, sinapi, nasturtium, galbanum, eruca, ruta, aut aniuden cum sale, aut auellanę, cum cepæ, & magis iuuatiuum est hoc medicamen, factum cum opopanaco:

*Canis rabiosi morsus.*

*Medicinæ uenenum attrahentia.*

Recipe opopanaci uncias tres, picis librā unā, aceti librā unam & semis, & misceatur totum, & administretur. Et detur in potu ex medicinis simplicibus, litium, absynthium, gummi, alaniuden, scordeon, chamædreos, polium. Ex medicinis compositis, hoc bonum medicamen:

Recipe cancrorum fluuialium combustorum super sexir, uitis albæ partes decem, radicis gentianæ combustę partes quinq;, thuris partem unam. Terantur & cribellentur, & detur ex eo cochlear unum cum uini puri antiqui uncias tribus, faciat illud per quadraginta dies. Illis autem qui non bi

bunt

bunt medicinam, primo die quo consequitur eos morsus, oportet ut detur duplum potionis, aut triplum, aut sumant in potu ex ea bis omni die. Et iuuantur etiam, ex theriaca uiperarum, iuuamento magno. Vtantur etiam cum hoc regimine, quod sedat & frangit ex uirtute ueneni, & extinguit etiam, quod prohibet ipsum submergi ad profundum corporis. Et ex proprietate uini antiqui, dulcis, forti, puri, & potus lactis, ut faciant istas duas proprietates. Et secundum hanc formam etiam est commestio cepæ, allij, & porri. Si autem aduenit eis timor aquæ, qui est causa perditionis, tunc ingenia in hoc, ut facias eos potare aquam, secundum hunc modum:

Sumatur mel mundum, & decoquatur donec coaguletur, & fiant ex eo trochisci subtiles, & imple eos aqua, cooperiantur cum melle coagulato etiam, & proijciuntur in os infirmi, aut fundatur aqua in uas figuli, aut plūbi, cui sit cannula longa, & intromitte eam in os eius, usque ad radicem linguę eius, & coge eum bibere eam.

### *De punctura uesparum & apum.* Cap. XIX.

IN istis quos pungunt apes, sequūtur uehemens dolor, rubedo, & apostematio ipsius, eleuatio partium, quæ sunt in circuitu puncturæ, & remanet aculeus apis in punctura. Et illos quos pungunt uespæ, sequūtur huiusmodi accidentia, & sunt uehementia, continua, sed aculeus non remanet in loco puncturę. Et confert eis utrisq; linimentum luti partis confecti cum aceto, & stercus uaccinū confectum cum aceto, est enim in eo uirtus exiccatiua, & attractiua, & ex folijs albederagi tritis, confectis cum aceto, quando emplastratur locus cum eis, & ex maluis, aut ex atuhalib confectis cum farina hordei. Confert etiam uiriditas, quæ est in cisternis, & aqua quando conficitur cum aceto, & linitur, aut tera alcori, & est furnus in quo decoquuntur, quando teritur & conficitur cum aceto, & linitur super puncturam, aut folia sesami, aut sesamum ipsum, quando teruntur, conferunt natura sua. Et faciunt simile illius natura, capita muscarum, quando abscinduntur & fricatur cum eis locus.

*Vaccinum stercus.*

*Alcori.*

### *De punctione scorpionum.* Cap. XX.

ACcidit illis quos pungunt scorpiones, ut induretur locus statim & apostemetur, & rubeat, & extendatur cum dolore difficili, & sentiunt quandoq; inflammationem, quandoq; frigiditatem. Et quandoque accidit dolor subito, & fortasse minuitur, & fortasse extenditur, & sequitur ipsum sudor. Et sentit punctus horripilationem, & tremorem, &

frigus extremitatum, eminentiam inguinum, extensionem membri uirilis. Propter illud ergo oportet, ut properet infirmus ad sumendū in potu confectiones calefacientes, sicut est theriaca de uiperis, & theriaca diatesserō, sagzenea, & cōfectio de asa. Et ex eis quę conferunt iuuamētum magnum, est confectio propria.

*Confectio ad puncturam scorpionum.*

RECipe castorei, corticum radicum capparis, ramid, pyrethri, aristolochię longę an̄. partem 1. Teratur & cribelletur, & conficiatur cum melle despumato, & dentur drah. 2. cum uino antiquo.

*Alia confectio.*

RECipe pyrethri, aristol. long. partē unam. Terātur & cribellentur, & cōficiantur cum melle despumato, & dent̄ drach. 2. cū uino antiquo.

*Alia confectio.*

RECipe pyrethri, aristol. long. an̄. drach. 4. piperis albi drach. 2. aniuden, altith an̄. drach. 1. Teratur & conficiatur cum melle, & detur ex ea pondus quantū est lupinus, cum aqua rutę, bonum expertū. Quod si medicinę istę presentes non sunt, dentur 7. auellanæ, quod Arabes bandochat uocāt, quas permisce cum ruta sicca contrita, & ficubus, aut allio cum uino. Et oportet ut fiat embrocha super locum cum aqua, in qua decocta sunt furfur, andagora, & liniatur post illud cum linimento ex castoreo & allio contritis, & cōfectis cum oleo antiquo, aut altith infusa cum saliua hominis, aut sulphure aggregato cum helkalimbat, aut bezard. Et ex eis quę cōferunt iuuamentū magnū, sicut dixit Paulus, est argentū quando ponit̄ statim super locū punctū. Confert etiam ligamentū strictum, quod ligatur super locū, donec non ambulet uenenū in corpus totū. Et confert sudor corporis multus, & balneatio cū aqua cal. & potus uini multi, puri, & antiqui.

*De morsu uiperarum masculinarum & fœmininarum.* Cap. XXI.

IN illis quos mordent uiperę, & quę eis sunt similia ex reptilibus habentibus uenenū, sequitur dolor in primis in ipso loco morsus, deinde perambulat dolor in corpore toto. Et apparent in loco duo foramina propinqua, ex quibus currit sanguis, & humiditas uirulenta oleaginea. Et hoc sicut dicitur, est deterius uenenū reptilium, sequitur illud etiam excitatio, quę accidit in loco puncto, decliuis ad uiriditatē, reliqui corporis, & paruitas anhelitus. Et fortasse accidit quibusdā uomitus cholericus, & difficultas urinæ, & in ipso loco fiunt uesicæ, sicut accidit ex adustione ignis. Et speratur ut sanentur, & euadant illi, quos mordent uiperę fœminę, absque difficultate

difficultate plusquā illi, quos mordēt masculi. Et ex illis morsibus, etiā sunt, quos regunt medici cum rebus cōuenientibus, & cibis iuuantibus secundū quod uidetur eis, & quod comparant ex uehementia. Et fortius iuuatiuum est in comestione allij, est enim curatio fortis ualde, & potus uini puri si tol lerat morsus, super hoc non indiget alijs curationibus. Comedant etiam porrum, & cepæ, & quidam cibantur de ranis decoctis, is fidabegi. Et plus iuuamenti quàm hoc, est theriaca de uiperis, quæ recens est ex ea propriè noua, & ex eis quæ conferunt etiam est hoc medicamen. *Allij cōmestio.*

*Medicamen Vrnemesuis conferens morsui uiperarum, iuuamentum mirabile.*

Recipe anisi, piperis añ. unc. 4. cassiæ ligneę, corticum aristolochię rotundæ, castorei añ. drach. 1. Teratur & conficiatur cum rob, & fiant formæ similes lupinis, & detur ex eo secundum quantitatem uirtutis.

*Aliud ex libro Lucæ.*

Recipe mirrhæ, castorei, aristolochiæ, arsenici rubei, piperis añ. drachmam unam, seminis anethi drachmam unam. Teratur & conficiatur cum careno, & detur ex eo secundum modum primum.

## *De curatione communi ad omnem morsum reptilium uenenosorum.* *Caput* XXII.

Qui mordetur aut pungitur ex reptilibus uenenum habentibus, oportet ut sugatur statim, & sit ille qui sugit eum ieiunus, qui nō dum sit cibatus, & colluat os in primis cum oleo rosarum, & uino. Post illud autem, si membro est possibile, ponatur super membrum uentosa, in qua sit flamma multa, & scarificentur loca propinqua puncturæ, & sugantur. Quia uenenum ipsum attrahitur, cum extractione sanguinis & uentositatis, flamma autem, ut inflammentur partes expansę, apertę, & adurantur. Et fortasse inciditur illud membrum punctum, si animal quod pun xit est malignū, pernitiosum, sicut dipsas, & est serpens qui non audit, & serpens cornutus, laboriosus, & uiperę similes istis, sicut narrat Galenus de uinitore, quē momordit uipera tantū, ubi dixit, qa cum morsus fuit, & inspexit uiperam, & cognouit eam, incidit digitū suum morsum statim cum falcastro, & euasit ex timore magno. Quod si incipit uenenū, & ꝓfluit in reliquū corpus, extrahemus sanguinē statim, & propriè si est illic repletio. Et detur post cibum, allium cum uino forti, puro, bibat ipsum parū, ut eleuentur ex ipso uapores, & caliditates hemogeneæ corporis, quibus calefaciat *Dipsas.*

corpus

*Emplastra calfacientia.* corpus. Deinde ponantur super locum post hæc, emplastra de proprietate, quorũ est ut calefaciant, & excorient, & ulcerent cutem, sicut cinis cauli um, aut cinis lignorum fici, mixtus cum aceto, aut mascunia, aut aqua cineris & calcis, & emplastret cum eo locus, aut muri, & cepæ cum sauich, aut calx, aut pix liquida mixta cum sal gẽma, aut cum kitran. Et cõfert etiam ut embrochet locus cũ aceto acetoso calido, in quo decoctũ est calamintha fluuialis, & ponant super locũ punctũ, galli, aut gallinæ habentes uentrem scissum, aut præter has duas species ex animalibus, ipse enim extrahunt ue nenũ, & sedant dolorẽ. Et administrẽtur etiam emplastra cõuenientia, sicut emplastrũ factũ ex sale, & spuma maris, & emplastrũ factũ ex cardamomo, & ex alladdurochi, & est spuma quæ generat in circuitu cannæ in mari, & ad summũ curat cum omni re calida forti. Et oportet ut sumat in potu, quẽ pupugit animal uenenosum, aut momordit, si nocumentũ non peruenit ad profundũ corporis, aquã ataruzacon, aut bdellium Indicum, aut turturem decoctam cum aceto, scyllæ aur. 2. cum uino, aut sanguine testudinis, aut castorei aur. 2. cum uino, aut baccis lauri, aut cancros fluuiales assatos, aut elixatos, aut theriacam de uiperis, aut hanc theriacam: Theriaca ad animalia habentia uenenum, & potum medicinarum perimentium, & morsicationis scorpionũ: Recipe burumię, & est alfezire, castorei, radicum lilij cœlestis, rad. meũ, zingiberis añ. drach. 4. aristoloch. drach. 5. thuris, rutæ syluestris añ. drach. 3. farinæ kesue drach. 2. Conficiantur cum aqua & fiant trocisci, & detur ex eo aur. s. cum uino. Confert etiam mũdificatio per sudorem, cum rebus quæ mouent ipsum.

*Venenum extrahentia.*

### *De phlegmone & almeßire, & igne persico, & uariolis.* *Caput* XXIII.

QVando effunditur ad aliquod membrũ sanguis multus, ita ut non capiant ipsum uasa eius, imò egreditur simul resudatio ad membra, quæ appropinquant ei, sequunt ipsum, accidit tũc subito apostema ex uehemẽtia repletiõis, & continuat cum hoc etiam extentio cutis totius. Et dolor in mẽbro cum percussione, & cõtrarietas tactui, scilicet, quãdo tangit homo illud apostema, expellit tangentẽ, & apparent febris & caliditas, & hoc quoniã cutis cõmunicat in eo, quo læduntur lacerti, qui sunt. Et hæc ægritudo non est nisi materia, quę generatur ex sanguine adusto, & fit propriè in corporibus carnosis plus. Et est ęgritudo alia quę generat, & fit ꝓpriè in cute, scilicet, extrinseca, quæ est cooperimentũ

commune

commune membrorum, & fit in uelamine comprehendente unumquodque membrorum, quę sunt in profundo, quod est subtile, sicut panniculus, & sicut illa ægritudo prima capit cum carne in aliqua parte cutis. Similiter hęc ægritudo secunda, accipit etiam cum cute in aliqua parte cutis, quę est sub ea, & nominatur hæc Messire, aut cum ulceratione, & nominatur ambulatiua, sicut herpes estiomenus. Cum ergo humor faciens ægritudinem, est uehementis crassitudinis, & acuitatis, tunc ipsa excoriat superficiem cutis extrinsecam, & post spacium eradicatur exulceratio ad interiora cutis, & submergitur, ægritudo autem prima nominatur phlegmon, scilicet, apostema calidum. Quando ergo materia non est cholerica, neque sanguinea, ponitur ægritudini nomen ex illo humore dominante in ea, donec fortasse nominamus apostema messire, & almessire apostema calidum. Quod si aliquis horum duorum humorum non uincit, tunc ægritudo nominatur nomine medio, inter almessire & apostema calidum, quoniam de proprietate almessire & phlegmonis, sunt cõbustio, & caliditas uehemens. Et differentia inter utraque est, quod color rubeus significat phlegmonem, & citrinitas messire, clarus & tersus almessire. Et percussio uel pulsatio adhęret apostemati calido magno, quoniam illud peruenit, uel consequitur usque ad profundum cordis, almessire uero secundum plurimum fit in cute, non in profundo, quoniam humor cholericus est subtilis substantię. Propter illud ergo currit cum facilitate usque ad cutem, & pertransit partes carnosas, & remanet fixus in cute. Et est ęgritudo alia, quę nominatur alhumbrati, aut uariola, aut ignis persicus, & eius generatio est ex humore crasso qui feruet, & accidit cum almessire secundũ plurimũ uesicatio. Et incipit fortasse absque uesicatiõe, & secundũ plurimũ uesicat, & qualitercunque sit, dispositio ipsa incipit cũ motu, & uesicatio continuat cum hoc. Et quãdo istę uesicę rũpuntur, remanet locus parũ ulceratus, & non accidit in mẽbro, quãdo rarificat uehemẽti frictione uesicatio tantũ, imo uesicę multę paruę, sicut miliũ adustũ, annexę mẽbro. Et quãdo abrũpuntur istę iterũ, sequunt eas ulcera, quę sunt escare, & ipsi fortasse, sunt cinericię, & fortasse nigrę. Et est in carne cõtinente ulcus, in omni cui accidit hęc ęgritudo, inflãmatio uehemẽs, & nõ est color eius similis almessire, imo secundũ plurimũ est color eius color similis phlegmone, sed est decliuis ad nigredinẽ ualde, sicut cũ miscetur cũ re multę rubedinis, uel nigredinis paruę, similiter fit color eius. Et causa ꝓpter q̃ fit color eius ita, est sanguis niger, crassus, acutus. Verũtamẽ ignis persicus

Meßire.

Escare.

Ignis persicus. persicus est, qui facit accidere in carne pustulas cum uelocitate. Et ille qui fit in uelamine & neruis, moratur spacio temporis lōgo, donec sint phlegmone & messire permixta, & corrumpātur loca, quæ sunt cum læsione. Et in multis hominibus, conuertitur res ad collectionem saniei, & in eis sunt in quibus sequuntur febres.

*Curatio phlegmones.*

PHlegmones secundum plurimū accidit ex causa primitiua, aut ex causa antecedente, nam de consuetudine nostra est, ut nominemus primitiuam causam extrinsecus, sicut est percussio lapidis. Si ergo hæc ægritudo est ex causa primitiua, sicut casus lapidis, aut percussio lanceę, aut res alia ex eis, quæ sunt illis similia, & non est in corpore repletio, incipimus cum euacuatione humoris contenti in eo, cum medicinis mollificatiuis, resolutiuis. Si autem est in corpore repletio, incipimus euacuare ipsam, & si est ex causa antecedente, scilicet, ex materia quæ currit ad membrū ex repletione contenta in corpore, tunc non oportet ut incipiamus cum medicinis mollificatiuis, resolutiuis, quoniam attrahunt ad mēbrum, superfluitatem magnam, plus quàm illud, quod resoluitur ex eo, neq; cum illis, quæ refrenant, & prohibent, & exiccant etiam, ut non faciamus redire superfluitatē ad membra principalia, sed incipiamus cum extractione sanguinis. Deinde ponamus super membrū post illud, medicinas de proprietate, quarum est ut refrenent, & exiccent, & reducant ipsum ad æqualitatem, donec prohibeatur cum refrenatione sua materiam currere, & cum exiccatione sua finire, quod aggregatum est in membro, & cum æqualitate quam faciunt extinguere caliditatem, & confortare ipsum membrum, donec sit ei possibile mundificare illud, quod aggregatū est in ipso, & prohibere quod currit ad ipsum, sicut est emplastrū quod fit ex semperuiuo, & corticibus granatorum, sumach, farina sauich hordei, quæ decocta est decoctione ultima, cum uino, aut aceto permixto. Cum uino quidem, tunc quādo indigemus confortatione membri plus, cum aceto, quando uolumus extinctionē plus. Quod si grauedinem faciunt emplastra super membrum, & nocent ei, facimus ei linimentum, sicut cum medicinis, cum quibus est hæc eadem uirtus, sicut sunt acatia, & sief memithe, santali rubei, sausel tritum, confectum cum aqua solani, & aqua uirgæ pastoris. Et quoniam huic ægritudini sunt principium, augmentum, status, & declinatio, sicut reliquis ęgritudinibus, oportet ut incipiamus administrare medicinas facientes stypticitatem, quas

tem, quas

tem, quas diximus. Et in declinatiõe, quando alleuiatur caliditas, & resoluitur illud, quod est in apostemate ex subtili, & remanet res crassa, curamus ipsum tunc cum medicinis resolutiuis. Sed in duabus horis medijs, scilicet, in augmento & statu, oportet ut administremus medicinas compositas ex duabus simul, scilicet, ex stypticis & resolutiuis. Veruntamen nos in principio & augmẽto, multiplicamus ex medicinis facientibus stypticitatem, & in declinatione & statu, ex resolutiuis plus, secundum hanc intentionem, & hæc est curatio phlegmonis.

*Curatio Almeßire.*

SI almessire etiam est ex causa primitiua, indiget in principio medicinis, quæ mollificant & euacuant, sicut est emplastrum factum ex farina hordei. Et si est ex causa antecedente, tũc oportet ut euacuetur corpus cum medicamine soluente choleram citrinam, & si indiget phlebotomia, præmittimus illam, & non tardemus ipsam. Deinde infrigidemus membrum infirmum, quoniam humor faciens ægritudinem, fortasse non nocet cum quantitate sua tantum, imò cum caliditate sua etiam, quoniam accidit in eo inflãmatio uehemens, quare indiget tunc extinctione plus, quàm indiget ea in phlegmone, & oportet ut ponatur terminus in infrigidatione eius, mutatione coloris eius. Medicinę uerò q̃bus oportet ut infrigidetur sunt, solanũ, arnoglossum, portulaca, semperuiuũ, psylliũ, & bengi, lactuca, rasura cucurbitæ, althahalub, & ceratũ factũ cum aqua uehemẽtis frig. & quę sunt illis similia, sicut opiũ, mãdragora, poma mãdragorę, hyoscyamũ. Et fiat ceratũ ex cera alba, & oleo rosarũ, & modus eius est: Recipe olei rosarũ triplũ, ceræ aũt quadruplum, & sit oleum ex oleo omphacino expresso absq; sale, & fundatur super ipsum aqua frigida paulatim, una uice post aliã, per quantitatem qua possibile est, ut recipiat eam, donec rectificetur, & si misceatur cum ea parum aceti, rectificatur ceratum. Cum ergo sedatur inflammatio membri, tunc pone super ipsum, antequàm uiride fiat emplastrum, & farina hordei, ipsum enim est medicamentum magni iuuamenti ad almessire. Et in hac hora secundũ quod quidam dixerũt, quod ipsi experti sunt ipsum emplastrũ ex farina hordei cum coriandro, est medicamen mirabile ad almessire. Et alij inceperunt cum eo, & fuit causa nocumenti magni accidentis super infirmum. Et dico sermonem uniuersalem, quia oportet ut ponantur super membrum medicinæ conuenientes, ad expellendum illud, quod currit, sicut res infrigidantes & resoluantur illud, quid aggregatũ est, cum

*Medicinę infrigidantes.*

rebus quæ calefaciunt & humectant, cum æqualitate antequã uiride fiat, aut denigretur membrũ. Et oportet ut conserues linimẽtum humidũ semper, & mutes ipsum mutatione continua, uice una post aliam, & abluatur in primis membrum, quia multitudo inflãmationis membri uehementis, propter illud quod eleuat ex uaporibus, cum uelocitate & cõtinuatione exiccat linimentum. Et sicut almessire permiscetur cum phlegmone multotiẽs, similiter permiscetur cum eo aterehul, & nominatur quod cõmiscetur ex istis duobus almessire almuthareul. Et similiter etiam quando induratur & infrigidat, & difficilis fit eius resolutio, nominat messire melancholicũ. Et sicut omnes ægritudines cõpositæ indigẽt curationibus cõpositis, similiter fiat in hac ægritudine. Et incipe propriẽ cũ eo, quod resistit ægritudini uincenti difficiliori ex eis. Et non oportet ut dimittas uel negligas illud, quod facit in illo commixto cum eo. Hæc est uia curationis almessire.

*Curatio Variolarum.*

INtẽtio in curatione uariolarum, in primis est euacuatio illius sanguinis crassi melancholici, a quo generatur. Et post illud oportet ut administretur curatio composita, quoniam inflammatio quæ accidit in membro, indiget medicinis infrigidantibus & extinguẽtibus. Et propter crassitudinẽ humoris, & maliciam suæ dispositionis, secundũ quam est, non oportet ut fiat illud, ut non infrigidetur materia, & noceat membris, quæ sunt in interioribus corporis. Et non oportet etiam ut dimittas ea currere, imò oportet ut ingeniemus in medicinis de proprietate, quarum est ut resoluant cum pauca resolutione, sicut emplastrũ quod fit ex arnoglosso, & lentibus decoctis, quando miscetur cum eo aliquid ex pane furni. Et oportet ut sit panis non mundus, multi furfuris, quia mundi substantia crassior est. Et oportet ut ponatur super ulcus ipsum, aliquid ex medicinis fortibus, sicut medicamẽ pertinens ad andoron, aut medicamen pertinens ad sison, quãdo soluis utrunq; cum aliquo potuum dulcium, sicut rob. Et cõfert etiam sieff memithe cum aceto, aut arnoglosso solo, aut solanum.

*De tumore & inflammatione, & apostematibus lapidosis,*
*Caput* XXIIII.

QVando superfluitas quę effunditur ad membrũ est phlegmatica, accidit apostema molle, & nominatur Vdimia. Et quãdo humor qui currit ad membrũ læsum, est ultimus in crassitudine & siccitate, accidit apostema lapideum, & nominatur scleros. Quod si aggregatur uentositas inflatiua stans, scilicet, habens æstuationẽ in hora

motus sub cute, aut sub pāniculis continentibus ossa, aut sub panniculis continentibus lacertos, nominatur illud apostema tunc inflatio. Et fortasse aggregantur uentositates multæ, multotiens in uentre & intestinis, & inter intestina & uelamen nominatum peritoneon, & est extensum illud, quod est super uentrem. Et differentia inter hanc inflationem, & inter apostema molle est, quia non descendit sub digitis, quādo premitur super ipsum, neque remanent uestigia eorum in ipso, & est ei uox, sicut uox tympani, & fortasse sentitur etiam quasi uentositas retenta in raritate concauitatis, quæ sentit, & hæc raritas fortasse est multa ualde.

## Curatio Vdimiæ.

EST autem Vdimia apostema molle, cum quo non est dolor. Cura eius est secundum modum quem narro, quia si ex uentositate crassa uaporosa, sicut illud quod accidit in pedibus hydropicorum, & eius qui habet phthisim, aut in malicia formæ uehemēti, id est, cachexia, non indiget multa curatione, quoniam mollities est accidens sequens ægritudinem, quę fit in corpore. Si ergo consequitur eam studium, tunc resolutio eius fit facilis cum inunctione, ex aceto cōmixto cum oleo aliquo tantum, aut aliquantulo salis. Quod si est ex humore phlegmatico currente ad membrum, incipiemus in curatione eius cum medicinis de proprietate, quarū est ut coartent & resoluant simul. Quapropter fit antecessio in primis cum uaporatione cum spongia noua submersa in aceto permixto, quia spongiæ nouæ est uirtus resoluēdi, quam acquisiuit ex aqua maris qua resoluit. Propter illud ergo si non habetur ex ea aliquid nouum, oportet ut abluatur cum nitro & aqua cineris, donec acquirat uirtutem spongiæ nouæ, & submergatur in aceto, quoniam aggregat & coartat. Et oportet si est apostema in principio, & corpus est humidum, ut sit acetum forte in complexione sua. Et si iam est administratum hoc, & non iuuat, & corpus est durum, tunc oportet ut sit propinquum puro. Et si istæ dispositiones sunt mediæ, tunc oportet ut acetum sit temperatum, sicut res, quæ possibilis est homini bibere. Si autem ægritudo est chronica, administra illud de proprietate, cuius est ut incidat & resoluat tantum, scilicet, cum oleis resoluentibus, & cum uaporatione, & pone spōgiam infusam aqua cineris. Et si est atherehil in manu, aut pede, pone desuper spongiam, & alteram subtus, & sit illa quæ est subtus, stricta, uehementer, & quę est superius, molliter, donec non recipiat mem

*Spongiæ uirtus.*

brum ipſum aliquid ex materia illa diſtemperatum.

*Curatio inflationis.*

IN curatione autem inflationis, quæ accidit ex uentoſitatibus, oportet ut ſit intentio tua communis euacuatio eius, quod eſt egreſſum à natura ex eo, quod eſt retentũ, in quocunq; membro fuerit. Et ſit intentio tua propriè, ut euacues illud cum medicinis ſubtilium partium, & quæ ſunt ſubtilioris caliditatis. Et quando remanet inflatio in uẽtre, & in uiſceribus, tunc curatio eius ſit cum oleo ſubtili in partibus ſuis, ex eo in quo decocta eſt ruta, aut quædã ſemina calefacientia, ſicut cyminum, & petroſelinum, & fortaſſe ponitur ſuper umbilicum uentoſa magna cum flamma multa abſque ſcarificatione. Et ſi eſt inflatio in iuncturis, aut in lacertis, qui ſunt ſub cute, aut uno panniculorum continentium oſſa, & non eſt cum ea dolor, tunc cura ipſam cum aliqua humiditatum ſubtilium cum menſura, ſicut eſt aqua cineris, quæ nominatur ſatacata. Quod ſi eſt cum ea dolor, tunc oportet ut inungatur cum oleo, quod mollificat ipſam, deinde adminiſtra in fine emplaſtra lenientia, & ceratum factum cum hyſſopo ſicca. Et oportet ut liquefiat cera, & oleum anethinum, deinde pulueri zetur ſuper illud hyſſopus ſicca, poſtquàm teritur & cribellatur cum orali, & adminiſtretur.

*Curatio ſcleri, & eſt apoſtema melancholicum.*

APoſtematis melancholici ſunt duæ ſpecies, quia dolor eius, aut ſentitur cum difficultate, aut non ſentitur. Illius uerò, qui non ſentitur, non eſt curatio, & cuius difficilis eſt ſenſus, eſt ex eis quę curantur, ſed cum difficultate & grauitatate uehementi, quia humor qui generat hanc ægritudinem, aut eſt uiſcoſus, aut craſſus, aut ſunt in eo ambæ proprietates ſimul, & propter illud eius curatio eſt cum medicinis lenientibus. Et oportet ut ſint calidæ in ordine ſecundo, aut tertio, quia illæ, quæ ſunt uehementis caliditatis, reſoluunt uelociter illud, quod eſt ſubtilius reſolutione ſubtili & ueloci. Illud autem quod eſt craſſum adurunt, & in duritiem lapidis uertunt, donec nullo penitus reſoluũtur ingenio. Et oportet ut ſiccitas earum ſit in gradu primo, quia ipſæ ſunt humidę non reſoluunt. Et ſi ſunt uehementis ſiccitatis adurunt illud, quod eſt craſſæ materiei, & ponũt ipſum inreſolubile, & cum hoc etiã oportet, ut ſit in eis aliquid ex eo quod adhæret, & ex eo quod coartat, ſicut illud quod cõgregat ſaniem, donec non reſoluit̃ apoſtema reſolutione multa, aut exiccat̃, & indurat̃, & oportet ut ſit

uiſcoſitas

uiſcoſitas,quæ coartat minus illa,quæ aggregat ſaniem,quoniam oportet ut euacuet. Et medicinę quę ſunt ſecundum hunc modum, ſunt duûm generum,quia ex eis ſunt leniores, craſſiores & humidiores, ſicut medullæ humidæ non ſalitæ. Et earum melior eſt medulla cerui,quia eſt ſubtilior earũ, & poſtea medulla uitellorũ,quoniam ſequitur eam in ſubtilitate. Et adipes recentes non ſalitę, ſunt huius generis etiam,& etiam ex iſtis adipibus ſunt adipes auium, & melior eſt ex adipibus auium,adeps hircorum, quoniam eſt pluris ſiccitatis,& acuitatis,ſimiliter adeps anatis, quoniã eſt ualde ſubtilis non acutus, & poſt ipſum adeps gallinæ, quoniam eſt uehementioris ſiccitatis,quàm adeps anatis. Et melior adipum quadrupedum eſt adeps leonis, quoniam eſt ſubtilior eorum, & poſt ipſum adeps urſi, & adeps aſini ſylueſtris, ueruntamen eſt minoris ſubtilitatis, & poſt ipſum adeps uaccarum,ſed tamen eſt uehementioris ſiccitatis,& eſt craſſus terreſtris, ſiccior & acutior,hoc eſt,adeps caprarum. Et ex medicinis ſunt,ſicut ammoniacum,bdellij duæ ſpecies ſimul,& propriè bdellium uarium, quod eſt humidius. Et ex eis quæ currunt hoc curſu, eſt ſtyrax liquida. Et iſtæ medicinæ quando ſunt nouæ,recẽtes,ſunt meliores,& oleum antiquum. Et quoniam ex membris,in quibus ſit hæc ægritudo,ſunt quædam, quę ſunt pluris reſolutionis natura. Et ex eis quæ ſunt uehementioris ſpiſſitudinis,tunc indigemus neceſſariò in euacuatione eorum,etiam ſpeciebus alijs medicinarum. Et propter illud dixit Galenus: Cum ego medicatus fui ligamenta & chordas,in quibus eſt apoſtema durum melancholicum,uidi quod melius eſt,ut miſceatur cum medicinis lenificantibus,aliquid ex medicinis incidentibus, & acutior illarum medicinarum,& fortior eſt acetum. Et propter illud utimur eo multotiens,in curatione membrorum, in quibus accidit apoſtema melancholicum,ſicut narrabo tibi poſt paululum in curatione chordarum & ligamentorum. Vtere ergo ipſo ſecundum hunc modum: Ignito lapidem in igne,& extingue ipſum cum aceto,& ſit lapis ſi poſſibile eſt ille, qui nominatur marchaſita,ipſe enim eſt melior, quod ſi iſte non inuenitur, tũc ſit lapis molaris. Et poſtquàm roratur ſuper ipſum acetum, quando ex eo eleuantur uapores calidi,tunc moue chordam eius, aut ipſius ligamentum, in quo eſt apoſtema durum ſuper illos uapores, donec reſoluantur ſuperfluitates. Et poſt hoc emplaſtretur cum medicamine leniente,& oportet ut effundatſ ſuper ipſum in principio ſuæ curatiõis,& uſq; ad finem eius embrocha cum oleo aliquo & non cum aqua. Et oportet ut ſit in hoc oleo

uirtus faciens ſtypticitatē penitus, imò ſit ſicut oleum de ſquinanto. Et fortaſſe decoquimus oleum in hora cum rad. althææ, & in hora cum rad. ſiccidis, & oleum anethum eſt etiam magni iuuamenti. Et ſimiliter aliud ex eis, quibus hæc uirtus eſt ex oleis. Cum ergo incipis liniri apoſtema durū cum æqualitate, tunc oportet ut reſoluatur cum aceto forti, ammoniacum pingue, & liniatur ſuper membrum diebus multis. Et curatio cum aceto etiam conueniens eſt, poſtquā prolongatur ægritudo. In principio autem eius, curetur membrum in primis cum medicinis lenientibus, quas diximus ante. Si ergo homo utatur aceto cum æqualitate, & in hora in qua oportet, confert in hac ægritudine, quoniam incidit & reſoluit humores craſſos, uiſcoſos. Cum ergo pertrāſis menſurā in adminiſtratione eius ab ęqualitate, aut non in hora ſua, tunc ipſum quando reſoluit ex humoribus, quod eſt ex eis ſubtile, dimittit illud quod remanet, donec induratur, ut lapis. Et ſi utaṫ eo homo ſpacio tēporis, tunc ipſum nocet ſubſtantię neruorū, quapropter non oportet, ut ſit multiplicatio adminiſtrationis medicinarū ſiccarū cum aceto, in curatiōe chordarū & neruorū, neq; cum eo curetur in principio, neq; tēpore lōgo. In curatione aūt ſplenis, aut in partibus lacertorū carnoſorū, quando eſt in eis apoſtema melanch. adminiſtramus iſtas medicinas non timentes ex eis aliquid, quia ſunt rarę in natura ſua, neq; timetur ut corrumpatur aliquid ex neruis per uirtutem aceti. Hæc ergo in apoſtemate melancholico ſufficiant.

*Acetum.*

### *De cancris.* *Caput* XXV.

HVmor melancholicus quando peruenit ad aliquod membrū, tunc ſi eſt paucus in quantitate ſua, & non eſt acutus, accidit apoſtema quod nominaṫ ſcleros. Quod ſi in ipſo eſt multitudo acuitatis, & eſt in membro aliquo mollis, uel pluris carnis, & glandularū multarū, ſicut ſunt māmillæ, accidit cancer, quoniā de cōſuetudine eſt huius ægritudinis ſecundū plurimū, ut accidat in iſtis partibus. Per hanc ergo cauſam, plurimum fit in māmillis, & etiam in membris alijs quarum natura eſt hęc. Cum ergo incipit ægritudo, tunc multi medicorum hæſitant in ea, ſicut in plantis, quando oriuntur ex terra, quia non cognoſcūt eas, niſi qui ex agricolis ſunt prudentes tantum, propter illud quando apparent in ea accidentia occulta, decipiunt multos. Cum ergo integratur & completur, & confirmatur, apparent in ea accidentia magna, apparentia manifeſta unicuiq;, donec non ſint occulta pueris. Et nominatur hæc ægritudo cancer in quantum inflat, ut uter membra, quæ conſequitur hæc ægritudo & extenditur

ſicut

ſicut pedes cancrorum, qui ſunt in fluminibus. Et quidam dixerunt, non nominatur hæc ægritudo hoc nomine, niſi propterea quod ipſe tenetur cum membro ualde, & non ſeparatur ab ipſo, ſicut faciunt cancri. Et non confert in eo extinctio, neque forſitan reſoluitur, neque obedit in euacuatione corporis, neque alleuiatur per medicinas debiles penitus, quæ ponuntur ſuper ipſum, & uilipendit eas, neq; curat de eis, & medicinæ in quibus eſt uirtus, excitant ipſum. Cum ergo incipit cancer & alleuiat medicinas, fortaſſe poſſibile eſt, ut prohibeamus ipſum ab hoc, ut magnificetur & augmentet̃. Cum ergo cõpletur & perficitur, tũc ſanatio eius impoſſibilis eſt in eo. Quapropter dum permanet cãcer in inceptione, & uolumus prohibere ipſum ab hoc ut magnificet̃, oportet ut ſtatim euacuemus humorẽ generantem ægritudinẽ, ſicut eſt euacuatio ſanguinis, & poſt illud ſi poſſumus oportet, ut prohibeamus hũc humorẽ aggregari in uenis. Si aũt eius euacuatio non eſt poſſibilis, tunc oportet ut confortet̃ membrũ ſemper, & non effundat̃ ad ipſum aliqd ex ſuperfluitatib. humorũ, donec poſſit expellere ſupfluitates, quę effundunt̃ ad ipſum, & fiat euacuatio cũ aliqua medicinarũ ſimpliciũ, de ꝓprietate, quarũ eſt ut faciant illud, ſicut epithymus, quãdo accipiunt̃ ex eo ſolo aur. 4. cum aqua caſei. Et non oportet ut ſis cõtentus euacuatione uice una, imò multotiens. Cum aũt mũdificaberis corpus, mũdificatione ſufficienti, tunc intende ad reſolutionẽ. Cum ergo euacuatio eſt parua, tũc oportet ut ſit medicamen, quod adminiſtras permixtũ ex uirtute reſolutiua, & uirtute expulſiua, ſtyptica. Et elige ex medicinis illam, quę eſt tẽperata in uirtute, ut non uincatur propter debilitatẽ ſuam, & non incraſſet ſanguinẽ uehementer, propter uehementiã ſuæ operationis. Et eſt neceſſe cum hoc etiam, ut medicinæ non ſint mordicatiuæ penitus, quia de cõſuetudine huius malæ ęgritudinis, eſt ut excitetur ex medicinis mordificatiuis. Quapropter oportet ut adminiſtres in ea medicinas temperatas in uirtute, abſq; mordicatiõe, ipſę enim conferũt ei. Et materia medicinarũ harum eſt ex medicinis, quæ fodiunt̃ à lutis. Quod ſi tu præſumis in hora, & uis curare cancrũ cum cauterio, tunc incipe in primis cũ euacuatione humoris melãcholici. Cum ergo incidis cancrũ, tũc incide radicitus illud membrũ totũ, donec non remanet ex eo neq; radix una, & dimitte ſanguinẽ currere, & non ꝓhibeas ipſum ꝓhibitione uehemẽti, & occulta uenas, quę ſunt in circuitu eius, donec exprimat̃ ſanguis craſſus, qui eſt in eis. Et cura ulcus poſt illud, ſicut curas reliqua ulcera. Et ſi ulcerant̃ cancri ipſi, tunc confert eis abſq; falſitate quando ponitur ſuper locũ læſum emplaſtrũ

ex aqua ſolani, quando infunditur in ea pannus lini duplicatus, & oportet ut ponas ſuper eum lanam lenem infuſam, cum illo emplaſtro etiam, & ſtudeut non exiccetur, ita ut fundas ſuper ipſum ex ſucco ſolani cum cõtinuatione. Et iuuãtur etiam ex emplaſtro, facto cum thutia. Et cancri quidem, qui ſunt in interioribus corporis, & ſunt occulti, Diuus Hippocrates glorioſus annuit ne curẽtur, nam curatio excitat eos, uel furere facit, & eſt cauſa perditionis infirmi. Inquit enim libro ſexto Aphoriſmorũ, Aphoriſ. 38. In quibus accidunt cancri occulti oportet ne curẽtur, quia quando curantur, properat perditio, & quando non curantur, remanẽt longo tempore, quoniam curatio ſtimulat eos, & eſt cauſa perditionis uelocis. Et oportet ut ſis ſollicitus, etiam de cibo, donec ſit laudabilis bonorum chimorum, frigidus, ſicut hordeum excorticatum, piſces aradradhi, & lac de quo extractũ eſt butyrũ, & alcaff, atriplex, aliſfidabegi, & quæ ſunt illis ſimilia. Nam ſi ipſi regantur regimine alio præter hoc, tunc cibi generant, quod eſt loco eius, quod mundificatum eſt cum medicinis, & remanet ægritudo cum diſpoſitione ſua, præter quod addatur neq; minuatur.

## De ſcrophulis. Caput XXVI.

SCrophulę ſunt caro glanduloſa, quæ induratur. Et eius intentio eſt, quod ſit melancholica, & fiunt plurimum in collo, & in titillicis, & in emunctorijs. Curatio autem ipſius ægritudinis, eſt ea, qua curatur apoſtema melancholicum, quod fit in reliquis membris. Quod autem exigit natura membri, eſt quod oportet ut addatur in curatione eius, quod confert ægritudini, & confert membro lęſo, quod non deſtruitur cum con ſumptione ægritudinis. Et non deſtruitur niſi, quando abſcindimus totum locum apoſtemoſum cum perforatione, & quando putrefacimus ipſum cum medicinis acutis. Et eſt bonum ut ponimus ſuper ipſum, propriè farinam lupinorum confectã cum ſecaniabin, aut ſtercus uaccinum decoctum cum aceto, hoc enim reſoluit omnia apoſtemata dura melancholica. Et ex eis quæ reſoluunt ſcrophulas, eſt emplaſtrũ factum cum mucilagine, quod nominatur diachylon. Confert etiam emplaſtrum, quod dicitur aſcieniabin, & facit operationem bonam, etiam hoc medicamen: Et eius modus eſt, ut ſumantur radices caulis, & ſumatur pix & liqueſiat ſuper prunas. Cum ergo reſoluitur, pulueriza ſuper eam caules quos cõbuſiſti, & contere eos & confice ipſos, & emplaſtra cum eo.

*Apoſtemata reſoluentia.*

## De gibbositate. Caput XXVII.

GIbbositas fit, aut ex causa quæ accidit exterius, sicut est percussio, aut casus, aut impulsio, aut ex causa extrinseca, sicut sunt exituræ quæ egrediuntur in osse dorsi, aut intrinseca, aut extrinseca, & omnes sunt ex uiscositate uiscosa, & quæ infundit in ligamenta spondylium, donec expellit eas & extrahit ipsas. Et fit ex uentositate crassa, quæ retinetur sub spondylibus, donec expellit eas, & facit eas exire. Et curatio eius quæ est ex casu, aut percussione, aut obuiatione est cum restauratione, & ligamentis iuuatiuis, quę conferūt ei cum emplastris conferentibus, quę ego narrabo. Illa autem quæ fit ex exitura spondylis dorsi, curatur cum curatione causarum, quæ faciunt exire ipsam. Et illa quæ est ex humiditate, quæ lubricare facit spondyles, est cum medicinis calefacientibus, exiccantibus, sicut sunt pilulæ de tapsia, & potus decoctionis radicum cum Hiera Picra. Et illa quæ fit ex uentositatibus crassis, quæ tenentur sub spondylibus, curatio eius est cum potu pilularum de serapino, & potu olei de kerua, cum decoctione aquæ radicū & seminum calefacientium, subtilliantium, & confert iuuamentum magnum, hoc medicamen sequens.

*Medicamen Gabrielis ad gibbositatem.*

REcipe acori, spicæ, azari, mastiches, cinnamomi añ. drach. 5. mirrhæ drach. 10. zedoariæ doronici, seminis apij, harmel añ. drach. 4. Teratur & conficiatur cum melle, detur drach. 1. cum aqua calida, aut lactis asinini tertia libræ.

*Emplastrum ad gibbositatem accidentem à uentositatibus.*

REcipe styracis siccæ, mellis alubne Romanæ añ. drach. 8. costi, calami Aromatici, sauinæ añ. unc. 1. euphorbij drach. 1. ceræ unc. 1. olei nardini, & est de spica, quantum necesse est, misceantur. Aut decoquatur myrtus, acorus, & terantur & emplastretur locus. Aut cum theriaca diatesseron. Si autem non confert curatio cum medicinis, tunc oportet ut administretur cauterium, ut exiccet humiditatem, & confortet membrum, & stringat ipsum & prohibeant alistirsel, ut addatur & effundatur.

## De præfocatione matricis, & uentositate matricis. Cap. XXVIII.

PRæfocatio matricis est ascēsio eius ad superiora, donec ponit membra, ppriè principalia lęsa, sicut sunt arteriæ, quę nominant̄ parotide, & earū intētio est separare. Et sicut cor & pāniculus tegēs cerebrum,

brũ, qui nominatur miringa, & intentio eius est rete. Et plurimum quidem accidit hæc ægritudo mulieribus uiduis, & illis quarũ mẽstrua abscindun-tur. Euentus igitur eius est nonnisi ex abscisione spermatis, & ex abscisione menstruorũ. Verũtamen ego uidi eam secundũ plurimũ accidere uiduis, quãuis non abscisa essent earum menstrua. Significat ergo nobis hoc, quod euẽtus eius est ex abscisione spermatis proprie, quia menstrua quãuis accidere faciant accidentia multa, scilicet, ægritudines multas, syncopim, nauseam, constrictionẽ anhelitus, & accidentia alia multa. Verũtamen non est de proprietate eorum, ut faciant accidere abscisionem anhelitus, sicut est de abscisione spermatis, & sicut spermati est uirtus magni iuuamenti naturã, quia adiuuans ad remanendum genus & assiduationem prolis, sic similiter si est egressum à natura, est uirtus magna in malicia. Et consequntur illam cui aduenit illud, quando appropinquat hora paroxismi, debilitas consilij, pigritia, corruptio cogitationis, debilitas cruriũ, citrinitas faciei. Cũ ergo locatur ægritudo, facit accidere subeth, permixtionẽ, & destructionem sensuũ & uocis, spasmum crurium, rubedinem duarum maxillarũ. Et quando appropinquat hora resolutionis ægritudinis, & mollificatio, incipit prouenire humiditas quędam ad partes recipientis, quę sentitur tactu, deinde soluitur intellectus earum, & redeunt sensus ipsarũ, quia hæc ægritudo mouetur cum periodis quibusdam, sicut epilepsia & est alsara. Oportet ergo apud æstuationem huius ægritudinis, ut stringantur pedes cum ligamentis fortibus, & fricentur pedes fricatione forti, cum coxis & emunctorijs. Et oportet ut approximetur naribus res fœtidi odoris, sicut sunt capilli adusti, aut lychnum lampadis extinctum, aut castoreũ, aut kitran, aut lana combusta, aut galbanum solutum cum aceto, aut allium, aut calamintha, & alia ex rebus calidis subtiliatiuis incidentibus humores crassos, permixtos cum cerebro, & quod calefacit maliciam complexionis frigidę uincentis. Et curetur matrix ab inferioribus, ita ut ponatur super os eius illud, cui est odor bonus delectabilis, & mollificetur, & calefiat, cum eo de cuius proprietate est, ut cõfortet & resoluat uentositates, sicut medicamẽ, quod dicitur medicamen de nouẽ speciebus, & muscus, ambra, oleum de ben, & quæ sunt illis similia cum reliquis emplastris, quę leniunt duritiem, sicut emplastrum alcolochimon, & emplastrum Philagrij, & Satratimedon, quãdo soluũtur cum oleo chamęmelino, aut oleo de lilio, aut oleo de calamintha, aut oleo rutaceo, aut uno ex oleis lenificantibus boni odoris. Ista enim præ

mittimus

mittimus ad os matricis, donec moueant ipsa ad inferiora, quoniam matrix declinat ad odores Aromaticos, & nocet ei illud, cui non est odor Aromaticus. Et propter illud administramus in conuersione matricis ad superiora, olfactum odorum fœtidorum, ut ex eo refugiat matrix ab istis partibus ad inferiora. Et adhibemus ad os matricis, omne quod est boni odoris, ut declinet matrix ad inferiora. Si autem dixerint aliqui, si matrix lętatur ex odoribus, & facit eam fugere odor fœtidus, tunc oportet ut matrici sit uirtus olfaciendi, & si res est secundum hoc, tunc matrix est animal, & necessario nominauit eam Plato animal. Respondemus illis, quod si matrix delectatur rebus bonis, non quod ipsa sit animal, imò quoniam est ei proprietas naturalis, sicut epati & spleni est proprietas naturalis, ut declinēt ad res dulces, quamuis non sit in eis utrisq; uirtus gustus. Similiter etiam matrix secundum hanc semitam, delectatur istis rebus bonis. Et conferūt illę, uentosæ sine scarificatione, quæ ponuntur super duo emunctoria, & mirach, cum flamma ignis multa. Cum ergo prolongatur paroxismus, confert etiam illud quod resoluit uētositates, quandoq; subponitur in ano, sicut cyminum, ruta, nitrum, cum melle decoctū. Et oportet etiam, ut euacuetur stercus cum clysteri, ut non coartet per propinquitatem suam ex ea. Et præcipimus obstetrici, ut inungat os matricis cum digitis suis, qui sint submersi in quibusdam oleis Aromaticis, quia sperma calefit, cum huiusmodi commotionibus, motibus & fricationibus & descendit. Quod si deficiunt intellectus earum, uocabimus eas nominibus suis alta uoce, & faciemus eas odorare medicinas ophthalmicas, sicut castoreū, cōdisi, piper, aristolochia, & quę sunt illis similia. Cum ergo quiescit infirmus à periodo, cogimus infirmam uomere, & seruamus eas à cibo, aut cibamus eas re parua. Et sedeant in tina, in cuius aqua decocta sunt folia lauri, calamintha, buchormarien, saguassora, amaracū, chamæmelū, radix altheę, lilij, centaurium, & quę sunt illis similia. Et ponatur super caput hora sessionis in tina, oleum rosarū purū cum aceto, in quo decocta sunt ruta, folia lauri, & aliquid castorei. Et mundificentur corpora earum post diem septimum, cum Hiera & Theodoricon. Et post mundificationem sufficientem, confert potus castorei assiduè cum decoctione saguassora, & in hora cum aqua mellis, quia in curatione multarum mulierum ab hac ægritudine sufficit id, quod narrauimus solum, donec sanentur sanatione integra completa. Et oportet ut sit illius potus semper, cum aceto scyllitico, ipsum enim efficit in hac ægritudine operationem

operationem mirabilē. Et ex eis quæ faciunt operationem fortem, est confectio, quæ nominatur dyamarte, quando accipitur ex ea aur.1. cum aqua almazmatur, aut cum aqua assanguasora, aut cum aqua, in qua decocta sunt, quæ exiccant sperma, & faciunt descendere sanguinem menstruum, sicut sunt agnus castus, folia rutæ sicca, & assedenegi, & si inuenis agnum castum humidum, da medicamen cum succo eius. Confert etiam iuuamentum manifestum confectio persica, quæ nominatur kesekebenici, quando accipitur cum aqua anisi, spicæ, masticbes, fœnogræci, & ficuū alahasech, anethi, & quæ sunt illis similia. Confert etiam oleum de kerua, quando bibitur cum decoctione radicum apij, fœniculi, squinanti, sanguasora, anisi, spicæ, mastiches, fœnogræci, hasech, & ficuum. Et ex eis quæ conferunt iuuamentum magnum præfocationi matricis, est pondus drach.1. opopanaci cum duobus dauic ex castoreo, cum uino, aut careno forti. Et illarum cum quibus prolongatur hæc ægritudo, ponatur principium curationis, extractio sanguinis, ex uena, quæ est supra calcaneum, & proprie cui accidit hæc ægritudo, ex retentione menstruorum, & est corpus eius repletū, & uirtus eius locata fortis. Et post illud mūdificentur corpora earum, cum Hiera, facta cum pulpa colocynthidis. Et confert etiam Hiera Picra, quando das ex ea drach.1. confectam cum melle, dissoluta, cum aqua, in qua decocta sunt ruta, & anethum. Quod si non quiescit hæc ægritudo cum istis rebus, pone tunc super matricem, & duo inguina, emplastrū ex seminibus factum, & emplastrū factum ex lauro, & emplastra duas coxas, pedes, ilia, anchas, & pectinem cum emplastro, quod fit de euphorbio, pyrethro, & spuma, quę aggregatur in circuitu cannæ in mari & pipere. Quod si ægritudo non obedit cum istis curationibus, tūc oportet, ut administrationem earum iteres multotiens, donec resoluatur ægritudo uiolenter. Et administretur in hora post horam etiam clyster qui fit cum aqua, in qua decocta sunt chamæmelum, melilotum, anethum, & quæ sunt illis similia. Confert & iuuamentum non paruum, pannus lini, super quem sunt aliqua ex medicinis lenitiuis, calefacientibus, & oleum aliquod & superponitur secundū quod significabo tibi in sequentibus. Et pessarium ex lana carminata inuoluta, sicut sphæra, aut secundum figuram digiti, & cum eo præmittuntur medicinæ ad matricem. Et si euenit hæc ægritudo mulieri, quæ est pregnans, tunc non oportet ut administretur phlebotomia, neq; uentris solutio, imo cōtenti simus tunc inunctione cum oleo accepto, ex oleis calefacientibus,

&resoluentibus,

& resoluentibus, sicut est oleum de lilio, & de been, & quę sunt illis similia. Et ad utltimum dico sermonem abscindentem, quia oportet ut curētur mulieres, quibus accidit ægritudo hæc, & nō sunt pregnantes secundū quantitatem complexionis earum, & humiditatis corporū earum, & siccitatis earum. Nam illas ex eis quarum corpus est lene, album humidū, curamus cum medicinis debilibus. Et illæ quæ ex eis sunt secundum contrarium illius, donec sint earum corpora sicca, neruosa, curantur cum medicinis fortibus. Et secundum hunc modum curantur uetulæ, & illæ quæ sentiunt inflationem ex uentositatibus inflatiuis, cum eis, quæ resoluunt uentositatē, & illis quæ sentiunt grauitatem, dentur res, quæ incidunt & subtiliant. Et illę quę sentiunt acuitatem, curantur cum rebus, quibus est uirtus extinctiua. Quod si accidit in matricibus earum spasmus, aut apostema, tunc oportet ut curentur cum eis, quę cōueniunt speciei illius ægritudinis, ex rebus conuenientibus ad pręfocationem matricis, & sunt sicut illud:

Recipe pinguedinis anatis unc. 3. pinguedinis gallinę unc. 3. ceræ bonę unc. 6. croci, spicę, masliches añ. unc. 1. olei balsami, lilij cœlestis añ. unc. 3. Terantur sicca, & liquefiant humida, omnia misceantur & administretur in pessarijs.

*Aliud pessarium.*

Recipe cerę albę colatę unc. 3. pinguedinis anseris, gummi, amygdalarū añ. unc. 6. masliches, styracis liquidę añ. unc. 3. olei de spica unc. 6. croci aur. 3. Misceantur & administretur in pessarijs.

*Aliud nobile iuuamentum expertum.*

Recipe styracis unc. 3. thuris, piperis añ. unc. 1. s. cerę albę unc. 7. pinguedinis anatis & anseris añ. unc. 4. pingued. gallinę unc. 3. olei balsami, lilij albi, lilij cœlestis, & olei spicę añ. quantum satis. Si autem uirtus sit fortius, tunc adde cordumemi unc. 4. seminis urticæ aur. 4. misceatur & administretur.

*Oleum cum quo fit inunctio ad dolorem matricis.*

Recipe olei sesamini lib. 10. seminis agni casti unc. 5. rutę, cassiæ ligneæ añ. unc. 4. Terantur medicinę contritione crassa, & proijciantur super oleum & suspendatur in sole in hora ortus assare alhaabor, id est, canis, quadraginta diebus, deinde administretur post illud, & inungantur cum eo manus & pedes, coxę, inguina, & ilia. Si autem oleum non est preparatum, tunc decoque in hora, qua uis medicinas, quas diximus super prunas,

quibus non ſit fumus in uaſe duplici,& adminiſtra illud. Si autem uis facere fortius, adde euphorbium, caſtoreum, adradhi, piper, pyrethrum, aut baccas lauri,& menſura quantitatem cuiuſq; eorum, ſecundum horam pręſentem ex horis anni,& complexionem infirmę,& ſpeciem ægritudinis.

*Aliud quod lenit & calefacit, & conuenit ad præfocationem matricis.*

RECipe helkalimbat, olei maſtiches, ſpicę, olei laurini añ. unc. 5. olei lilij cœleſtis, anethi añ. lib. 1. ſehedenigi, adraki, pyrethri añ. unc. 4. piperis, meliloti, caſſię ligneę, nigellę, calaminthę campeſtris, aut fluuialis añ. unc. 1. Terantur medicinę ſiccę ſicut puluis,& liquefaciat helkalimbat cum oleo, miſceantur omnia, inungantur cum oleo almirach,& quod eſt ſub umbilico,& almerenen, anchæ,& pedes.

*De apoſtematibus matricis.* Cap. XXIX.

APoſtema accidit in matrice propter cauſas multas, ſcilicet, aut percuſſione, aut caſu, aut ex retẽtione menſtruorũ,& ex repletiõe & frigore uehementi, quãdo non reſoluitꝰ. Et inſpiſſatur locus,& apoſtematꝰ & incraſſatur ex inflatione. Et fortaſſe accidit ex aborſu poſt partũ, quãdo obſtetrix facit laborare mulierẽ. Et quandoq; apoſtematꝰ matrix etiam ex multitudine coitus, quando eſt ſupra menſurã,& egrediẽs ab æqualitate. Et ſequuntur apoſtemata matricis, febris acuta & ſoda,& tremor,& dolent radices oculorũ,& ſpaſmus neruorũ,& digitorũ,& colli,& dolor uuluę. Quod ſi phlegmõe ipſa eſt debilis, non eſt dolor matricis uehemẽs. Et ſi apoſt. eſt magnũ, tũc matrix tota dolet,& ſentitꝰ in ea percuſſio. Et ſi apoſtematꝰ ex ea pars una, ſentitꝰ dolor in illa parte. Et ſi apoſt. eſt in partibus pectoris eius, eſt dolor in dorſo,& retinetꝰ ſtercus, ꝓpter coartationẽ inteſtini recti. Et ſi apoſtemantꝰ partes eius anteriores, eſt dolor in ilijs,& ſequitur deſtillatio urinę & difficultas eius, quãdo ueſica ipſa coartatꝰ ex apoſtemate. Et quãdo apoſtemantꝰ latera matricis, extẽduntꝰ inguina,& grauantꝰ coxæ. Quãdo aũt apoſtematur concauitas matricis, eſt dolor in umbilico, quando uerò os eius apoſtematur, tunc partes eius poſtremę, etiam dolẽt illæ, quę ſunt ſtrictę,& quãdo tangitꝰ cum digitis, inuenitur orificiũ eius durum, lapideũ. Cum ergo magnificatur apoſtema, ſequuntur ipſum febres acutæ, dolor ſtomachi, inflatio almirach, flãma magna, grauitas almerenẽ & inguinũ, genuum, ſudor, horripilatio, pulſus arteriarũ fit paruus & frequens, triſtitia, retentio uentoſitatũ, prohibitio urinę,& ſtercoris,& ſi iſta accidẽtia prolõgantur, ſequitur etiam ſyncopis. Cum ergo incipimus cum

*Signa apoſtematis.*

extractione

extractione sanguinis, incipimus cum phlebotomia uenæ, si non prohibet ab illo aliquid, & phlebotomamus in primis basilicam titillarẽ, ut attrahamus materiam ad superiora. Et si remanet in eius fine residuum, phlebotomamus uenam, quæ appropinquat loco, scilicet, quę est super calcaneum. Et post illud si uirtus est remanens, administramus medicamen solutiuum. Et postquam mundificatur corpus mundificatione sufficienti, facimus emplastrum matrici cum emplastris, quæ expellunt & refrenant, in inceptione ægritudinis. In statu uero eius & ipsius uehementia, tũc miscemus cum medicinis, quæ refrenant & expellunt res, in quibus est aliquid uirtutis sedatiuæ, & in declinatione non conferunt, nisi illa, quæ resoluũtur tantum, secundũ descriptionem communem, apostematibus generatis ex sanguine. Et maior pars medicinarum, quæ refrenant & expellunt, & stypticitatem faciunt, sunt rosæ, lentes excorticatæ, cortices granatorũ, arnoglossum, cimæ uitis, solanum, endiuia, psyllium, semen portulacæ, fructus ramni, uirga pastoris, semperuiuũ, haltahalub, rasura cucurbitæ, farina hordei, & quæ sunt illis similia. Et in statu & uehementia ægritudinis, nos miscemus cum istis medicinis ea, quæ resoluunt, sicut fœnogræcum, althea, chamęmelum, melilotum, anethum, crocus, puluis molendini, & quę sunt illis similia. Et in declinatione apostematis, permutamus secundũ ordinem ad illud quod calfacit & resoluit plus, & quod conuenit apostematibus frigidis etiam, sicut sunt ammoniacum, bdellium, styrax, galbanũ, cera, helkalimbat, pinguedines, medullæ omnes, & olera calida, quæ resoluunt, alleuiant & subtiliãt. Quod si apostema non resoluitur, & peruenit ad aggregationem saniei, maturamus ipsum cum istis eiusdem medicinis, quas diximus, & adiungimus ad eas, quod est uehementioris caliditatis quàm ipsę. Cum ergo prolongatur collectio saniei, confert in uelocitate maturationis eius emplastrũ, quod fit ex fœnogręco, farina tritici decocta cum aqua ficuum, & misceatur cum eo aliquid ex fimo columbino. Et administretur pessarium assiduè, factum cum helkalimbat, mirrha, hyssopo, semin, id est, butyrum coctum & zubd. Cum ergo erumpit sanies, si effusio eius est ad uesicam, administra potum lactis, psyllium, semen portulacæ, semen bathekæ, tragachantum, amylum, saccharum. Et si erumpit sanies uersus intestinum rectum, clysteriza infirmum, ex decoctione lentium cum rosis, balaustijs, rizi persico, & quæ sunt illis similia. Et si erũpit uersus recipiens, & sanies est spissa, clysteriza cum oleo rosarum, & emplastro basilicon, fa-

*Astringẽtia.*

*Resoluentia.*

cto cum quatuor medicinis & butyro uaccino recenti. Et si sanies est subtilis fœtidi odoris, fac clystere ex eo, in quo est stypticitas plus. Et si est coartatio apostematis in orificio matricis, & non erumpit per medicinas subtiliatiuas, quæ ponũtur super ipsum, perforamus ipsum post subtiliationem & attenuationem corporis membri, in quo est sanies cum ferro, & mundificamus saniem cum medicinis conuenientibus ei.

*Lana quæ resoluit apostemata matricis, & sedat dolorem.*

INfundatur fœnogræcum, & abluatur tribus uicibus, deinde coquatur decoctione bona, & extrahatur ex eo mucilago ipsius cum panno mundo, & fundatur super ipsam pinguedo anatis, aut pinguedo gallinæ, & liquefiat super prunas, & deponatur ab igne. Cum ergo infrigidatur pinguedo, leni ipsam cum tota manu, aut in mortario lenitate bona, & administretur cum lana in oleo rosarum submersa.

*Aliud.*

DEcoquatur papauer cum uino defruto usq; ad tertias, & fiat inuolutum ut rete, & exprimatur, & extrahatur aqua eius, & liquefiat in illa aqua cerebrum cerui, pinguedo anatis, gallinæ, aut cerebrum uituli, & permisce ea multum, & administra illud cum lana.

*Aliud.*

REcipe fœnogræci contriti aur. 4. decoquantur cum careno, aut rob uuæ, donec resoluatur, deinde liquefiant gummi, amygdala, pinguedo anseris an̄. aur. 4. olei rosarum unc. 1. in uase duplici, & misceantur omnia, & administrentur cum pessario facto ex yreos.

*Aliud ad apostema grauia, & attrahit somnum.*

SVmatur ex papauere modia tria, & infundantur in tribus unc. careni die ac nocte, & decoquantur, donec sint discocta, & exprimatur papauer, & proijciantur super expressionem eius mirrhæ, thuris, opij an̄. drachmam unam, cassiæ ligneæ contritæ drach. 3. cerebri cerui, pinguedinis anatis an̄. drach. 4. olei rosarum quantum satis est. Resoluatur illud quod mortificatum est cum careno, in quo decoctum est papauer, & liquefiat pinguedo cum oleo, & misceatur totum, & administretur cum lana fusca tepidum.

*Aliud ad apostema matricis.*

SVmatur succus lilij, pinguedo anseris, oleum rosarum. Misceantur omnia, & administrentur cum lana.

Aliud

*Aliud ad dolores matricis difficiles.*

SVmantur papauer nigrum, & album, & decoquantur cum passo, & terantur multum, & misceantur cum eis rosæ siccæ, croci tritorum añ. drachmam unam. Conficiantur cum uino & oleo rosarum, & cera, & administretur cum lana.

*Aliud ad dolorem matricis cum stomacho.*

REcipe rosarum siccarum drach. 4. seminis lactucæ, amyli añ. drach. 1. croci drach. 2. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum uino, & oleo rosarum, lacte asinino, & administretur cum lana.

*Aliud ad apostemata dura, & lenit lenitate multa.*

VSneæ infundantur in aqua, & exprimatur, teratur pars panis infusi in syropo mellis, uel uino mellis, & aliquid ex emplastro basiliconis, & ex oleo de spica, & aliquid ex emplastro diachilon, & pinguedine gallinæ, uel anatis cum æqualitate, & liquefiant in uase duplici, & aggregentur calidum. Et quidam ponunt loco panis, fermentum uehementis fermentationis, & in eo est sal.

*Aliud conueniens ad apostemata, & inclinationem matricis.*

REcipe uitelli oui assati drachmas sex, cerebri cerui drachmas quatuor, croci, hyssopi añ. drach. 2. ceræ, helkalimbath, pinguedinis anatis añ. drachmã unam, uini dulcis, olei de spica, quantum necesse est, liquefiant, & misceantur omnia, & administretur.

*Aliud.*

REcipe pinguedinis anseris, porci añ. uncias duas, cerati facti cum oleo rosarum, aut oleo de lilio unc. quatuor, uitelli oui assati unciã unam, ceræ unc. unam, mirrhæ unc. quatuor, opij drahc. unam. Misceatur totum, & administretur cum lana.

*Aliud.*

REcipe ceræ drachmas sex, pinguedinis anseris, pinguedinis porci unc. tres, helkalimbath drach. sex, diacodion, & est electuarium de papauere spissum, simile melli drach. quatuor, olei rosarum quantum satis est. Misceatur, & administretur inde pessarium.

*Aliud ad apostemata matricis.*

SVmatur emplastri diachilon quantum satis est, liquefiat cum oleo rosarum in uase duplici, & misceatur cum succo endiuiæ, aut arnoglossi, aut solani, aut uirgæ pastoris, aut caulis, cum lacte mulieris. Terantur, &

administretur pessarium factum ex eo, dum est calidum.

*Aliud.*

SVmatur fœnogreci, seminis lini, althææ succus crassus, & liquefiant cum eo pinguedo anatis, porci, & misceatur cum eo crocus, tere ea & administra ex eo pessarium. Et oportet ut caueas & obserues, quando per ueniunt apostemata ad statum, administrare aliquid ex eis, quę excitant ea, & prouocant sanguinem menstruum. In hora autem declinationis ægritu dinis, & postquam sedatur apostema parum, si indiges ut prouoces sangui nem menstruum, tunc oportet ut facias illud. Si autem in orificio matricis, sunt ulcera, ex quibus currit sanies, curamus ea cum medicinis, quæ confe runt ulceribus, & mundificant putredines. Quod si in ipsa matrice est apo- stema, quod iam induratum est, & alteratur ad cancrum, curamus ipsum cum istis medicinis, quas narro.

## *De cancris accidentibus in matrice.* Cap. XXX.

CAncri qui fiunt in matrice, alij sunt, qui fiunt cum ulceratione, alij qui fiunt absque ulceratione. Et inuenitur in illis, qui fiunt absque ulceratione os matricis durum, apostematum, & est inæquale in figura sua, fœtulentum, in colore subrubeum. Et fortasse est decliue ad uiri- ditatem, & dolent inguina, & uelamen, ilia, dorsum, uulua, pecten, alcatim strictum. Et dolet quæ hanc habet ægritudinem ex qualibet re & causa, & ex administratione diuersarum medicinarum. Cum ergo cancer cumul cere est, sequitur ipsum dolor uehemens & durities, & ulcera corrodentia inæqualis figuræ, & secundum plurimum est sordidus, terreus, decliuis ad albedinem. Et ex eo est, quod est in colore suo turbidus, aut uiridis, aut ru- beus, & egreditur ex eo sordities nigra fœtidi odoris. Et fortasse currit ex eo sanguis etiam, & hæc ægritudo, ut Hippocrates prædixit non sanatur. Rege ergo eam per sessionem in aqua, in qua decocta sunt fœnogræcum, malua, & emplastra conuenientia ad hanc ægritudinem. Et iuuatur ualde in quibusdam horis ex althæa, & maluis decoctis cum syropo de melle, do nec sint discoctæ, & quando teruntur cum aliquantulo olei rosarum, & po- nuntur super locum. Et confert iuuamentum magnum, papauer tritum, quando ponitur super ipsum, cum aqua coriandri humidi, aut uirgæ pa- storis, aut solani. Et post illud administretur ceratum factum cum oleo rosa rum. Et

rum. Et ex eis, quæ sedant dolorem interius, est oleum rosarum, ex quo clysterizatur recipiens cum lacte mulieris, & aqua arnoglossi, & aqua solani tepida, aut aqua portulacæ, aut aqua uirgę pastoris, administrat cum oleo rosarum tepido. Si autem currit ex eis sanguis multus, miscemus cum istis succis cerussam plumbi, & bolum armenum, & succum barbæ hircinæ, & quæ sunt illis similia.

*De retentione menstruorum, & cura ipsius.* Cap. XXXI.

QVandoque retinentur menstrua, quando corpus totum non est sanum. Et quandoq; retinentur, quando in matrice ipsa est aliquid proprium, sicut apostema. Et fortasse retinentur multotiens, propter crassitudinem sanguinis menstrui, & propter oppilationem in uenis, in quibus currit sanguis menstruus, etiam propter constrictionem, quæ accidit in orificijs, & hoc contingit, aut propter frigiditatem, aut stypticitatem. Et accidit multotiens propter aborsum, retinetur etiam sanguis menstruus propter ægritudinem aliquam, quæ accidit in quibusdam membris principalibus, sicut epar, aut stomachus quando cum aliquo eorum est ægritudo chronica. Retinentur etiam propter fluxū sanguinis narium, aut eruptionem sanguinis ad uiscera, aut ex pinguedine superflua, & crassities corporis etiam, quando oppilat uenas, & prohibet exuberationem menstruorū. Et fit quibusdam mulieribus in orificijs matricis aliquid, quod est sicut panniculus, prohibens sanguinem menstruum currere. Et ulcera etiam, quæ accidunt in matrice, quando consolidantur, fortasse oppilant uiam sanguinis menstrui etiam. Et sequuntur illas, quarum sanguis retinetur menstruus, grauitas totius corporis, paucitas desiderij cibi, dolor dorsi, grauitas ancharum, & coxarum. Et dolor qui accidit in matre capitis, radicibus oculorum, & febres cum horripilatione, & urina nigra sanguinea, id est, habens colorem almuri. Et fortasse accidit eis in aliqua hora difficultas urinæ, & siccitas naturę, & fortasse adueniūt eis etiam ægritudines melancholicæ. Curatio autem harum ægritudinum, est cum remotione causarum facientium eas, & remotio earum est cum contrarietate. Nam si retentio menstruorum, est propter apostema, aut ex declinatione eius, tunc oportet ut studeamus in primis in curatione harum ægritudinum, quia quando sanantur, tunc remouentur ea, quæ sequuntur ipsas ex remotione menstruorum. Et si retentio menstruorum, est ex constrictione

*Menses quare retinentur.*

*Signa retentionis menstrui.*

*Cura.*

orificiorum uenarum, & accidit illud ex uehementia frigiditatis, aut ex ſtypticitate, tũc ſufficit in prouocatione eorum uaporatio cum ſpeciebus, ſicut dixit Hippocrates libro quinto Aphoriſmorum, Aphoriſmo 28. Suffitus aromatum muliebria ducit, ſæpius uero & ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret grauedinem, ſcilicet, caſſia lignea, coſto, amomo, carpobalſamo, cinnamomo, flore ſquinanti, & alijs quæ ſunt ſimiles eis in uirtute & aromaticitate. Vaporatio enim cum huiuſmodi ſpeciebus ſubtiliat craſſitudinem ſanguinis, & incidit eam, & aperit oppilationem, quæ accidit in inſtrumentis mẽſtruorum, & calefacit frigiditatem ſanguinis in uaſis, in quibus retentus eſt, & humectat utros exiccationẽ ſubſtantiæ eius. Si autem cauſæ, quæ prohibent curſum menſtruorum ſunt magnæ, fortes, non ſufficit tunc calefactio cum iſtis rebus aromaticis in prouocatione menſtruorum. Quapropter oportet ut adminiſtremus regimen ſubtiliantiũ, & mundificationem cum medicinis ſubtiliatiuis, de proprietate, quarũ eſt ut euacuent humorem, propter quem incraſſatur ſanguis, aut oppilãtur orificia uenarum, in quibus deſcendit, & potus ſpecierum ſubtiliantium, incidentium, quas deſcribam in ſequentibus. Illæ autem, quæ non mẽſtruantur propter pinguedinem ſuperfluam, quæ oppilat uenas, iuuantur cum eis, quæ minuunt ex craſſitudine corporis, ſicut exercitium frequens conſequutiuum, & cibi ſubtiles, inciſiui, & clyſter acris cum emplaſtris, & peſſarijs ſubtiliatiuis, quæ prouocant ſanguinem menſtruum. Illis autem, quibus accidit hæc ægritudo propter extenuationem, propter multitudinem ægritudinum, confert poſt remotionem ægritudinum balneatio, cum aqua dulci, & inunctio cum oleis humectantibus, reſoluentibus. Ex cibis, quæ ſunt multi nutrimenti, & potus uini antiqui, quies, tranquillitas, deliciæ, ocium, emplaſtra, peſſaria lenientia facta cum medulla, & pinguedinibus. Et ſi prohibitio ſanguinis menſtrui, eſt propter fluxum ſanguinis narium, aut eruptionem ſanguinis ex alio loco, tunc oportet, ut attrahatur ille ſanguis uerſus inferiora, cum uentoſa, quæ ponatur ſuper crura ſupra calcaneos, & uentoſentur uenæ pedum. Deinde poſt illud adminiſtrentur iuuamenta, quæ prouocant ſanguinem menſtruum. Illarum uero, quibus accidunt panniculi ſuper orificia matricum earum, curatio eſt ut incidantur. Et oppilatio, quæ accidit propter conſolidationem ulcerum, quæ ſunt in orificio matricis, quando conſolidantur, eſt difficilis curatio

nis ualde,

nis ualde, & fortasse est de cuius sanatione desperatur omnino. Quod si impelleris ad curationē illius, tunc cum emplastris & pessarijs lenientibus, aperientibus, oportet ut curemus ea, & hoc est ex abbreuiatione curationis causarum, retinentium sanguinem menstruum. Verūtamen mihi uidetur, ut narrem uirtutes medicinarum simplicium & compositarum, quæ cōueniunt ad hanc ægritudinem. Medicinæ simplices quæ prouocant sanguinem menstruum, quando bibuntur, sunt euphorbium, epithymus, castoreum, piper, anisum, petroselinum, sinapis, nasturtium, nigella, calamintha montana, & fluuialis, alahasce, & est alfohura, acorus, azarū, radix lilij cœlestis, cyperus, radix serpentariæ, flos squinanti, spica, cassia lignea, cinnamomū, mirrha, decoctio enulæ, pulegiū ceruinū, ammoniacum, & serapinum. Illis uero, quarum stomachi dolent dolore uehementi, confert opopanacum, quando bibitur cum aqua mellis, & sisak, & omne quod prouocat urinam, & aperit oppilationes, prouocat sanguinem menstruū. Et quando supponitur cum lana, & quando miscetur cum emplastris, & componuntur ex eis quæ diximus, medicinæ nobiles, & sunt istæ. *Menses prouocantia.*

*Medicamen sublime, magni iuuamenti in prouocatione sanguinis menstrui.*

Recipe phaseolorum rubeorum, fœnogræci seni añ. pugillum unum, anisi drach. 5. rutæ siccæ drach. 3. rubeæ drach. 5. Decoquātur cum tribus lib. aquæ, donec remaneat libra una, Confricentur manibus, & coletur, & detur ex eo tertia libræ tepide.

*Aliud.*

Recipe phaseolorum pugillum unum, keisim drach. 10. seminis harmel drach. 5. petroselini drach. 7. Decoquantur cum septem libris aquæ, donec remaneat quantitas lib. & coletur, & detur ex ea tertia pars cum drach. 1. de dyamarte, facit enim operationem bonam.

*Aliud.*

Recipe rubeæ partes duas, phaseolorum partem unam, proijciatur super ea ex aqua quod sufficit ad decoctionem eorum. Cum ergo decoquuntur bis, accipianturq́ ex aqua eorum quantitas sacraiati, & ex succo rutæ humidæ medietas sacraiati, & ex oleo balsami drach. 5. misceantur simul, & sumantur in potu.

*Aliud quod calefacit matricem, & prouocat sanguinem menstruum:*

REcipe epithymi, euphorbij, agarici, piperis, dauci, anisi, petroselini, omnium æqualiter. Terantur & conficiantur bene, & dentur ex eo drach. 2. cum decocto permixto.

*Aliud.*

TErat̃ nux cum ruta, & dent̃ ex eo cũ uino puro, ieiuno stom. drach. 5.

*Aliud.*

CAlaminthę montanę quãtitas cochlearij, aut drach. 1. cum uino permixto, sumatur post balneationem in balneo.

*Aliud.*

DEtur castorei triti drach. 1. cum aqua decoctiõis anisi & petroselini.

*Aliud.*

REcipe asę drach. 1. Conficiatur cum syropo de melle, fiant ex ea pilulę. Dentur ad deglutiendum cum uino puro.

*Aliud.*

REcipe euphorbij, petroselini æqualiter. Teratur & detur ex eo drachma una, cum aqua azari.

*Aliud.*

REcipe cassię, costi æqualiter. Teratur & cribelletur, & dentur ex eo drach. 2. cum uino. *Aliud.*

SVmatur nigellę drac. 1. sinapis drach. s. Teratur & cribelletur, & detur cum uino commixto. *Aliud.*

SVmatur opopanaci, absynthij añ. drach. 1. Detur cum uino.

*Aliud quod prouocat sanguinem menstruum cum uirtute.*

SVmatur in potu cassię ligneę tritę drach. 1. s. cum aqua rubeę.

*Aliud.*

DEtur castorei drach. s. in potu cum aquę calaminthę fluuialis unc. 2. radicis pœonię aur. 1. Detur in potu cum aqua mellis.

*Decoctio prouocans sanguinem menstruum cum uirtute.*

REcipe agni casti drach. 5. calaminthę hortulanę drach. 3. rubeę tinctorũ drach. 7. costi drach. 7. absynthij, spicę añ. drach. 3. Decoquant̃ cum 6. lib. aquę, donec remaneat lib. & colet̃ & detur ex ea omni die, tertia lib. tepida, & liquefiat cũ ea mellis albi colati unc. 1. bibat̃ dũ est tepida.

*Aliud.*

REcipe aristolochię longę, saguafora añ. drach. 5. sauinę drach. 3. Teratur & cribellet̃, & conficiat̃ cum melle, & detur cum aqua rubeæ.

*Aliud.*

REcipe corticũ rad. mori drach. 10. seminis bauciæ drach. 7. ammeos drach.

drach.5.seminis apij,fœniculi añ.drach.5.Decoquātur cum quatuor lib. aquæ,donec remaneat lib.1.deinde manibus confricetur,& coletur,& bibatur sicut scripsimus in primis.

*Pessaria quæ aperiunt, & prouocant sanguinem menstruum.*

CCastoreum & muscus liquefiant cum oleo de been, & ponātur in lana munda,& detur ad supponendum. *Aliud.*

REcipe succi colocynthidis cāpestris,baurach rubei añ.drach.4.mirrhę drach.2.Terat̃ & conficiatur cum aqua rutę,& teneat̃ pessariū.

*Aliud.*

REcipe ellebori nig.rad.colocynthidis cāpestris,cōdisi omniū æqualiter.Terat̃ & cribel.& cōficiatur cum felle tauri,& ponat̃ in lana mūda,quę iam fuit infusa cum oleo balsami,& detur ad supponendum.

*Aliud.*

REcipe anisi,cordumemi,ammeos,baurach,aristoloch.lōge,calaminthę, omnium æqualiter.Teratur & cribelletur,& conficiantur cum oleo de spica,& teneatur pessarium.

*Aliud.*

ACcipe mirrhę,calaminthę añ. unc.4.passularum enucleatarum,staphisagrię mundatę ex granis suis añ.unc.2.rutę drach.7.Teratur & cribelletur,& conficiatur cum melle,& fiat pessarium.

*Aliud quod aperit oppilationem.*

REcipe baurach armeni,passularum kismehem mundatarū ex granis suis,usnen fullonum añ.drach.7.nigellę drach.2.ficuum infusarum in oleo sesamino decocto drach.7.Teratur totum,& fiant ex eo sieff longa,& administretur.

*Aliud quod aperit oppilationem matricis, & prouocat sanguinem menstruum.*

SVmatur herba absynthij,sceha recens,folia cupressi,lupini sicci,rutę, myrti humidę añ.ficuum sehengir,carenum quantū necesse est.Conficiantur cum eo omnia,& administrentur.

*Aliud.*

ACcipe elleb.nig.succi absynthij añ.drac.2.mirrhę drach.4.ammoniaci drach.1.Teratur & conficiatur cum felle tauri recenti,& si cares recenti,sume siccū,& infundat̃ in uino,& teratur totū bene,& administret̃ sieff longa,& subponatur. *Aliud.*

SVmantur succi cucumeris asinini,mirrhę,cymini omniū æquales partes.Terantur & cribellentur, & conficiantur cum felle tauri,aut cum succo cepæ,aut porri,& administretur.

Aliud

*Aliud.*

SVmatur rutę recentis, pulpę colocynthidis, absynthij omnium partes æquales. Teratur & conficiatur cum felle tauri, & administretur.

*Aliud quod aperit matricem constrictam, quando prolongatur spacium eius.*

REcipe rutæ siccæ, baurach, foliorũ colocynthidis, & pulpæ eius, nigellæ, mirrhæ, opopanacis, bezard, bdellij uarij añ. drach. 2. fellis sabut, aut fellis tauri drach. 4. si inuenitur recens, si non, infundatur siccum cum rob. Terãtur sicca & cribellentur, & resoluatur quod resoluitur cum rob, conficiatur & detur cum lana.

*Aliud quod aperit orificia uenarum, & oppilationem antiquam, & prouocat menstrua.*

REcipe pulpæ colocynthidis, absynthij, nigellæ, azari, thuris, aceti, radicis cyclaminis, calaminthæ montanæ, aut hortulanę, radicum lilij cœlestis, rutæ siccæ, piperis añ. drach. 2. ammoniaci, bdellij, mirrhę, opopanacis, bezard, & haltith añ. drach. 1. fellis sabut, fellis gallinæ, aquę ceparum, fœniculi añ. cochlear 1. Terantur sicca, & resoluantur ea, quę resoluuntur & liquefiant ex helkalinbat drach. 3. cum melle, & misceantur cum eo reliquę medicinę, conficiantur cum lana, fiat pessarium, bonũ expertũ.

*Aliud.*

TEratur cinnamomum & conficiatur cum bezard, & inuoluatur cum lana infusa in oleo de spica, & detur.

*Aliud prouocans menstrua retenta septem annis.*

REcipe mirrhę, calaminthę montanę añ. drach. 4. passularum mundatarum ab interioribus suis unc. 2. rutę recentis unc. 4. sauinę unc. 5. Teratur, & conficiatur cum felle tauri, & administretur.

*Aliud.*

SVmatur galbani, castorei partes æquales. Conficiatur cum aqua rutę, & administretur.

*Aliud expertum.*

STaphisagria conficiatᷣ cum felle tauri, & administretur pessariũ ex eo.

*Aliud.*

REcipe fellis tauri, nigellæ añ. dauich 4. euphorbij, mezereon, opopanacis añ. dauich 2. Commisceantur omnia, & administretur cum lana stricta, uel fusca.

*Aliud.*

SVmantur succi cucumeris asinini, nouem catarati, conficiantur cum felle tauri, & administretur. Ipsum enim extrahit fœtum, siue sit mortuus, siue sit uiuus.

*Medicamen ad mulierem cuius menstrua retinentur, & putatur, quod ipsa sit grauida.*

RECipe castorei, acori, anisi, seminis apij añ. drach. 1. Teratur & cribelletur, & bibatur cum uino permixto. Nam si est grauida, calefacit fœtum, & confortat ipsum & non nocet ei. Et si inpregnatio non est causa, retentionis menstruorum, aperit ea, & prouocat ipsa, & confert iuuamentum magnum.

*Medicinæ prouocantes menstrua, quando uaporatur cum eis.*

OPopanacum, condisi, thus, blactę bizantię, lignũ aloës, styrax sicca.

*Vaporationes ad eas, quarum abscisa sunt menstrua.*

DEcoquito in aqua anethum, chamæmelum, squinantum, samsucum, cassiam ligneam, costum, melilotum, sulphur, rutam, calaminthan, nigellam, semen apij, origanum, seruba, & est alhahasce, saguasora, & est abrotanum, cordumemi. Fac sedere mulierem super sedem, & pone cannulam in orificium uasis, in quo est aqua medicinarum decoctarum, & cooperi ipsum ab omnibus lateribus, & sit caput cannulæ aliquid in directo uuluæ mulieris, & calefiat cum eo quantum possibile est & tollerare potest, est iuuamentum magnum, & si sedet in aquam dum est calida, confert mirabiliter.

## *De eruptione sanguinis ex matrice.* Cap. XXXII.

ERuptio sanguinis ex matrice, est propter debilitatem uasorum, in quibus sanguis est retentus, scilicet, uenarum & arteriarum, & fortasse est propter acuitatẽ sanguinis, donec non remanet in eis propter subtilitatẽ suam. Et fortasse etiam est ex multitudine sui, donec implet uasa, & extendit ea, fit etiam ex solutione continuitatis, quando accidit in matrice ex ulcere, aut corrosione, aut scissura. Et multotiens accidit propter aborsum, donec ex ea patiens ipsam appropinquet perditiõi, & fit etiam, quando parit mulier partum completum. Et sequitur illam cui aduenit hæc ęgritudo mutatio coloris, tumor pedum, inflatio reliqui corporis, & citrinitas coloris, & corrumpitur digestio cibi. Curatio uerò eruptionis sanguinis ex matrice, est cum descensione causæ, facientis eam. Nam si est propter debilitatem uasorum, in quibus est cõtentus, tunc curatio eius est per confortationem cum cibis, & potibus, & medicinis, & emplastris facientibus stypticitatem & exiccantibus. Et si est eruptio eius propter acuitatem sanguinis, & subtilitatem eius, sufficit in ea extinctio & euacuatio. Et si

est ex ulceribus, & corrosione, & fissura, quæ sunt in matrice, est studium nostrum ad ulcus cum medicinis conuenientibus ei. Et secundum hanc habitudinem, oportet ut mensuremus herpetem estiomenum, & rupturam, quæ fiunt in matrice & uenis. Et si est eruptio ex multitudine sanguinis, donec impleat uasa & extendat ea, tunc oportet ut bene consideremus, an sanguis sit commixtus cum humore alio, aut non. Nam si non est commixtus cum humore alio, administra phlebotomiam ex iunctura. Et si est commixtus cum humore alio, tunc oportet ut incipiamus cum mundificatione illius humoris uincentis. Et significamus super illud ex ætate, colore, & forma, & aspectu infirme, & reliquis causis naturalibus. Et etiam oportet ut addamus in experientia, & tribuamus ei, quæ habet hanc ægritudinem pannum lini, & præcipiamus ei ut recipiat cum eo illud, quod currit ex matrice, deinde præcipiamus exiccari pannum, & consideremus, tunc si uides colorem eius rubeum, clarum, tunc oportet ut scias quod humor uincens est sanguis. Si autem uiridis, aut citrinus, tunc uincit cholera citrina, si autem niger, uel puluerulentus, aut fuscus, tunc uincit cholera nigra, & si est infusus aquosus, tunc uincit phlegma. Secundum quantitatem ergo, quæ declaratur ex humore uincente, curetur, quando sanguis est ille qui uincit, curemus cũ phlebotomia uenę, sicut diximus nuper. Et si uincẽs est aliquis humorum aliorum, tunc oportet ut mundificemus ipsum cum eo, quod conuenit ad euacuationem eius. Deinde redeamus post mundificationem, ad administrandum medicinas, quæ abscindunt sanguinem. Et secundum duos modos: Nam illæ quæ conueniunt apertioni uenarum, & arteriarum, & fissuræ, sunt illæ, quæ infrigidant & stypticitatem faciunt, sicut sunt rosæ, lentes excorticatę, myrtus, solanum, arnoglossum, sumach, uirga pastoris, balaustiæ, kessem, & sunt cortices glandium, cortices granatorum, alumen, succus barbæ hircinæ, & quæ sunt illis similia. Ista ergo omnia si bibuntur, aut decoquuntur cum aqua, aut cum uino puro pontico, & sedeant in aqua eorum habentes hanc ægritudinem, aut subponuntur cum lana, aut administrantur in emplastris, tunc ipsæ sanguinem abscindunt & materiam. Et aliæ ex medicinis sunt illæ, quæ conferunt eruptioni sanguinis ex corrosione, sicut aloë, & thus, & propriè cortices eius, sanguis draconis, coralli, karabe, mirrha, crocus, licium, memithe, amylum, cerussa, merdazegi, acorus, colcothar, terra sigillata, bolus Armenus, & quæ sunt illis similia. Et sunt medicinæ aliæ, quæ restringunt sanguinem, &

mundificant ulcera, scilicet, gallæ adustæ extinctæ in aceto, chartæ combustæ, ostraca combusta, cornu ceruinum combustum, & res aliæ multæ similes istis. Et hæc est cura eruptionis sanguinis ex matrice, secundũ communitatem. Secundum proprietatem uero, quæ rectificant, sunt trochisci dyascriton, & confectio quæ nominatur philonium persicum. Et sumitur unumquodque istorum, cum succo quarundam rerum stypticarum, siue stypticitatem facientium, sicut est decoctio de granis myrti, aut aqua rosarum. Et ex eis quæ conferunt magnum iuuamentum, est hoc medicamen sequens.

*Medicamen restringens sanguinem fortiter.*

RECipe sedenigi, sanguin. draconis, carabe, coralli, aluminis Iameni, balaustiarum, boli Armeni, terræ sigillatæ, seminis portulacę, omnium partes æquales. Terantur & cribellentur, & dentur ex eo drach. 2. cum aqua sumach infusi, aut cum aqua antimonij contriti, quod sit infusum in die & nocte, aut aqua arnoglossi.

*Aliud.*

REcipe zegi alesekefati, cartharum combustarum, cupularum glandium, partes æquales. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua myrti humidæ, & fiant ex eis pilulæ, & detur ex eis ad deglutiendum drachma una, & fiant ex eo etiam sieff, & detur in lana, ut subponatur cum ea, & retineat ut pessarium, & est expertum. Et clysterizetur matrix cum clysteri ex aqua succi uirgæ pastoris, & decoctione corticum granatorum, & extremitatum myrti, nucis cipressi, gallarum, rosarum, balaustiarum, aut succi arnoglossi solius, aut cum aliqua ex medicinis facientibus stypticitatē. Galenus quidem dicit, se uidisse eruptionem sanguinis ex matrice, durasse quatuor diebus continuis, & administrauit in curatione eius medicinas, retinentes sanguinem & abscindentes ipsum extrinsecus, & intrinsecus, & non contulit aliqua ex eis, administrauit succum arnoglossi, & clysterizauit matricem cum eo, quare abscidit sanguinem, & fecit ipsum stare statim. Et oportet ut sit illud cum quo clysterizat, quantitas unc. 8. uel 9. At uero de cõsuetudine nostra est, ut misceamus cum istis succis aliquid ex medicinis retinentibus sanguinem, donec quando sint apertio & scissura in quibusdam uasis magnis, miscemus cum eis quasdam medicinas stypticas, fortes, sicut sunt, acatia, balaustiæ, barba hirci, gallæ immaturæ, zegi, &

quæ ſunt illis ſimilia. Et ſi eſt ægritudo in quibuſdam uaſis paruis tantum, ſufficit ut miſceamus cum arnogloſſo, aloën, terram ſigillatam, & quę ſunt illis ſimilia. Et emplaſtra ſtyptica, quæ ponuntur ſuper pectinem & dorſum, etiam ſunt iuuatiua ualde, ſicut illa quæ fiunt cum caſab, citonijs, corticibus granatorum, glandibus, extremitatibus alhauſigi, & dicitur Arabice Alaulaik, & folijs arboris maſtich. balauſtijs, acatia, barba hirci, gallis, ladano, ramich, almirach, halbelah, cupulis, aluminis Iameni, corallis, & alijs ſimilibus. Conferunt etiam ex eis quæ conferunt diarrhœæ, & ex peſſarijs quæ fiunt cum acatia, barba hirci, cortice thuris aggregatis cum aceto, aut limatura karabe, cupulis, azegi, mirrha, æs uſtum, ladanum, ſanguis draconis, gallæ, alhauſigi, camphora, halramich, chartæ combuſtæ, ceruſſa, balauſtiæ, quando conficiuntur cum aqua myrti. Confert etiam iuuamentum manifeſtum ſpongia, quæ infunditur in pice humida, quando ſubponitur, aut cinis ſpongiæ, quando aduritur & congregatur cum aceto, aut aqua myrti humidæ. Conferunt etiam iſtæ medicinæ, ſcilicet, ſuccus gallæ immaturæ, alumen Iameni, acatia, farina thuris. Sumantur & terantur, & cribellentur, & conficiantur cum aqua myrti humidæ, & fiat peſſarium.

*Aliud peſſarium retinens eruptionem ſanguinis ualdè.*

RECipe ſedeguaran, cornu ceruini aduſti, chartæ aduſtæ, gallæ, ramich, trochiſcorum de lacca, ſantali albi, aluminis Iameni, oſtracorū figuli nouorū, licij, gallarum aduſtarum extinctarum cum aceto, ſanguin. draconis, calcadis, & eſt calcanthum, colcothar, ſumach, antimonij quod frixum eſt cum oleo, ſedenigi, ſpongiæ combuſtæ extinctæ cum aceto, oſtracorum combuſtorum, corticum thuris omnium partes æquales. Conficiantur cum aqua ſumach, & ſucco arnogloſſi, uirgę paſtoris, aqua albela, ſubponatur cum lana, eſt enim expertum.

*Aliud.*

SVmatur euphorbium, & pannus lini combuſtus, alumen Iameni. Conficiantur cum aceto, aut ſucco arnogloſſi.

*Aliud.*

RECipe chartę combuſtę, acatię, balauſtię, licij, ſucci barbę hirci, roſarum, gallarum, panni lini combuſti, omnium partes æquales. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum aqua myrti, & adminiſtretur.

Aliud

*Aliud.*

SVmantur succus alcurt, ramich, camphora, ladanum. Liquefiat cum aqua foliorum ramni, aut cum aqua spinarum recentium, & detur.

*Aliud.*

SVmātur granata syluestria, & sunt grana alkilkil, & ostraca combusta, zegi añ. Terantur & conficiantur cum aceto, & administrentur.

*Aliud.*

REcipe cupularum, antimonij, opopanaci, tincar partes æquales, myrti humidę contritæ partes duæ, inuoluatur cum lana fusca, & submergatur in aqua myrti, & aqua sumach, & administretur. Si autem administras omnia ista, & non abscinditur eruptio sanguinis, pone sub mammillis uentosam magnam, quia hoc trahit sanguinem ad superiora mammillarū, per communitatem uenarum mammillarum cum uenis matricis. Veruntamen istæ ponuntur sub mammillis, non supra eas, ut non recipiant superfluitates, quæ attrahuntur ad eas, quia ipsæ sunt ex substantia carnis mollis, & ut capiat uentosa locum magnum uenarum, quæ sunt inter matricem & mammillas. Et propter hoc oportet, ut sit uentosa magna, ut capiat locum magnum ex uenis. Et si ponerentur uentosæ supra mammillas, non esset possibile ut attraherent, quoniam locus qui est supra mammillas, est uacuus ab istis uenis.

## *De mulieribus quæ non inprægnantur.* Cap. XXXIII.

NOn prohibetur inprægnatio nisi propter complexionem matricis, nam si complexio earum est æqualis, tunc mulieres inprægnantur & pariunt. Et si complexiones earum non sunt temperatæ, & sunt malæ complexionis, tunc si malicia complexionis est parua, diminuta, generatur ab illa difficultas inprægnationis, & si est fortis, habens eam est sterilis. Et non sit sterilis nisi ex corruptione complexionis frigidę, aut ex stypticitate, quæ accidit in orificijs uasorum matricis, donec non annectuntur uuluæ, & quando non adhęrent ei, non mittūt ad eam nutrimentum cum quantitate necessitatis fœtus. Et malicia complexionis humidæ, facit mulierem sterilem, quoniam sperma extinguitur in matrice illarum, sicut extinguitur semen in terra multæ humiditatis. Et corruptio complexionis siccæ, prohibet inprægnationem, quoniam prohibet à fœtu illud quod indiget ex nutrimento, sicut accidit seminibus, quando cadunt in are

na, scilicet, deserto, aut terra inculta. Complexio autem calida prohibet inpraegnationem, quoniam adurit sperma & exiccat ipsum, sicut accidit seminibus quae seminantur in hora ortu canis aliabar, scilicet, assara alahabor. Et sufficit in significationibus super maliciam complexionum suffumigatio cum medicinis, quas dixit Hippocrates, quando non peruenit ad nares, ipse enim inquit in libro quinto Aphorismorũ, Aphorismo 59. Si mulier non concipit, scire autem, uelis si conceptura sit, pannis circuntectam desubter suffias, & si odor uidetur per corpus ire ad nares & os, scito quod ipsa, non ex se ipsa sterilis est. Cum ergo non ascẽdit uapor ad nares, tunc illud est propter uehementiam frigiditatis, & siccitatis, quae iam coartauit orificium matricis, & orificia uasorum, quae sunt in ea, quoniam frigiditas & siccitas, quando oppilant matricem, & orificia instrumẽtorum, quę sunt in ea, prohibẽt uapores penetrare in corpus. Et humiditas ipsa sicut extinguit semen, similiter etiam facit in qualitate uaporis, & caliditas mutat matricem, & corũpit eam. Et si non scis hoc ex istis significationibus, tunc sunt tibi significationes aliae, quae significant hoc, sicut subtilitas, & nigredo, & multitudo spermatis. Et malicia complexionis calidae, non accidit in mulieribus nisi raro. Et fortasse prohibetur inpraegnatio etiam, propter sperma ipsius uiri, quia malicia complexionis si in eo est pauca, aut cadit in matricẽ contrariã illi non parit. Et si malicia cõplexionis est uehemens, non parit, quoniam si est frigida ualde non parit, propter cruditatẽ suam. Et si est calida ualde, non parit, propter adustionem suam, si autem est ualde sicca non parit, quoniam non expanditur in concauitatem matricis. Si uero ualde humida, non generat, quoniã non moratur ut effundatur in cõcauitatem matricis. Et oportet ut scias quod complexiones temperatae, quando occurrunt complexionibus temperatis, tũc necesse est ut generent, sed non procul dubio. Si autem non sunt ambę temperatę, tunc iam fit raro. Et non sunt complexiones ita egressę ab aequalitate, sed quando inueniunt contrarias eis generant. Et quando inueniunt similes sibi, non generant. Et iste est sermo abbreuiatus in causis, quae faciunt accidere prohibitionem inpraegnationis. Et cum frigiditas est causa prohibitionis inpraegnationis, tunc curatio eius est cum iuuamentis calidis. Et si causa prohibens est caliditas, tunc infrigidatio & coniunctio ciborum, & potuum, oleorum, clysterum, & pessariorũ, & reliqui regiminis est secũdum illud, & resistẽtia malicię complexionis uincentis. Et si cum istis rebus est repletio in corpore etiam, administramus

*Causae inpraegnationis.*

*Curatio.*

ministramus in primis mundificationem matricis, cum medicinis conferentibus. Quod si in matrice est apostema, curamus ipsum cum eo, quod conuenit apostemati. Et curamus uulnera & ulcera, quæ accidūt in ea, cum emplastris & ungentis ad illud ante prædictis. Et uniuersaliter dico, quod oportet ut intendamus cum curatione ad causam, postq̄ præcedimus in ea. Et studemus cum curatione totius corporis, deinde ponamus studium nostrum in fine eius cum re matricis, & administremus post illud medicinas de consuetudine, quarum est ut inpregnent, sicut sunt istę, quas dicemus.

*Pessarium conueniens mulieribus, quæ non inprægnantur, mirabile.*

RECipe croci, amomi, spicæ, meliloti an̄. drach. 3. s. folij Indi, cordumemi an̄. unc. 1. pinguedinis anatis, gallinæ, caprarum, ceræ, uitelli oui elixati an̄. unc. 2. olei balsami drach. 2. Terātur medicinæ siccæ, liquefiant humidæ, & permisce eas, & confice eas, & subponat sibi mulier post mundificationem eius, in lana fusca tribus diebus, deinde cum uiro coëat.

*Aliud conueniens illis, quæ non inprægnantur.*

RECipe croci, spicæ, mastiches, styracis an̄. drachmas duas, folij Indi drachmā unam, ceræ drachmas octo, olei de spica, olei rosarū quantum necesse est, misceatur & administretur.

*Aliud inprægnans, & prouocans menstrua.*

RECipe bdellij drachmas quatuor, olei balsami drachmas duas, radicis opopanacis, radicis narcisci an̄. drachmam unam, mellis cochleariū unum, & sunt aurei duo. Resoluatur bdellium cum uino, & misceantur cum eo aliæ medicinæ, conficiatur & destilletur super illud aliquid ex oleo balsami, & administretur.

*Aliud inprægnans, & sedans omnes dolores matricis.*

RECipe cerebri cerui, hyssopi humidæ, butyri caprini cocti, & butyri recentis uaccinæ, ouini, gummi, amygdalæ, styracis albæ liquidæ, meliloti, an̄. unciā unā, olei de spica uncias duas, gallarum, mastiches, spicę an̄. drachmas duas. Terantur sicca, liquefiant humida, misceantur & conficiantur, & administrentur in lana tribus diebus, deinde coëat, ipsa enim inprægnatur.

*Aliud ad mulieres, quæ non inprægnantur.*

SVmatur coaguli leporis, & stercoris eius, mellis mundi partes æquales. Terātur & cōmisceantur, & conficiantur, & sumatur in lana tribus

 diebus.

diebus. Et bibat mulier tribus diebus omni die ſerraturã eboris, ipſa enim inpręgnatur, & ſi ſit ſterilis. Conferũt etiam iuuamentũ magnum peſſaria aromatica, facta cum ſpeciebus confortantibus, & poſt illud coëat, ipſa enim inpręgnatur.

*Lana ad inprægnationem bona.*

SVmantur coaguli leporis partes duæ, aluminis Iameni pars una, miſceantur cum melle bene, & adminiſtretur totum illud poſt mundificationem matricis illius.

*Aliud Aſclimedis ad mulieres, quæ non inprægnantur.*

REcipe mirrhę drach. 4. radicum lilij cœleſtis, ſtercoris leporis, gummi omnium añ. drach. 2. conficiantur cum aqua, & fiant formę glandium longę, & ſubponantur in recipiente poſt mũdificationem à menſtruis, aut conficiantur cum melle, & adminiſtretur ſeptem diebus continuis, & mutet ea omnibus tribus diebus, poſtea coëat.

*Aliud inprægnans, & conſtringens matricem.*

REcipe aluminis Iameni drach. 2. ſumach, myrti, croci, ligni aloës añ. drach. 1. mellis quantũ eſt neceſſe, miſceatur & adminiſtretur cum lana, quam inungas cum oleo roſarum, & exprime eam manibus tuis, donec egrediatur uirtus medicinę ad exteriora lanę, & ſubponatur poſt mundificationem à menſtruis, tribus diebus continuis, deinde coëat.

*Aliud.*

FEl piſcis ſubponatur cum lana, & inpręgnat inpręgnatione bona.

*Suffumigatio inprægnans.*

SVmantur alcannę, pilorũ leporis, rutę ſiccę omnium partes æquales. Terantur & miſceantur, & conficiantur bene, fiant trochiſci & ſuffumigentur cum eis, poſt mundificationem ex menſtruis.

*Aliud ad obſtetrices.*

SVmatur arſenici citrini, nucis cupreſſi, ſtyracis, bezard, baccarum lauri, omnium æquales partes. Conficiantur cum uino, fiant inde pilulæ, & ſuffumigetur cum eis, poſtquàm abluitur mulier ex menſtruis.

*Aliud ad obſtetrices.*

LImetur cornu caprę, & ſumatur illa limatura & conficiatur cum oleo de ſpica, & ſubponatur in recipiente, poſtquàm mundificatur tribus diebus & coëat, & locus ſit calidus, probatum eſt.

*Aliud ad illas quæ non inprægnantur propter pinguedinem ipſarũ, poſtquã mundificatur corpus cum ſolutione uentris, & extractione ſanguinis.*

REcipe mellis mundi, olei de lilio, mirrhę añ. partem 1. ſerapini, bdellij añ. partem s. miſceantur & detur in lana & abluatur recipiens quotidie aſſiduè

die assidue cum aqua decoctionis colocynthidis, aut sumatur medicina uomitus, quę nominatur cancazard, comburatur, & inuoluatur in lana, & subponatur. Ipsa enim abscindit humiditatẽ existentẽ in matrice totã, & mundificat ualde, confert etiam iuuamentũ multũ hoc medicamen sequens.

*Clystere ad mulierem, quæ non humectatur apud concubitum, & mundificat matricem, & confortat confortatione sana.*

Recipe corticũ thuris, cyperi contriti añ. drach. 30. mirrhę bonę drachmas 10. decoquantur cum 3. lib. aquæ, donec remaneat 1. coletur, & clysterizetur ex ea in matrice 3. diebus continuis, omni die tertia libræ unius. Et si est inprægnationis prohibitio ex ulceribus, quæ sunt in matrice confert lana confortans, stringens & mundificans ulcera existentia in matrice. Sumatur aqua gallarum, chelidonia, crocus, uenę tinctorũ croci, & est humor croci, misceantur omnia, & submergatur in eis lana, & subponatur. Si autem abluat obstetrix mulierem infirmam tribus uicibus, & mutatur sanguis qui currit ex ea, tunc oportet ut confortes in cognitione tua causam, & quod currit ex ea est ulcus, non menstrua. Si aũt currit ex matrice, quando administras hoc medicamen, res nigra, fœtida, tunc scias quod est herpes cæstiomenus, tunc oportet ut admisceatur calidicon cum melle, & administretur cum cautela. Et si non est possibile, ut subponatur hoc medicamen, aut non tollerat super ipsum, tunc oportet ut abluatur locus assidue cum aqua mellis.

*De mulieribus quæ abortiuntur.* *Cap.* XXXIIII.

Mulieres aborsum paciuntur in mẽsibus præcedentibus, scilicet, primo, secundo, & tertio, propter uẽtositates, quę expanduntur in matricibus, & abortiũt in mensibus medijs, scilicet, 4. 5. & 6. propter multitudinẽ humiditatis, quia fœtus tũc generat & lubricat. Et abortiuntur in mẽsibus postremis, scilicet, septimo, octauo, & nono, propter frigiditatem, quę uincit in matrice. Et quandoq; etiam accidit aborsus mulieris tẽperatæ, in forma sua ex ægritudine, sicut in febre difficili, & almessire quod fit in ipsa matrice. Et accidit aborsus etiam propter accidens uentris, sicut diarrhœa, eruptio sanguinis, motus uehemens, aut corporeus, sicut saltus fortis, aut casus, aut percussio, aut uociferatio, aut animalis, sicut ira, aut timor. Mulieres aũt quę lędunt̃ ex uentositatibus, oportet ut curemus cum medicinis, scilicet cum oleo de kerua, cum aqua de radicibus, & potu pilularum de serapino, nasturtio torrefacto, sauina, semine apij, saccharo antiquo, dyamarte, sagzenea, electuario facto cum castoreo, zedoaria,

doronici, ammeos, saccharo, & clysteri, suffumigatione, calefactionibus, subpositorijs factis cum naphia nigra, origano, oleo balsami, ammeos. Et fit suffumigatio ex nigella, bdellio, & quæ sunt illis similia. Quod si ægritudo est ex repletione totius corporis, tunc administra in primis euacuationem reliqui corporis, deinde mundificationem matricis. Et est coueniens, ut mundificetur uiscositas existens in matrice.

*Clystere ad matrices illarum, quæ abortiunt mense secundo, & tertio, & mundificat humiditatem multam existentem in matrice.*

SUmatur colocynthida campestris æqualis in magnitudine sua, & concauetur caput eius, & euacuetur semē eius, & impleatur oleó de lilio, & reducatur super foramen cortex remotus ab ea, & line illud cum massa, aut luto, & ponatur super prunas, & decoquatur, donec ferueat ebullitione una, aut duabus. Deinde coletur illud oleum cum panno, & clysterizetur matrix cum toto illo, & est calidum, & non remanet ex eo aliquid. Et iam dictum est de hac medicina, quia confert illis, quæ non inprægnantur propter frigiditatem & humiditatem etiam. Confert istis etiam, ut subponant sibi lanas, quæ euacuant & fiunt cum febribus. Etiam præterijt modus earum in curatione illarum, quæ non mundificantur ex menstruis. Et confert iuuamentum magnum hoc medicamen.

*Medicamen ad mulierem, quæ habet repletionem, aut uentositates multas in matrice & non inprægnatur, & si inprægnatur, abortit.*

REcipe olei balsami drachmas duas, theriacę de uiperis drach. 1. s. radic. opopanaci drachmam unam, zedoariæ, doronici añ. drachmas duas, castorei drachmas duas & semis, musci dauich duo, hyssopi humidę blactæ bizantiæ añ. drachmas duas. Terantur sicca, & resoluatur theriaca cum oleo balsami. Misceatur benè & conficiatur, & detur in lana quantitas auellanæ, & detur in potu omni die drachma 1. quinque diebus, deinde coēat.

*Medicamen ad mulierem, quam consequuntur menstrua super inprægnationem, & non potest mundificari, neq; uidentur menstrua ampla.*

† menthæ. REcipe ceræ drach. 10. nasturtij, seminis † rutæ añ. drach. 1. seminis fœniculi drach. 2. proijciantur in quantitate uini lib. 2. & decoquatur donec consumatur medietas, deinde proijciantur super illud sarcocollæ, licij añ. drach. 2. butyri uaccini, mellis añ. quantitatem cochlearij 1. & est aur. 4. deinde teratur parum & detur ex eo ad bibendum, & cibetur in hora uespertina, fac illud tribus diebus.

De mulieribus

*De mulieribus quæ conceperunt, quomodo poßint cognoſci prægnantes, & quid eis conueniat.* *Cap.* XXXV.

QVæ prægnata eſt cognoſcitur ex hoc, quod non currit ex muliere poſt coitum ſperma, & ex hoc quod ſentit in hora coitus horripilationem paruam, & dolorem medium inferius ſub umbilico, apud uuluam etiam, & eſt uulua tota exiccata, & os uuluę compactū abſq; apoſtemate & ſine duritie. Et poſt iſtas res ſignificatur etiam ex hoc, quod non deſiderat coitum, & ex hoc quod non menſtruatur in hora menſtrui naturalis, & ex hoc quod color mãmillarum eſt uiridis, ſcilicet, colore porri, & ex hoc quod eleuantur pluſquã fuerunt, fiunt etiam uiridia, alba oculorũ eorũ, & denigratur facies ipſarum, & accidunt in eis lentigines & barras. Et deſiderant cibaria horribilia, & aduenit eis ſubuerſio animæ, & non eſt eis appetitus, & non læduntur ex nauſea, niſi ex multitudine ſanguinis, qui deſcendebat in omni menſe cum menſtruis. Quia iſte ſanguis quando reſpuit ipſum, embrion aſcendit ad ſtomachũ, & ſecundũ quantitatem illius humoris, deſiderat ipſa cibaria horribilia. Et protenditur hæc ægritudo in eis uſq; ad menſem quartũ, quoniam in menſibus primis ſufficit embrioni parum ſanguinis, ut ex eo nutriat̃. Quando uero magnificatur, tunc indiget ſanguine multo, propter augmentũ ſui nutrimẽti, quapropter non accidunt ei accidentia iſta. Et hęc eſt ſignificatio alia ſuper inpręgnationẽ, & eſt illa quam dixit Hippocrates libro quinto Aphoriſmorum, Aphoriſ. 41. Si uelis noſcere an conceperit mulier, quũ dormitura eſt, ei aquam mulſam potandam da, & ſi alui tormina patietur, concepit, ſi minus, non concepit. Aqua autem mulſa facit punctionem, quoniam generat inflationem & uentoſitates, & non eſt poſſibile eis penetrare in inteſtinum rectum, quoniam coartatum eſt, & ſtrictum, propterea quia coartat ipſum matrix. Reſoluitur ergo uentoſitas in inteſtinis, & facit accidere punctionem. Et propter illud oportet ut ſit aqua mellis, quæ datur cruda, non cocta, ut generet uentoſitates plus, & ſit mulier poſtquam ipſam accepit, quieta & repleta cibis. Et ſunt ſignificationes ſignificantes, an embrio ſit maſculus an fœmina, & ſunt illæ, quas dixit Hippocrates libro quinto Aphoriſmorum, Aphoriſmo 42. Mulier ſi marem concepit, bene colorata eſt, ſi uero fœminã, male colorata. Et ex maſculis inprægnatio nõ fit ſecundũ plurimũ, niſi in latere dextro, & fœminis in latere ſiniſtro. Et tu diſcernis hęc, ex motu embrionis *Aqua mulſa.*

embrionis ipsius, quia motus embrionis masculi fit in latere dextro semper, & fœminæ in latere sinistro. Et inpregnantur ex masculis in latere dextro, quoniam est uehementioris caliditatis, propter propinquitatem sui loci epati, & uicinitatem suam ei, & quoniam uena in qua currit sperma ad latus matricis dextrum, est ex rene dextro, & quoniam testiculus mulieris dexter, ex quo egreditur sperma ex latere matricis dextro, est uehementioris caliditatis. Et inpregnãtur ex fœminis ex latere sinistro, propter causas, quæ sunt contrariæ istis. Et mulieribus quidem quæ sunt pregnantes, si est eis desiderium ciborum horribilium, cõuenit inprimis exercitium temperatum, deinde potet aquam decoctionis anethi cum melle mundo, donec fiat facilis uomitus humoris nociui, & solutio naturæ. Ex cibis confert eis panis coctus, carnes auium decoctarum cum iure condito delectabili, non unctuoso penitus. Et sit potus uinum citrinum, suauis odoris, antiquum, & ex fructibus passæ, & granata, citonia, & pira, & mala. Et dentur eis loco luti, ut comedant ipsum amylum frixum, & cicer frixum, fabæ frixæ, triticum frixum. Ex oleribus comedant endiuiam, lactucam, taraxacon, erucam. Et ponantur super stomachum deforis uaporationes, emplastra, & olea, quę stringunt & confortant stomachum, sicut ceratum factum cum cera, & mastiche, spica, rosis, absynthio, & oleo de spica. Conferunt etiam iuuamentum non paruum, etiam emplastra prędicta in curatione debilitatis stomachi & epatis. Si autem læduntur ex uentositatibus & causis alijs, & in hora inpregnationis, accipiant quasdam harum medicinarum, quas narro.

*Electuarium dyamargariton iuuatiuum pregnantibus, & doloribus matricis & uentositatibus.*

Recipe margaritarum non perforatarum, pyrethri añ. drach. 1. zingiberis, mastiches añ. drach. 4. zedoariæ, doronici, seminis apij, acori, seitaregi, cardamomi, nucis moschatæ, heil, cinnamomi, gariophillorũ, macis añ. drach. 2. piperis, macropiperis añ. drach. 3. cinnamomi drach. 5. sacchari mundi quantum est pondus omnium. Terantur & cribellentur, & dẽtur ex eo cochlear 1. aut duo cochl. & sunt aur. 3. cum uino permixto.

*Aliud pregnantibus, quarum stomachi sunt debiles, & ipsarum epar, & generantur uentositates, & abortiunt.*

Recipe seminis apij, cimini infusi in aceto & frixi añ. unc. 1. ammeos, zinziberis añ. drach. 4. castorei drach. 2. sacchari drach. 20. Terantur & cribellentur, & dentur ex eo cochlear 1. cum uino permixto.

Aliud

*Aliud prægnantibus, & eis quæ abortiunt semper.*

RECipe zedoariæ, doronici, castorei, musci, asæ, sisfimin, & est heil, lycij, spodij añ. drach. 1. zingiberis drach. 10. Terantur & cribellentur, & conficiantur cum melle, quantũ satis est, detur drach. 1. cum aqua rosarũ.

*Aliud mulieribus quæ inprægnãtur, & capiunt eas uẽtositates, & dolor stomachi.*

REcipe castorei drach. 1. zedoariæ, doronici, seminis apij añ. drach. 2. sacchari drach. 24. Terantur & cribellentur, & administrẽtur, detur drach. 1. cum aqua anisi & mastichés.

*Aliud ad uentositates, quæ eueniunt prægnantibus, & ad solutionem naturæ, & nominatur conseruans embriones.*

REcipe castorei, nucis moschatæ, zedoariæ, doronici añ. drach. 5. ammeos seminis apij añ. drach. 1. seminis hyoscyami albi, margaritarum non perforatarum añ. drach. 1. sacchari triplum omnium. Misceantur & detur drach. 1. cum uino.

*Aliud prægnantibus, & uentositatibus in matrice, & conseruat embrionem.*

REcipe zedoariæ, doronici añ. drach. 2. margaritarum non perforatarum, bdellij, coralli, karabe, setæ crudæ añ. drach. 1. mellis quantum satis est, & detur drach. 1. cum uino permixto, aut misceantur cum sacchаro, & detur siccum.

*Linimenta ad apostemata accidentia in pedibus prægnantium.*

COnuenit ad illud papyrus, quando infunditur in aceto, & ponitur super ipsum, & oleum rosarum quando miscetur cum aceto, & circuncutitur, & inunguntur cum eo pedes. Et solanum etiam cum aceto, & chimolea, & est marmor inuentum in luto uiridi, quando ponitur cum aceto, & linitur. Et cinis caulis, & sal frixum quando teritur cum oleo, & linitur cum eo. Conferunt etiam folia caulis, quando elixantur & emplastrantur cum eis pedes, & lycium tritum resolutum cum aqua caulis, aloës, fausel, santalo rubeo, quando liniuntur cum aqua solani.

## *De mulieribus quæ difficulter pariunt.* Cap. XXXVI.

DIfficultas partus fit ex parte eius quę parit, & ex parte nati, aut ex parte secũdinæ, & fortasse est prohibens extentio, quia aut est ex humore crasso & pinguedine, aut propter paruitatem totius matricis, aut propterea quod ipsa nõ est assueta dolore, aut propterea quia est timorosa, aut propter phlegmonẽ, quę est in matrice eius, aut in uno membrorum aliorum, aut propter ægritudinem præter istam. Aut est natura mulieris debilis, quare non oportet compressionẽ facere, & expulsionem

propter debilitatem in ea naturalem, aut propter antecessionem partus ante horam, quę est necessaria. Difficultas partus ex parte nati, aut est propter magnitudinem eius, aut ipsius crassitudinē, aut est paruus ualde lenis, aut quoniam caput eius est magnum, aut est forma eius mirabilis, sicut ille, qui habet duo capita, aut quoniā est mortuus, aut est uiuus, sed est debilis, nec potest extendi, aut quoniam sunt numero multi, sicut dixit Abrucalis, qui uidit quinq; nasci in uentre. Aut quoniam est ei figura egressa à natura, quia figura eius, qui nascitur naturalis, in primis est, ut egrediatur super caput suū, & manus eius extensas super coxas suas, & non declinat super orificiū matricis. Figura secūda est, ut ingrediatur super pedes in primis, absq; declinatione ad unum duorum laterum. Et reliquæ figuræ ab istis duabus sunt egressæ à natura. Et quandoq; fit difficilis partus ex parte secundinæ, aut quoniam non rumpitur propter crassitudinem suam, aut ipsa erumpitur ante horam suam propter suam subtilitatem, quia humiditas quæ est in ea, quando euacuatur ante horam suam, non labitur cum lapsu embrionis in exitu propter uictoriam suæ siccitatis. Et difficultas partus propter res egressas à natura, aut est propter constrictionē uehementem, aut propter caliditatem inæqualem, quæ dissoluit uirtutem. Et iam accidit etiam difficultas ex doloribus animalibus. Si ergo est difficultas partus propter oppilationem, aut ex debilitate embrionis ipsius, reducimus ipsum ad mollificationem, ita ut fundamus in matricem oleum sesaminum calidum, cum decoctione fœnogræci, aut aqua decoctionis maluæ, aut aqua in qua decoctum est semen lini cum aqua mellis, aut cum aqua & oleo sesamino. Et facimus eas sedere in tina, in qua est aqua, in qua decoquuntur chamęmelum, fœnogræcum, semen lini, & caulis, & quæ sunt illis similia. Et quidam administrant motus fortes, & medicinas ophthalmicas. Timida autem oportet ut teneantur, donec quiescat acuitas timoris, & robusta fiat, & cōfortetur. Illa autem quæ non consueuit & non est experta partum, præcipimus ut teneat anhelitum suum uehementer, aut impellat ipsum ad partem mirach. Et illam cuius minoratur anhelitus, & superuenit ei syncopis, medicamur cum odoriferis bonis. Et confortatur uirtus cum æqualitate, cibamus eam cum paucitate ciborum. Et illam quæ est pinguis ualde, facimus iacere super uentrem suum, & faciem suam, & reducimus genua eius uersus coxas ipsius, donec quando constringitur matrix ipsa, attrahitur matrix ad partē uuluę, donec est indirecto orificij uulue. Et si declinat uersus uelamē, quod

distinguit inter mēbra superiora & inferiora, confortamus os eius, & mollificamus orificium matricis cum cerato, aut cum oleis alijs. Quod si in aliquo membrorum est ægritudo, tunc oportet etiam ut solliciti simus de ea, & si est in intestinis stercus siccum retentum, extrahimus ipsum cum clystere leni. Et secundinam quę non rumpitur, incidimus cum digitis, aut cum cultello ponimus eam inter digitos, & intromittimus in primis manum sinistram ad cōcauitatem matricis. Et clysterizamus eam, cum aliqua ex humiditatibus oleaginibus uiscosis. Et si figura embrionis est egressa à figura naturali, reducimus eam ad figuram naturalem. Quandoq; enim impellimus ipsum, & quandoq; educimus eum, & extrahimus ipsum, & quandoq; complicamus eum, & quandoq; facimus ipsum descendere. Si ergo egrediuntur in primis pedes eius, tunc non trahamus ipsum cum uehementia, quia tenetur, ergo aut non egreditur, aut inciditur. Si ergo hoc accidit, impellimus ipsum digitis nostris cum facilitate, & reducimus iuncturam, quę exiuit ad locum suum necessarium. Et si embriones sunt multi numero, aut duo, tunc oportet ut impellamus eos ad superiora, & extrahimus unum, & unum. Et oportet ut faciamus istas res omnes cum facilitate absque corruptione, & effundamus in hunc locum oleum multotiens. Et si est prohibitio embrionis ab egressione, quoniam est mortuus, tunc redimus ad attractionem eius cum ferro, aut cum istis medicinis.

*Sief extrahens embrionem uelociter, siue sit uiuus, siue mortuus.*

RECipe myrrhæ, ellebori nigri, opopanaci, fellis tauri, omnium partes æquales. Terantur, & fiant sief longi, & subponat ipsum mulier, descendet enim tunc siue sit uiuus, siue mortuus.

*Aliud.*

SVmatur bezard & myrrha, fustes caulis, fel tauri. Misceatur & suffumigetur cum eo, ipsum enim proijcit statim.

*De Lubricitate matricis.* Cap. XXXVI.

MAtricis lapsus si est ad exteriora ex dolore partus, aut ex causa alia, tunc oportet in primis ut euacues intestina ex stercore eius clystere leniente, & prouoces urinam, donec non sit in uesica aliquid. Deinde præcipe mulieri ut dormiat, & sit caput eius inferius, & anchæ eius altiores eo. Et collige omnino crus cum coxa sua, & distingue inter ea, & funde super locum egressum ex matrice, ex oleo rosarū multum tepido, & submerge in hoc oleo lanam, & pone eam in circuitu uuluę, & su

 per partem,

per partem, quæ egressa est ex matrice. Et submerge pannum lini in acacia, aut succo barbæ hircinæ dissoluto cum uino, aut cum aqua, in qua decoctæ sunt gallæ, myrtus humida, & pone ipsum super partem quæ egressa est. Et fac eam sedere ad umbilicum usque, in tina, in qua est aqua, in qua decoctæ sunt myrtus humida, gallæ, cupulæ glandium, sumach, folia oliuarum, ramni, nux cupressi. Et da hanc medicinam sequentem, ut subponat cum lana.

*Medicamen conueniens matrici, quæ lapsa est exterius à loco suo.*

SVmantur acatiæ, myrrhæ, thuris, ladani, balaustiarum, myrti humidæ, lentium excorticatarum, gallarum, omnium æquales partes. Terantur, cribellentur, & conficiantur cum uino pontico, & inuoluatur cum lana munda, & submergatur in oleo myrtino, & detur mulieri ut subponat eam. Si autem lædit eam aliquid ex pruritu in orificio matricis, decoque folia ramni, folia granatorum, lentes excorticatas cum saccharo, & da cum lana, ut subponat illud.

IANI DAMASCENI SEPTIMI LIBRI FINIS.

CLAVDII

# CLAVDII GALE-
## PERGAMENSIS DE SVCCIDANE-
is, hoc est, quæ inter se cōmutantur medicamentis,
ALBANO TORINO interprete.

QVum in Alexandria mulier quędam (inquit Galenus) graui morbo cum uitę discrimine opprimeretur, lychnida mihi, quo laboranti subuenirem, postulaui: quæ quum ad manum non esset, nisi confestim lychnidis loco acanthij semine, cuius tum copia erat, usus fuissem, mulier hęc perijsset. Proinde amicorum precibus uictus, hāc de subsidiaria reciprocorum medicaminum commutatione expositionem, iuxta alphabeti ordinem aggressus sum.

A

ABrotani loco sumit᷑ Origanum.
Absynthij, Abrotanum.
Acaciæ, Lentisci succus.
Acanthæ, † Cerasiorum acanthi.
Acanthij seminis, Semē lychnidis.
Aconiti, Radix ireos syluestris.
Acori, Asari radix.
Acteæ, Glauciū, aut impuberis alui excrementum.
Actæ, Acantha.
Adianti, Aphroselinum.
Adipis uulpini, adeps ursina.
Adipis ceruini, adeps anserina.
Æruginis ferri, excrementū ferri.
Æthiopicæ oliuæ, Lachrymæ acaciæ partes duę.
Agarici, Euphorbium.
Agriostaphidis, Dactyli Syriaci.
Alicacabi, Semen solani.
Aloēs Indicæ, Aloēs uiridis folia.
Alterci seminis, sem. rubicanini, uel glauciæ, uel stercus ibidis, uel lycium, uel centaurium.
Aluminis, sal fossilis.
Amianti, aphroselinon.
Ammi, Anisus.
Ammoniaci thymiamatis, Propolis,
Ammoniaci salis, Sal Cappadocū.
Amomi, Acorus.
Amyli, Aridus pollen.
Amygdalarū amararū, Absynthiū.
Anacardij, Psycha herba.
Anchusæ, Hyacinthus.
Anisi, Daucus.
Adeps suillus, adeps uulpinus.
Aracis, Sesamum.
Armoracę, Cardamomū Babyloni (cum.
Aristolochiæ rotundæ, Aristolochia longa.

† ceratia.

Argemones, Seriphe, aut seriphō.
Armeni lapidis, Attramentū librariorum Indicum.
Asari, Gingiber.
Asbesti, id est, calcis uiuę, Adarce.
Asij lapidis, Gagates lapis, uel sal ammoniacus crematus.
Aspalathi, Semen uiticis, uel ericæ.
Asphodeli radicis, Betę succus.
Atramenti sutorij, Squama æris.
Auripigmenti, Sandaracha.

B

BAccarū lauri uice, Serpylis ari(da.
Baccarū cedri, ladanū.
Balaustij, Malicoria caduca.
Balsami succi, stillatitia myrrha.
Bdellij, Sphagnus aromaticus.
Buccinorum, Ostrea.
Buprestis, Blattę serpentes.
Butyri, lactis bubuli congelatum.

C

CAdmiæ loco leucophragis Ægyptia.
Calaminthę, Menta syluestris.
Calami odorati, Sphagnus.
Callicereę, Fœnogręcum.
Camili, Antutus.
Canchrij, Baccę lauri.
† cnici. Cantharidum, Phalangia.
Capparis radicis, Radix ericæ, uel myricæ.
Cardamomi, †Ciperis ammoniaca.
Cassię Mannę, cinnamomum.
Castorei, blatarum pedentium interanea.
Cadmiæ, Leucographe Ægyptia, Cyrannia.
Cedriæ, Cedride.
Ceraunini, Leucographis.
Ceruinæ adipis, Suilla.
Ceritiæ, Ostrea.
Ceræ, Sepimentū cum propoli coquitur & conteritur.
Cerui adipis, Adeps anseris.
Ceruini cornu, Cornu caprillum.
Cerussæ, Scoria plumbi.
Chalbanes, Sagapenum.
Chalcanthi, Æris squama.
Chameleontis succi, Succus salicis, uel lapathini syluaticæ radicis.
Chamædryos, Rumicis syluestris radix.
Chamæmeli, Anthemis.
Cicis, Strigmentum palestrarum.
Cicidis, Myricæ fructus.
Cicutæ seminis, Semen coriandri.
Cedrini liquoris & fructus, Ladadanum.
Cineris cyprię, Cinis foliorū oleæ.
Cinnabaris, Rhodoides.
Cinnamomi, Cassiæ duplum.
Cissebati, Semen alicacabi.
Clinopodij, Heliotropium.
†Cnidij seminis, Viticis semen.
Colocynthidis, Semen ricini, quod est crotonis.
Colophoniæ, Rasura nauigij.
Comareę, Ammoniacū thymiama.
Corallij, Moly.
Costi, Cedrini fructus.

Cotyledonis, Anacardium.
Crinanthemi, Aphrodisium.
Croci, Crocomagma.
Crocodili adipis, Adeps canis marini.
Crocomagmatis, Aloë Indica.
Cymini, Semen brassicæ.
Cymini Æthiopici, Melanthium.
Cinarę radicis, Radix aspalathi.
Cynosbati, Alicacabi semen.
Cyperi, Iuniperus magna.
Cypheos, Carica cremata.
Cucumeris, Anchusa.

D

DAphnidũ loco Serpyllũ aridum.
Dauci seminis, Semen sij.
Dictamni, Saluia.
Diphrygis, lapis phrygius.
Dorycnij, Semen alterci.
Dracunculi, † Aphrosimum.

E

EBeni uice, Lotinum aridum.
Ebisci radice, Folia mori.
Elaterij succo, eiusdẽ herbę succus.
Elelisphaco, Nepita.
Elleboro nigro, Radix papyri.
Eneaphyllo, Potamogitum.
Epithymo, Colocyntidis semen.
Ericę fructu, Galla omphacitis.
Erini folijs, Fimus ibidis.
Erisei folijs, Mori folia.
Erucę semine, Erysimi semen.
Erysimi semine, Struthium.
Euphorbio, Stercus palumbis.
Eupatorio, Chamępithys.

F

FEllis cameli uicẽ gerit, Fel ascalabotæ.
Fellis muris aranei, Fel cameli.
Fellis hyenæ, Fel perdicis.
Fellis simiæ, Fel cameli.
Fellis uiperæ, Fel ichneumonis.
Fimi palumbini, fimus columbę.
Fimi æluri, Fimus ichneumonis.
Floris salis, Sandaracha.
Floccium uini, Sandaracha.

G

GYmnasiorum strigmentum Succedit gallæ.
Galbani, sagapenum.
Gentianę radici, Apij odorati rad.
Glichoni, Hyssopus.
Glycyrrizæ succo, Sycamini succus.
Gongilidi, Heliotropium.
Gryphonis retrimenti, fimus columbinus.

† Androsæmon

H

HEderę succo, Persici succus.
Hedichroo, Amaracinum.
Humida pice, Succus panacis.
Hyacintho, Flos isateos.
Hyenæ adipe, Vulpis adeps.
Hyenæ felle, Fel perdicis.
Hyoscyami semine, Rubicanini semen.
Hyperico, Aneti semen.

I

IOntis uice, sumit Attramentũ.
Ippuridis, Chamæpithys.

Iridis Illyricæ, Heleniũ odoratum.
Iteæ ſucci, Succus leiſſiatri.
Iunci odorati, Cardamomum.
Iunci rotundi, polygonij radix.

L

LAchrymæ papaueris, ſuccus mandragoræ accipito.
Ladani, Sampſuchum.
Lanariæ radicis, ueratri nig. radicẽ.
Lapathi radicis, Pyrethri radicem.
Lapidis pyritæ, Lapidẽ pyrobolũ.
Lapidis phrygij, Lapidẽ argyriten.
Lapid. magnetis, Lapidẽ phrygiũ.
Lapidis aſij, Lapidem gagaten.
Lathryridum, Granum cnidium.
Lepidij, Erythrodanum.
Lepidij radicis, Folia capparis.
Leporis marini, Cancrũ fluuialem.
Leucini floris, Struthion.
Libani, Ampeliten.
Ligni balſami, radicẽ uiolæ cãdidæ.
Lini ſeminis, Fabæ ſuccum.
Loti ſeminis, Betæ ſemen.
Lybiſtici, Semen ſtaphylini.

M

MAlabathri loco ſumit Caſſia, uel nardus Indica, Tractylꝰ.
Magneſena uitrea, Ptyelũ Italicũ.
Malis cotoneis, Melilotum.
Malua, Fœnogræcum.
Malo terræ rotundo, Malum terræ Longum.
Mandragora, Oleæ lachryma.
Mandragoræ ſucco, Dorycnium.
Manna, Libani cortex.
Marſinati, liquor mori.
Maſtiche, iunci rotundi cortex.
Medulla cerui, Adeps cerui, uel medulla uituli.
Meliloto, Lotum ſylueſtre.
Melle, Defrutum ſapáue.
Melle Attico crudo, Mel aliud deſpumatum.
Meo, Myrobalanum.
Myrſinite, Succus mori.
Miſyi cyprio, Rubrica pictorum, Cypria.
Muſcerdæ, Muſcæ tantundem.
Molibdæna, Spuma argenti.
Mororum ſucco, Rubi folia.
Myrobalano, Peucinum.
Myrrha Troglodytide, Calamus odoratus.
Myrti oleo, Lentiſcinum.
Myrto, Succus mori.
Miſy, Succus Cyprius.
Miſy aſſato, Diphryga.

N

NArdi Syriacæ loco, Iuncus odoratus.
Nepitæ, Menta ſylueſtris.
Napyos, Gongylidis ſemen.

O

OCimi uice ſumitur Siſimbriũ.
Ocimoidis, Sylueſtris mẽta.
Oenãthes ſucci, Ampelini arboris.
Oeſypi, medulla uituli.
Olei rhicinini, Oleum laurinum.
Olei ueteris, Duplũ olei coquitur cum adipe ſuillo uetere.

Oliuæ Æthiopicæ, Lachrymę acaciæ partes duæ.
Oleæ lachrymę, Hypocistidis succus.
Omphacis, Galla immatura.
Onocardiæ, Psicolotanis.
Opobalsami, Succus myrsitini.
Opocarpasi, Liquor myrti.
Opopanacis, Lac sycamini.
Orizæ, Hordeacea farina.
Ormini, Lini semen.
Oenithogallorum, Anthalli.

P

PApaueris locum supplet Mandragoræ succus.
Peristereonis, Chameleuce.
Picis liquidæ, Opopanax.
Pityocampæ, Vespæ in cedria.
Piperis, Zingiber.
Polij seminis, Semen erucæ.
Polypodij, Radix Chamelææ, uel Chamæleontis.
Polytrichi, Absynthium.
Populi nigrę surculorum, Sampsychus.
Propolis, Ladanum.
Psyllij, Lenticula palustris.
Pterei, Cneori semen.
Pulegij, Hyssopus.
Pyrethri, Zingiber.
Pumicis, Terra Cretica.
Phu, Sphagnus.
Phuci, Anchusa.

Q

QVercus uisci loco Chameleon.

R

RApæ loco, Heliotropium.
Radicis rumicis, Cinira.
Raphanini olei, Rhicininum.
Resinæ piceæ, Resina terebinthina.
Resinę colophonię, Apochyma.
Rhodœidis, Sinopis.
Rosarum siccarũ, Persęę folia sicca.
Rotũdi iũci odorati, Cardamomũ.
Rhu, Centaurium.
Rubi canini, Vesicaginis semen.
Rubiginis ferri, Scoria ferri.
Rubrica pictorũ, Misy Cyprium.
Rumicis, Pyrethri radix.
Recrementi plumbi, Helcysma.
Recrementi Cyprij, Atramentum metallicum Ægyptium.

S

SAbini loco, accipitur Oleum rhicininum.
Sagapeni, Pini resinę arida.
Salamandrę, Lacerta uiridis.
Salis ammoniaci, Sal cappadocicũ.
Saluię, Nepita.
Sampsuchi, Rhus Megericus siccus.
Santonici, Abrotanum.
Sarapoidis. Radix pæoniæ.
Satyrij, semen Erucę.
Scammonię, Crotones rhicini.
Schœni odorati, Cardamomum.
Schini, Polygoni radix.
Scillę, Bulbus.
Scingi, Satyrium.
Scordij, Caput albi papaueris.
Scorię plumbi, Helcysma.
Scoriæ Cyprij, Melanteria Ægyptia.

Seminis

Seminis hypociſtidis, Tragacāthæ ſemen.
Sēperuiui liquoris, Lactucæ ſuccus.
Sepiæ teſtæ, Pumex.
Serpylli, Potamogiton.
Seſami, Semen lini.
Seſamoides, expreſſum amaracinū.
Sinapis, Cardamomum.
Siſonis, Aniſi.
Siſymbrij, Ocimum, uel Baſilicum.
Sparagi Lybicę, Radix fœniculi.
Sphagni odorati, Rotūdus iuncus, odoratus cultus.
Sphecle, Sandaracha.
Sphodeli, Cypriæ cinis.
Staphydis ſatiuę, Dactyli. (nus.
Stercoris uulturis, Fimus columbi-
Stercoris turturis, excrementū palumbinum.
Stimmeos, ſecti, Squama æris.
Styracis, Caſtoreum.
Strobilorum, Semen cucumeris.
Struthij rad. Radix ueratri nigri.
Strychni radicis, Veratrū nigrum.
Succi carpaſi, Succus myrti. (zę.
Succi peucedani, Succus glycyrrhi
Succi rhododaphnes, Viſcus quer-
Succi fici, Succus mori. (cinus.
Succi Cyrenaici loco, Succus Syriacus. (gorę.
Succi papaueris, Succus mandra-
Succi ſalicis, Nigrę hederæ ſuccus.
Succi gallę, Succus mori.
Succi mori, Succus hederę.
Succi Syriaci, Mori ſuccus.
Succi panacis, Lac Sycamini.
Succi polygoni, Succus plātaginis.
Sulphuris uiui, Sandaracha.
Symphyti, Centaurium.
Syrici, Spuma argenti.

T

TIcem terrę Samiæ gerit Leucographe Ægyptia.
Terrę Erythriadis, Calx thebaica.
Terrę apalę, tenerę ue, Plumbago.
Terrę aſteris, Cimolia.
Tapſię, Elydrion.
Tapſię ſucci, Chamęleontis atri ſuc
Thermutiadis, Lycopſolos. (ci.
Thymi, Satureia.
Thuris, terra ampelitis.
Tithymalli, Camęleon.
Tiſcendrę, Aſphodeli radix.
Troximi, Maiunium.
Trixaginis, Radix rumicis ſylueſt.

V

VErbaſci loco ſumitur Chamæleuca.
Veratri nigri, Radix papyri.
Vini Italici, Vinum Mendeſium.
Vuę paſſę ſatiuę, Palmulę ſynacę ca
Viſci quernei, chamęleō ater. (ro.
Vulpini adipis, Vrſinus adeps.
Vulturis ſtercoris, fimus columbinus.

X

XYlobalſami loco, Violarum albarum radix.

Z

ZIngiberis uice, Pyrethrum.

Ponderum

PONDERVM QVIBVS VSVS passim Interpres est, nomenclatura & expositio.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Duodecima pars assis | Vncia; | Græce οὐγκία. | I |
| Sextans | Vnciæ | | II |
| Quadrans | Vnciæ | | III |
| Triens | Vnciæ | | IIII |
| Quincunx | Vnciæ | | V |
| Semis, uel semissis, selibra, seunx | Vnciæ | VI. uel lib. | s |
| Septunx | Vnciæ | | VII |
| Bes uel bessis | Vnciæ | | VIII |
| Dodrans | Vnciæ | | IX |
| Dextans | Vnciæ | | X |
| Deunx | Vnciæ | | XI |
| As, uel assis, libra, pondo | Vnciæ | | XII |
| Dupondo | Libræ | | II |
| Trepondo | Libræ | | III |
| Sescuntia | Vncia | | Is |
| Semuncia | Vncia | | s |
| Denarius | Drachma | | I |

BASILEAE EXCVDEBAT HENRICHVS PETRVS MENSE MARTIO, ANNO M. D. XLIII.

